HOMILIAE IN ECCLESIASTEN SALOMONIS, QUIBUS NON SALTEM TEXTUS COMMODE SECATUR, ...

Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

BIBLIOTECA VETERUM MANUSCRIPTORUM
LONDON
31
5 D
10

CHRISTOPH GERHARD
SUKE.

Nicolai sc.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

HOMILIÆ
in
ECCLESIASTEN SALOMONIS.

quibus

Non saltem textus commodè secatur, explicatur, & ad usus omnis generis applicatur; sed & hinc inde materiæ Theologicæ non paucæ, quas *Locos communes* vocant, morales cum primis, fusiùs diducuntur.

AUTHORE
JOH. JACOBO WERENFELS
Ecclesiastâ Basileense quondam
fidelissimo.

BASILEÆ.

Sumptibus, JOHANNIS REGII.
Typis JACOBI WERENFELS.

Digitized by Google

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS,

Dn. JOH. RODOLPHO BURCKHARDO,
CONSULI,

Dn. JOH. JACOBO BURCKHARDO,
Dn. ANDREÆ BURCKHARDO,
TRIBUNIS PLEBIS,

TOTIQUE SENATUI GRAVISSIMO,
INCLYTÆ REIPUBLICÆ
BASILEENSIS,

DOMINIS SUIS GRATIOSISSIMIS,
HUMILLIMO ET OBSEQUIOSISSIMO
CULTU DEVENERANDIS.

Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi, &c.

SAlomon etiamnum adoleſcens, immò penè puer, exemplo laudabili & Principibus imitando, à cultu Numinis regnum auſpicatus, in altari æneo, coram tabernaculo fœderis Domini, hoſtias obtulit tot tantasque; ut ſacrificium tam optimum ſpatio diei ſolidi abſolvi vix potuerit. Nocte, quæ ſequebatur,

batur, in præmium cultûs diurni optione sibi cœlitûs data flagitandi quicquid vellet, insuper habitis multis alijs, quæ aliàs summa solent esse desideriorum nostrorum, unicam expetijt sapientiam: superque petito hocce ab oraculo divino responsum tulit istud: *Quoniam tu hoc petiisti, neque longam ætatem, non divitias, non hostium tuorum necem, sed prudentiam ad discernenda jura postulasti: scito, me tibi non solùm postulata concedere, tantamque mentis sapientiam ac prudentiam, ut tibi par nemo neque ante te fuerit, nec post te futurus sit; sed etiam, quæ non orasti daturum esse: opes dico, & gloriam tantam, ut Regum nullus tibi dum vivis, sit comparandus.* Promisso huic liberali quàm non defuerit eventus, apparet ex sacris Regum fastis; qui ingentem Salomonis nostri sapientiam nudis ornasse elogijs haud contenti, specimina ejus recensent varia, testimoniaque adducunt omni exceptione majora: testimonia, inquam, non domesticorum, non infimorum ex plebe; sed Regum exterorum, taliumq; qui omnium maximè digni fuissent accenseri Salomoni nostro; si modò sapientia tot parasangis humanâ quamcunq; excedens, Collegam admisisset ullum: *Hirami* vid. Regis Tyriorum, & *Sabeæ. Ille*, Salomone sibi ex fœdere probè noto, *multùm lætatus Deo egit gratias, qui Davidi tàm sapientem dedisset Filium. Huic* Rex noster innotuisse videtur vel è classe, quæ quotannis navigando Arabiam circumijt, vel (quæ aliorum conjectura) quòd missi Hierosolymam Legati pleni admirationis redeuntes, visa & audita satis prædicare non potuerint. Istis sive rumoribus sive commendationibus mota Herois, itineris prolixi tædijs & periculis desiderio tantũ videndi Regem facilè superatis, multo cum comitatu, cum camelis auri, aromatum gemmarumq; vim magnã ferentibus, petijt Hierosolymam. Præsentia Regis, cujus gratiâ accessit famam non minuit, sed vicit adeò; ut visâ & auditâ, *Salomonis* sapientiâ, obstupefacta primùm, in exclamationes tandem soluta.

soluta *Vtique vera sunt*, dixerit, *quæ ego nostris in regionibus de tuis rebus & sapienti audiveram; quibus rebus equidem non antè credidi, quàm veni, & ipsa meis oculis spectavi. Enimverò comperio ne dimidium quidem mihi fuisse narratum: adeò tu famam, quam ego acceperam, sapientiâ superas atque virtute. Felices homines tui, felices hi assecla tui, qui tibi perpetuò astantes, tuam audiunt sapientiam.*

Vulgare est, sapientiam ita dividi, ut eam partim *Theoreticam* esse dicant, partim *Practicam*: quarum illa nudam sibi veri cõsiderationem, hæc insuper boni actionem & felicitatis consecutionem propositam habet. Utriusque palma jure debetur *Salomoni*: hocque justiùs, quòd non sibi soli sapere, sed quæ scivit, quâ voce quâ scriptis, aliis fideliter communicare voluit Rex sapientissimus. Cavit ita pientissimè, ne quod dono divino, longoque rerum usu nactus est כמטמון שאין מוציאין thesaurus esset abditus, lucernaque sub modio posita; scribendo cumprimis, non saltem de hominibus sui ævi, sed & posteritate meritus quàm optimè. Testatur S. Historia fuisse *Salomonem tantâ sapientiâ, & prudentiâ, tàmque infinitâ ingenii ubertate divinitus præditum, ut non solùm Arabes omnes atque Aegyptios sapientiæ præstantiâ superaret, verùm etiam omnes mortales, &c. dixisse tria millia sententiarum: carmina ejus fuisse quinque suprà mille. Disseruisse de arboribus à cedro Libani, usque ad hyssopum, qui nascitur in parietinis: disseruisse etiam de quadrupedibus, de volucribus, de serpentibus & de piscibus.* Non desunt, qui hinc colligant; Salomonem de Physicis disseruisse non ore saltem, sed & calamo, vel quæ ipse dixerit, ab alijs excepta & descripta, justa constituisse volumina. Si *Rabbi Gerundinensi* credendum, exstitit quoque liber Salomonis Medicus, quem ספר רפואות vocat, & alius in linguam Chaldaicam translatus cui titulus חכמתא רבתא דשלמה. Addunt alij, libros hos è medio sublatos ab *Ezechiâ* propterea, quod posthabitâ

ſummi Medici ope medelas exinde expectaret & peteret populus. Nos explosâ ratione hac ceu frivola & Judæorum fabulas redolente, certiùs longè credimus, libros Salomonis Phyſicos, ſi qui tales exſtiterint, periiſſe ſine ulla Canonis ſanctiſſimi diminutione, ſalutarisque eruditionis diſpendio.

Neque aliter judicare poſſumus, niſi ſcripta ſolertiæ potius humanæ, quàm afflatui diuino ſuam debentia originem, pro partibus Scripturę θεοπνεύς; & quę de ſtellis, herbis, morbis ſcripta, pro articulis habere velimus religionis. Ex libris *Salomonis* non niſi ei divini, non niſi ei ad ſalutarem inſtructionem neceſſarij, quos per Dei providentiam ſuperſtites, quotidianis verſamus manibus.

Socrates Apollinis oraculo judicatus omnium ſapientiſſimus, eò quòd primus relicta cœleſtium & ſublunarium curioſa inveſtigatione, eam artem traderet, quàm ad benè beateque vivendum, inprimis ſpectare & valere arbitraretur. Si *Socrates* omnibus alijs ſui ſeculi ſapientibus prælatus idcò, quòd Practicæ potius ſapientiæ, quàm Theoreticæ cultor eſſet & Doctor; inter Salomonis libros, deperditis eos qui ſuperſunt, optimo jure pręferimus. Multum, fateor, noſſe rerum initia, & ſemina, unde omnia orta: multum ſcire cujuscunque vel ſimplicis uel mixti, vel inanimati, vel animati, vel loquentis vel muti originem, partes, actiones: multum cœli converſiones, ſiderum magnitudines, intervalla ortus & obitus tenere. Sed certè eorum, quæ docent libri Salomonis adhuc vivi, longè fructuoſior cognitio, longè periculoſior ignoratio. Quid juvat aſtra noſſe, ſi quà eatur ad aſtra, hæreas? Quid ſubtiliter inveſtigare, quæ plus oblectationis, quàm commodi afferunt; plurimum præterea habent difficultatis & incertitudinis: hallucinari econtrà vel bardum eſſe, ubi plurimum commodi, & minimum obſcuritatis? rimari cauſas operum Dei de induſtria quaſi ab Authore in

puteum demersas; & nescire regulas actionum nostrarum ad consecutionem beatitudinis omnibus expositas? Hæc si libris Salomonis, ut par est, applicemus, jacturam eorum, quibus fraudata posteritas, ita dolebimus; ut magis gratulemur nobis de illis, qui per Dei providentiam sarti tecti ad nostras devenêre manus, usibus populi Dei sufficientissimi.

De *Cantico Canticorum*, & *Proverbijs* multa dicamus, haud attinet. *Ecclesiastes* certè non minùs tanto Authore dignus, neutrique illorum secundus, sive demum rerum dignitatem sive styli elegantiam, sive methodi perspicuitatem spectemus. Id quod hic tractatur, est summum hominis bonum: argumentum sublime, immò, cùm ultra summum ascendere non liceat, eminentissimum. De summo bono Rex duobus agit aphorismis, quorum uno librum auspicatur; altero colophonem imponit. *Illo* ostendit, Quis non debeat esse hominis finis? Insectari terrena, voluptates, divitias, honores, scientiam, &c. *Vana hæc omnia, imò vanitatem ipsam. Hoc* verò exponit, Quis igitur finis ille esse debeat? *Timere Deum & mandata ejus observare.* Pluribus utrumque pro ea, qua polluit sapientia, experientia, & facundia diducit.

Voluptates eorum, qui Venerem sectantur aut trientibus implentur, partim ut brutas homineque indignas contemnit, partim ut inhonestas, turpes, & obscœnas condemnat, & procul abesse jubet.

Famem *opum* detestatur hoc cumprimis nomine, quia inexplebilis: & qui eam in cordibus suis radices agere patiuntur, quò plus possident, eò plura appetant, & tanquam nihil habeant, gradum sibi semper faciant, à magnis ad majora.

Cupiditates *honorum* animis nostris facessere vult propterea, quod popularis aura, inconstantium hominum rumusculi, tantam non mereantur venerationem & contentionem, ut per indigna eos sectemur, nedum Dei offensam cum ijs commutemus.

De

De ſtudiis *agricolarum, pecuariorum, architectorum*, immò & eorum, qui artibus liberalibus ac *ſapientiæ* ipſi operam dant; honeſtius equidem judicat, ita tamen, ut & iſtis multiplicem ineſſe vanitatem ſuâ ipſius demonſtret experientiâ.

Tandem *Timorem Dei* inculcat; ut rei ſummam, viamque ad felicitatem certiſſimam.

En præcipua libri capita non ſolùm ad hanc vitam commodè & tranquillè tranſigendam, ſed & eam quæ ſequitur, certò conſequendam plurimum conferentia; immò prorſus neceſſaria.

His & aliis quæ in commendationem *Eccleſiaſtæ* Salomonis dici poſſent, motus ſine dubio *Parens* Optimus ante annos decem & quod excurrit piè defunctus; in curriculo Miniſterij ſui hunc quoq; librum elegit, quem Eccleſiæ Dei, pro eâ, quam nactus eſt Spiritûs menſurâ, explicaret. Præſtitit id Concionibus matutinis in æde ſummâ haberi ſolitis, per vices Eccleſiaſtæ Martiniano incumbentibus. Quomodo præſtiterit, cordatiùs judicabunt alii, quàm ij, qui pro innato affectu, debitâque pietate de paternis, qualiacunque demum illa, non niſi benè judicare & poſſunt & debent. Hoc unum dico; nec abs re mihi dicere videor: Parentem ut aliàs, ita & hic *ſtudui ſſe ſe probatum ſiſtere Deo, operarium non erubeſcentem, rectè ſecantem verbum veritatis.* Nihil minus interim cogitavit, quàm haſce ſuas meditationes in ſubſidiũ memoriæ, exemplum præterea & uſum ſuorum chartæ mandatas, aliquando fore publicas, aleamq; tot cenſurarum ſubituras. Et ſi tale quicquam prævidiſſet, vel prævidere potuiſſet, non dubitandum, plura nunc proditura, limatiora & abſolutiora.

Me quod attinet, quamvis à tempore ſatis longo non defuerint, qui Comentarii hujus publicationem deſiderarent, peterent, ſolicitarent; diu tamen animo in diverſa verſato, quid agendum, hæſitavi. Cùm ob nutantem Authoris valetudi-

cudinem, non licuerit animo sibi semper esse simili, necessarium fore duxi, ea, quæ ob morborum tædia aliaque impedimenta rudiori saltem penicillo delineavit, ut cæteris gemina essent, accurari, ampliari, & perfici: metuens juxtà, vires meas labori huic vix sufficturas. Accurationem istam suscipienti subinde obversabatur versus ille c. 12. *Faciendi plures libros nullus est finis, &c.* quo pruritum scribendi edendique novos libros haud obscurè taxari animadvertebam. Hæc & alia, quæ mecum volutabam, aliquandiu ab editione Homiliarum istarum me absterruère: absterruissent etiam porrò, nisi oblationi sumptuum & operarum ultroneæ; votis etiam & petitionibus prædictis, accessissent judicia quædam benigna Virorum Magnorum, & de Ecclesiâ Dei egregiè merentium, qui opusculum istud juvandis Nasiræorum conatibus & studiis non inidoneum, pronis passim amplexibus exceptum iri, non multùm dubitasse mihi videbantur. Timidioribus itaque cogitationibus facessere jussis manum in nomine Domini operi admovi, monitis pietatis in Parentem benè meritum subinde excitatus; eum sc. à quo vitam hauserim, fato licèt functum, hoc modo à morte oblivionis vindicatum, jugiter inter literatos victurum.

Unum restat, ut expositis iis, quæ Editionem suaserint, Dedicationis quoq; rationes reddam. Ἀρχομένῳ ἔργῳ πρόσωπον χρὴ διαπρεπὲς *Incipiente opere frontispicium oportèt esse præfulgidum*, vetus est verbum. Mos libros dedicandi Viris Illustribus, à quibus splendorem aliquem mutuari possint, perinde antiquus, & vel propter vetustatem suam laudabilis.

Quibus autem justiùs Homilias istas inscribam & consecrem, quàm Vobis, *Viri Amplissimi, Prudentissimi, Domini gratiosissimi? Vobis*, inquam, sub quorum authoritate, & tutelâ fructus isti sati & nati, quibusque adeò ipso jure, ipsâ ratione debentur. *Vobis*, qui Parentem meum Meletematum horum

Authorem, Ecclesiæ in agro & Urbe vestra per annos ferè 40. Ministrum, eâ fovistis & complexi estis benevolentiâ, quâ Servos Dei soletis: eundem præterea affectum vestrum paternum in tumulo ejus nequaquam sepultum, sed in sobolem quoque eâdem mensura voluistis derivatum. Quibus quàm Vobis, *Patres Patriæ*, condigniùs & opportuniùs offeram librum, duas istas complectentem partes *Vanitatem* sc. *& Timorem Domini? Vanitatis* rerum sublunarium, hominum cumprimis, cujuscunque demum sortis, tàm lucida tàm recentia habetis experimenta, in funeribus illis nuperis summorum Ordinis vestri Capitum, ut Ecclesiastæ exclamanti *Vanitas vanitatum, &c.* facilè Vos credam assensuros.

Qui vanitate rerum omnium probè exploratâ, quicquid humi est, contemnit, quod mens cœlo sata colat & timeat non habet, præter eum qui in cœlis est Deum O.M. *Timoris* istius sinceros Vos esse sectatores strenuosque, universus novit orbis, urbs hæcce vestra experitur quotidiè. *Timor* hic potestatis summæ, quâ instructi estis, moderator: sapientię, quâ excellitis, principium: actionũ, quibus cum laude defungimini, incentivum: salutis denique publicæ, quam spectatis, fundamentum. Epistolæ limites excederet hæcce mea præfatio, si pietatis vestræ documenta recenserem omnia & singula. Ex innumeris aliis unicum saltem affero, quod cæteris recentius, atq; sub zeli Vestri adhuc quasi fervet manibus: quòd Bibliothecas, Scholas, Ptochotrophia & hujus generis alia, non eo tantùm, quo ad Vos pervenêre, statu conservatis & fovetis; sed & amplis locupletiora auctarus, novisque ædificiis ornatiora ad posteros transmittitis.

Præcipua hujus laudis pars deferenda sine dubio Vobis, quos nominatim compellavi, *Domine Consul, & Domini Tribuni Plebis, Politarchæ Amplissimi.* Dubito an Basilea nostra unquam habuerit familiam tàm florentem, Virorumq; eximiorum

miorum omnis generis tàm feracem, ac Vestram *Burckhardorum?* si habuit, hæc saltem gloria gentis Vestræ propria, hæc palma indubia, quòd ei nunc soli Respublica Basileensis sua debet Capita. Ut diu debeat, neminem esse puto, qui non unà mecum à supremo Urbis hujus nostræ Statore multùm optet & precetur. Tam insignia sunt, quæ ad fastigium hocce attuliſtis consiliorum, legationum, aliarumq; actionum laudabilium merita: tam intentus saluti patriæ & singulorum commodis animus: tam capax virtutum quarumcunq; mens: totque dotes aliæ; quarum decus hic non invitus celebrarem, nisi extimescerem, ne, ut nubes radios Solis intercipit, ita ego obscuritate mea subducam faciliùs, quam addam lucem. Unum mihi satis sit, devotissimâ mente virtutibus Vestris hunc honorem gratulari cum oblatione opusculi Vobis, *Viri Magnifici, Senatuiq; hujus Vrbis inclyto,* humillimè inscripti: indigni equidem authoritate Vestrâ, ultrò tamen ad Vos abeuntis; quod, si pro affectu vestro in fidorum Ecclesiæ Ministrorum labores solenni, excipietis; tantò preciosius apud omnes censebitur.

Ad vota tandem me converto, & in ijs desino. Illum *per cujus sapientiam Reges regnant, & Legum Conditores justa decernunt, per quem Principes imperant, & potentes decernunt justitiam:* Illum, inquam, supplex veneror, ut Vobis, *Patriæ Patres,* dies largiatur pacificos, proventus uberes, divitemq; bonis omnibus tranquillitatem: detq; ut ad Salomonis sapientiam, Davidis pietatem, Josiæ zelum, Samsonis robur, Mathusalæque longævitatem, quàm fieri potest, accedatis proximè! Dedi XX. Augusti Anno M D C L X V I.

M.M. N.N. A.A. P.P. V.V.

obsequentissimus, observantissimus
M. PETRUS WERENFELS,
Ecclesiæ patriæ in summo templo
Administer.

Lectori Benevolo S.

SUnt quædam Benevole Lector, sed pauca, de quibus Te præmonendum duximus. *Primum* attinet versionem. Homilijs præmissa versio Tremellij & Junij, quæ communissima: si in homilijs verba textûs nonnunquam aliter citantur, variationis hujus causam hanc esse nôris, quòd Author etiam alijs versionibus usus est (Pagninû cumprimis) si quando eas judicavit textui originali aut menti Salomonis convenientiores. *Alterum* concernit Locos communes, & doctrinas. Textus equidem ansam suppeditasset sufficientem, ut & loci quidam catechetici, v.g. de S. Scripturâ, de statu innocentiæ & lapsus, de immortalitate animæ, & resurrectione corporis, bonis operibus &c. fusiùs & secundùm modulum tractationis reliquæ, hîc diducerentur: neque difficilè fuisset, ex homilijs authoris Catecheticis, quas pari diligentiâ meditatus est, & consignavit, materias hujusmodi, forsan ad votum tuum pertractatas, commentario isti inserere: sed placuit nobis hîc esse succinctis, tum ne liber nimiùm excresceret, tum quia exist. mavimus Catechetica non adeò rara, ac moralia. *Index* præterea; quem opusculo subjunximus ita comparatus, ut non adeò multa promittat, sed quæcunque promittit, saltem quantum sufficit, si non semper copiosè, accepturus sis. Catalogus est præcipuarum doctrinarum, in homilijs istis occurrentium. Mendas tandem Typographicas, quarum quasdam ad calcem notatas invenies, amicè corriges, multùm rogamus. Vale; & studia nostra precibus tuis adjuva.

IN

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT I.

HOMILIA I.

TEXTVS.

ECCLESIAST. I. ℣. 1.

Verba Ecclesiastæ filij Davidis, Regis Ierusalaimis.

CEMINA homo Christianus scientiâ opus habet: *Vnâ* quidem ut norit, quæ sit præsentis hujus mundi conditio: nimirum quia homo est in eo degens: *Alterâ*, ut norit, quæ sit conditio Ecclesiæ Dei in hoc mundo existentis & militantis: nimirum quia Christianus est, & Ecclesiæ membrum.

Atque quæ sit Ecclesiæ sors in hoc ævo, ad vivum nobis depingit *liber Actorum Apostolicorum*, quo ortus & incunabula Ecclesiæ describuntur, cujus expositionem nuper, Deo sit laus & gloria, ad finem perduximus: Patuit inde, Ecclesiam Christi plantæ alicujus instar inter spinas & tribulosh. e. varias persecutiones, excrevisse: quæ quidem stata est & propria Ecclesiæ hoc in mundo sors.

Animus nunc est *librum Ecclesiastæ Salomonis* pertractare, qui typum continet & enarrationem status hujus mundi præsentis: innuens, vanitati subjectum totum, eoque contemnendum cum suis vanitatibus, & perennia bona, quæ supra hunc mundum in cœlo sunt, insectanda esse.

Quia verò sine Dei Numine & illuminatione Spiritus sancti nec docentes nec audientes quicquam proficere possunt, oro Deum, ut & mihi ceu infirmo organo, & Auditoribus, Spiritus sui sancti gratiâ assistere velit, ut libri hujus tractatio utrinque ad nominis sui gloriam, & ædificationem nostram vergat. *Amen.*

I. Præmittemus quædam de libri *Authore, authoritate, obiecto & scopo*: postmodum

II. Illius *inscriptionem & exordium* considerabimus.

DE PRIMO.

Quod attinet libri *Authorem, authoritatem, objectum & scopum*, & quidem

I. AUTHOREM: eum Salomonem esse Titulus ipse præ se fert. Neque enim David alios habuit filios, qui Reges fuerint Hierosolymis præter Salomonem: neque de alio accipi possunt, quæ Author libri de se narrat c. 2. quàm de Salomone. Constat præterea sapientiâ incomparabili Salomonem divinitus ornatum. Extendebat autem ea sese non modo ad *Physicas* res, quarum exactâ pollebat scientia, 1. Reg. 4. 33. aut ad *civiles & politicas* regni & Reipublicæ regendæ, quæ in ipso fuit admirabilis, 1. Reg. 3. aut *Ethicas & morales* vitæ nimirum piè & prudenter instituendæ, cujus illustre documentum in Proverbiorum gnomis exstat, quæ secundum aliquos sunt reliquiæ ter mille sententiarum & carminum, quæ edidisse dicitur, 1. Reg. 4. 32. Sed maximè ad *divinas & cœlestia mysteria*, v. g. mysterij illius maximi cognitionem, de quo Apostolus Ephes. 5. 32. prout liber Cantici, quod Epithalamium spiritualis hujus conjugij, abundè ostendit.

An verò Salomon *ipse verba ista in libri formam redegerit, aut sua manu*

manu conscripserit; *An duntaxat pronunciarit & effatus sit* ad populum, aliusque interim exceperit ex ipsius ore, atque descripserit, nihil interest scire. Nec quicquam id libri authoritatem minuit, si maximè Salomon nonnisi Doctor aut pronunciator fuerit hujus doctrinæ, alius verò scriptor; modo constet à Spiritu Dei ejusque instinctu profectam illam doctrinam, ac scriptoris calamum manu Spiritus sancti directam fuisse. Constat enim alias Reges suos habuisse servos à commentarijs, qui Regum acta in annales & diarios libros referrent. Ita ergò verisimile est, servos Salomonis, qui quotidie coràm eo stabant, & sapientiam ejus audiebant, quosque eo nomine Regina Sabæ beatos prædicavit, Reg. 10. 8. tum publicas ejus conciones ad populum, tum privatas quasque dissertationes & sententias diligenter observasse, & annotasse, & in librorum formam redegisse, unde tres illi Salomonis libri manârunt, qui in sacro Canone censentur, Proverbia sc. Ecclesiastes, & Canticum Canticorum. Nec tamen omnia Salomonem librarijs suis commisisse, sed ipsum quoque scribendo manum admòvisse, & si quæ scripta ab illis, ad limam & ordinem revocasse patet ex Eccles. c. 12. ℣. 12. Ita non nisi pars quædam Proverbiorum dicitur à Viris Ezechiæ in literas redacta, & reliquo libro adjecta Prov. 25. 1. *Etiam hæc proverbia Salomonis sunt, quæ contulerunt homines Hiskiæ Regis Iudæ.*

QUÆSTIO I.

Quæritur verò. An *Ecclesiasten composuerit Salomon ante, an postquam impuro mulierum amore depravaretur*, 1. Reg. 11. 1, &c.

Salomonem neutiquam ante corruptum istum statum, cùm adhuc in pietatis & sapientiæ vigore persisteret, edidisse Ecclesiasten satis liquet: Neque verisimile est Salomonem post tam excitatam vanitatis detestationem, traditasque tot piè vivendi regulas & rationes, illicet in deploratum adeo vitæ sceleratæ barathrum delapsum esse.

Salomonem, librum aliquem sacrum tum exarasse, cùm in turpi illâ cum pellicibus consuetudine, & detestabili Idololatriâ versaretur, divini Spiritus Majestati minus convenire videtur, qui tàm corrupto organo ad divina scribenda usurus tum non fuisset.

Ergo post exploratam abundè rerum omnium vanitatem, appetente senio, æstu cupiditatum defervescente, adeoque post conversio-

nem & actam pœnitentiam Ecclesiasten ab illo exaratum liber ipse passim docet, cumprimis c.2. De resipiscentiâ autem & salute Salomonis (ut hoc obiter moneam) non sinit nos dubitare promissio Davidi facta, 2. Sam. 7. 12, 13, 14, 15. *Quando completis diebus tuis, occubueris cum Patribus tuis, excitaturus est (Iehova) semen post te, quod prodeat è visceribus tuis, & stabiliturus est regnum ejus: Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam solium regni ejus, usque in seculum. Ego ei ero Pater, & ipse erit mihi filius; qui cùm perversè egerit, corripiam eum virgâ hominum, & plagis humanis: At benignitas mea non amovebitur ab eo, quemadmodum amovi à Saule, quem amovi à facie tuâ.* Idem probat præclarum nomen *Dilecti à Deo* Salomoni expresso Dei mandato inditum, 2. Sam. 12. 25. è quo non malè colligitur, eum in electis fuisse, adeoque penitus deficere non potuisse, Matth. 24. 24. Accedit & hoc, quod unus est ex Scriptoribus θεοπνεύστοις, Prophetis inquam illis, quos *omnes in cœlo esse* Servator testatur, Luc. 13. 28. Idem de reliquis Salomonis libris esto judicium.

QUÆSTIO II.

Sententia hæc *quæstioni* ulteriori dat occasionem: *An ij, qui in gravius aliquod crimen prolapsi, post quam pœnitentiam egerunt, Ecclesiasticis officijs præfici vel ad ea revocari possint?*

Afferri solent pro sententiâ affirmante exempla non solùm nostri *Salomonis*, sed & *Davidis*, qui post perpetratum homicidium & adulterium dicat, Psal. 51. 15. *Docebo prævaricatores vias tuas.* Item *Petri*, de quo Greg. l. 7. Epist. 53. *Quid gravius est, aut carnale delictum committere, sine quo pauci inveniuntur aut Dei filium jurejurando negare, in qua ipsum Petrum lapsum esse cognovimus, sed post negationem secuta est pœnitentia, & post pœnitentiam misericordia data est: quia ab Apostolatu eum non expulit, qui antequidem ipsum se negare prædixit.*

Distinguunt hic Casuistæ inter *crimina publica* sive *notoria* & *occulta*: inter *Ecclesiam quæ crimine isto proximè & immediatè scandalizata*, & *alias*: inter *rigorem juris* & οἰκονομίαν: inter *viam ordinariam*, & *extraordinarium necessitatis casum*. Et sanè (haud obstantibus exemplis Salomonis, Davidis, Petri, quippe quæ extraordinaria) ubi alij idonei Ministri haberi possunt, nequaquam eligendi vel revocandi, qui graviori aliquo delicto Ecclesiam scandalizarunt, etiam post peractam pœnitentiam, Ez. 44. 10. *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem*, 1. Tim. 3. 2. *inculpabilem*, Tit.

Tit.1.7. ne vel ipse Momus inveniat, quod meritò reprehendat (meritò inquam à calumnijs enim nemo immunis): idque propterea ne *si nullà in re præbeat* (vel præbuerit) *offensationem vituperetur Ministerium*, 2. Cor.6.3. neque si ipse justè incusandus, authoritatem in aliorum vitijs castigandis amittat; immò infirmioribus offendiculum, extraneis, illis cumprimis, qui non procul absunt à regno cœlorum, sed jam quasi præ foribus stant, ponat obicem. In V.T. etiam minimum corporis vitium abesse debuit ab ijs, qui Deo in Ecclesiâ servire volebant, Levit.21.17,18,19,&c.

USUS. Attamen, si contingat Ministerio defungi talem, qui nequaquam irreprehensibilis, vita ipsius flagitiosa, cumprimis si resipuerit, non ita adverti debet, ut ipsa propterea doctrina vilescat. Gratus erat Eliæ cibus, tam is, qui à corvis, quàm qui ab Angelo allatus erat, 1.Reg.17.6. & 19.6,7. Valeat tum illud Christi: *In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, Omnia quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite, sed secundum opera ne facite, dicunt enim & non faciunt*, Matth.23.2,3. Subveniat quod Apostolus ait: *Habemus thesaurum hunc in testaceis vasculis, ut hujus potentia supereminentia sit Dei, & non ex nobis*, 2.Cor.4.7.

II. AUTHORITATEM Ecclesiastæ quod attinet: meminit *Philastrius in Catal. Hæres.* Hæreticorum quorundam, qui librum hunece repudiarint, quod eum Salomon in extremâ senectute composuisse videatur, cùm depravatus amore mulierum, summum bonum in corporis voluptatibus constituerit.

Sic refert *Majemonides in More Nevochim parte* 2.c.28. fuisse quosdam, qui librum hunc voluerint לגנוז ἀποκρύπτειν sive inter Apocrypha referre, eò quod quædam illius verbà hæresin sapiant.

Luthero sententiam de hoc libro non absimilem tribuit *Bellarminus*, sed immerito, Vid. *Gerh.* in loc. commun. l.1.c.7.

His non obstantibus Ecclesiasten tum ab Ecclesiâ Judaicâ, cui in V.T. tum ab Ecclesiâ Christianâ, quibus in N.T. *divina eloquia concredita* sunt, semper agnitum & habitum pro libro Canonico, & θεοπνεύστῳ nullum prorsus dubium. Characteres divinitatis Lector attentus accedente Sp.S. illuminatione deprehendet facile, sicque judicio Ecclesiæ Dei plenè acquiescet: imo instar Samaritanorum Joh.4.42. non amplius credet propter hoc Ecclesiæ testimonium, sed quod ipse videat, gustet, experiatur, & sciat se præ manibus habere ipsissimum Dei verbum, è Sp.S. dictamine immediato profectum.

III. OBIECTUM & SCOPUM libri quod attinet, propositum est Salomoni tradere Doctrinam ad sapienter, benè beatéque vivendum, in hoc seculo, vel indicare supremum hominis finem, quem in cunctis actionibus suis spectare debeat.

Atque is quidem tum κατ' ἄρην, tum κ' θέσιν multipliciter ab Authore disquiritur.

1. Κατ' ἄρην quidem, dum ab humanis terrenis & sublunaribus magno conatu, studio & labore, tædioque & afflictione vitæ & spiritus insequendis, dehortatur: Quia utcunque illa magnam speciem præ se ferant, dum vel eximias voluptates, vel opes, vel honores, & famæ immortalitatem pollicentur; reapse tamen aliud nihil sint, quam mera vanitas, & inanis spiritus defatigatio: quin imò talia quædam sint inter illa, quæ vel extremam & æternam miseriam homini accersant.

2. Κατὰ θέσιν verò, dum ad veram erga Deum pietatem, decentemque terrenorum usum, ab immodicâ illorum appetentiâ & solicitudine alienum, adhortatur: utpote quem finem qui sibi proposuerit, eum summum hominis bonum ac perennem & hujus (quantulacunque illa) & futuræ vitæ felicitatem assecuturum. In hunc sensum *D. Bernh.* serm. 1. in cant ait: *Ecclesiastes conari abstrahere hominum animos ab affectu rerum sensibilium, & ad cœlestia & spiritualia transferre.* Et *August.* lib. 20. de civ. Dei c. 3. *Vanitati intimanda, totum istum librum vir sapientissimus deputavit, non utiq; ad aliud, nisi ut eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo, qui fecit hunc solem.* Denique *Hieronymus* eundem hujus libri finem agnoscit, in proëmio sui Commentarij: scilicet *ut ad contemptum mundi provocaretur homo, & omne quod in mundo cerneret, haberet pro nihilo.*

Dubium tamen non est, quin Salomon pœnitentiâ anteactæ vitæ ductus se ipsum perstringere, publicamque ejus confessionem scripto hoc edere voluerit, & pœnitentiam suam contestari, simulque populares subditosq; suos immo totam Ecclesiam Dei, suo exemplo, ut sapere discant, commonefacere instituerit.

DOCTRINA I.

Duo igitur requiruntur à pœnitentium professis.

A. *Ne pudeat ipsos anteactæ vitæ turpitudinem fateri*, ubi quidem

dem id ædificationi proximi, Deique gloriæ conducit. Fecerunt id ipsi S. Litterarum Scriptores, *Salomon* in Ecclesiaste cap. 2. cumprimis: Sic fatetur *Moses* infidelitatem suam Num. 20. 10. *David* homicidium & adulterium Psal. 32. & 51. securitatem Psal. 30. *Jonas* inobedientiam suam c. 1. *Matthæus* vitæ genus sceleratum, Matth. 9. 9. *Paulus* blasphemiam & tyrannidem, 1. Tim. 1. 13.

Usus 1. Confessio talis erit calcaris instar ad deprædicandam Dei benignitatem, qui nos in tantum è laqueis Satanæ explicarit, atque in tramitem vitæ perduxerit: Cedet etiam ad peccatorum aliorum solatium, ne de sua conversione & receptione in gratiam dubitent. 1. Tim. 1. 13.

Usus 2. Ne exagitentur vel judicentur temere, neque exprobrentur illis insolentius crimina, qui ea confitentur, siquidem ab illis desciverint, quin potius *lætemur*, de ipsorum conversione, Luc. 15. 7. Quis enim sanæ mentis insultârit Mosi, Davidi, Salomoni, utcunque enormiter peccarint.

B. *Converſi ad alios convertendos omnes intendant nervos.* Fecit hoc Salomon post actam pœnitentiam in Ecclesiaste: spospondit hoc *David, Docebo defectores vias tuas, ut peccatores ad te convertantur*, Ps. 51. 15. præstitit reapse dicens: *Erudiam te, & docebo te quâ viâ ambulaturus sis, consilium dabo, attenta in te oculo meo. Ne estote ut equus, ut mulus*, &c. Psal. 32. 8, 9. Hoc spectavit *Matthæus*, ad symposium quod Christo parârat post conversionem, publicanos & peccatores invitando, Matth. 9. 10. Sic *Andreas* conversus convertit Simonem fratrem, *Philippus* Nathanaelem, Joh. 1. 42, 46. *Samaritana* populares & concives suos: *Multi enim ex urbe illâ crediderunt in eum propter sermonem mulieris illius, testantis, ac dicentis. Certe dixit mihi omnia, quæ feci.* Joh. 4. 39. Id jussit Christus Petrum: *Tu igitur aliquando quum converteris, stabili fratres tuos.* Luc. 22. 32. Perinde ut Apostolus: *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquâ offensâ, vos spirituales reconcinnate hujusmodi hominem cum spiritu lenitatis.* Gal. 6. 1. Et hoc demum est *lucem non ponere subter modium, sed in candelabrum ut splendeat quoq; alijs*, Matth. 5. 15. Hoc demum est *talentum non defodere, sed fœnori dare*, Matth. 25. 27. *lucrari*, inquam, non aurum & argentum, sed hominum animas. Matth. 18. 15. *Fratres, si quis inter vos aberrârit à veritate, & converterit eum quispiam, sciat, eum qui averterit peccatorem ab errore viæ suæ, servaturum animam à morte*, &c. ait Jacobus, c. 5. 20.

Et ut profani & impij id agunt, ut alios sui similes ad peccandi societatem alliciant, seque adeo invicem seducant: ita etiam qui verè resipuerunt, operam dant, ut resipiscentiæ habeant socios, sicque numerus Sanctorum ad Dei gloriam crescat: acin eum finem nihil eorum intermittunt, quod ad deviantes reducendos & lucrifaciendos facit. Velut qui è cœno aut undis emergentes, alijs porrigunt manus, ut & ipsi emergant: Eodem sunt animo verè conversi.

Usus. Qui igitur flagitiosis connivent & abblandiuntur, cogitent: nondum se sincerum peccati odium & pietatis Zelum concepisse, nondum se verè conversos: eoque non desinant precari Deum pro incremento spiritus & conversionis, ut plenum peccati odium, perfectusque virtutis amor corda sua occupet.

DOCTRINA II.

Facile hinc quoque licet de *libri hujus utilitate* judicium facere, de quâ quidem ipse testatur Salomon, c. 12. 9, 10.

Nihil enim potest dici utilius, quàm mundi præsentis contemptus, utcunque nihil insulsius sit mundicolis. Nunquam enim cœlestia pro suâ dignitate æstimabuntur, nunquam, ut convenit, desiderabuntur, nunquam habebuntur, nisi præcesserit vanitatis terrestrium agnitio & contemptus. Ut enim pulvis injectus oculis aciem eorum præstringit, ne videant: sic &c. Nec alia est causa, cur major hominum pars segnis adeo sit in persequendis cœlestibus, quam quod cœcâ & stultâ terrenorum admiratione & amore tenentur.

Habent ergo mundani quique, supremi, medij & infimi speculum luculentum in Ecclesiaste, quo dementiam suam pudendam, contueantur.

Usus. Modo né speculum sit inane, uti Jacobus c. 1. 23. innuit, tale multis esse Scripturam.

DE SECVNDO.

Inscriptio, seu Libri Exordium ita habet:

Verba Ecclesiastæ Filij David, Regis Hierusalem.

Verba, non evanida aut fabulosa quorum nec succus nec sanguis, nec veritas vel authoritas, sicut Cicero in Pisone. Verba (inquit) sunt ineptiæ

eptiæ; sed talia verba, qualia sua esse dixit Paulus Actor. 26.25. adeoque divinæ & gravissimæ decisiones & admonitiones seu Conciones Regis sapientissimi, de rebus summè necessarijs atque utilissimis, quibus subditos & auditores suos ignaros, incertos, fluctuantes, de hominis summo fine & felicitate erudiebat, & confirmabat.

DOCTRINA.

Verbum Dei, non ut sonus inanis ab homine profectus, cui nihil subsit momenti, *à nobis excipi debet, sed ut Dei Verbum*, ut *verbum veritatis*. Joh. 17.17. *verbum vitæ*. Joh. 6.68. Ex. *Thessalonicenses*, de quibus Apostolus, *quod acceptum de Deo sermonem quem audiverint ex se, exceperint non sermonem ut hominum, sed (sicut est verè) ut Dei sermonem*. 1. Thess. 2.13.

Secus profani, irrisores, athei, &c. qui tamen aliquando horrebunt & trepidabunt ad hoc verbum: cùm ad ejus contemptum vindicandum de cœlo venturus est Christus, apparatu longè horribiliore, quàm cùm ad Legem promulgandam olim descenderat, quum vocem ejus tolerare Israelitæ nequibant. Exod. 20.19.

AUTHOR porrò libri tripliciter circumscribitur

I. A *peculiari concionandi provincia*, quam sibi sumpsit Salomon. Dicitur enim קֹהֶלֶת *Ecclesiastes*: Nomen enim hoc nequaquam est nomen proprium Salomonis; quod inter alia ex eo patet, quia inferius c. 12.8. sibi præfixum habet articulum ה (הַקֹּהֶלֶת) cujus, nomina propria nequaquam sunt capacia. קֹהֶלֶת est Participium præsens Kal Gen. Fœminini, à Radice קָהַל significat *eam quæ congregat, congregatricem*, per *Ellipsin*, quasi subintellecto nomine substantivo נֶפֶשׁ *Anima*, vel חָכְמָה *sapientia*: q.d. *Anima sapientia congregatrix*: vel Participio fœminino posito per *Enallagen* pro Masculino, uti Psal. 68.12. Jer. 44.19. cùm verbum masculini generis אמר ei adjungatur, v. 2.

Sunt qui existiment Salomonem ita vocari non tàm propter concionandi munus, quàm propter resipiscentiam, per quam iterum congregata sit anima ejus cum Ecclesiâ, eò quod absurdum sit, eum post lapsum tam gravem in Ecclesiâ constituere Concionatorem.

Nos hîc viæ tritæ insistimus, receptamque interpretationem tantò amplectimur libentiùs, quia קֹהֶלֶת participium est activam potius

quàm passivam significationem habens: &, uti ex dictis eluceſcit, Deus non rarò extra ordinem in Eccleſia ædificandâ eorum quoque operâ uſus eſt, qui illam enormibus ſceleribus non leviter ſcandalizarunt. Salomon itaque קהלת *Eccleſiaſtes*, *Congregator*, aut *Concionator* dicitur, propterea; ſicut R. *Abraham in Faſciculo Myrrhæ* ſcribit, quòd *congregaret cœtus Eccleſiaſticos publicos*, h.e. quod congregatâ multitudine, omniumq; regni ſtatuum concione, publicos ad omnes ſermones vel conciones habere ſolitus, Concionatoris aut Oratoris ſacri partibus hactenus functus eſt.

DOCTRINA.

Non inſolens fuit, in Republica Hebræorum, ut quandoque *Duces, Principes, Reges, univerſo Iſraele convocato, habitis concionibus de mandatis divinis verba facerent.* Sic *Moſes* ſæpenumero, cumprimis Deut. c. 32. & 33. Sic *Joſua*, c. 23. 2. Sic *Job*: *Mihi auſcultantes exſpectabant, & conticeſcebant ad conſilium meum. Poſt verbum meum non iterabant, ita ſuper eos ſtillabat ſermo meus.* Job. 29. 21. 22. Sic *David*: *Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in mediâ congregatione laudabo te: Dicens, timentes Iehovæ laudate eum, totum ſemen Iacobi honorate eum: & timete ab eo totum ſemen Iſraelis.* Pſal. 22. 24. & Pſal. 49. 2, 3, 4. & 78. 1, 2. Sic *Joſias Rex aſcendit in domum Iehovæ, omnesq; viri Iehudæ, & habitatores Ieruſchalaimorum, cùm Sacerdotes & Levitas, cum totus populus à maximo uſq; ad minimum: & legit ipſis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus fuerat in domo Iehova. Deinde ſtans Rex in ſtatione ſua, pepigit fœdus ipſum coram Iehova.* 2. Chron. 34. 30, 31.

Sic *Nehemias* indictâ congregatione publicè concionatur, c. 5. 7.

Quorum veſtigijs inſiſtens *Salomon* noſter, non ſaltem olim publicâ oratione populo *benedixit*, 1. Reg. 8. 14. Sed & nunc concionem iſtam ad cives Hieroſolymitanos habuit, & hujus generis quoque alias, ut apparet ex cap. 12. 11.

Cæterùm ut peculiares fuere cauſæ cur concionandi Provinciam ſibi Viri Principes iſti quandoque ſumpſerint; ſic extraordinarij quoque motus, & inſtinctus Prophetici in illis advertendi ſunt: aliàs enim conſtat publicum & ordinarium docendi munus penes Sacerdotes & Levitas fuiſſe.

Usus. Etſi autem in Eccleſia N. T. docendi munus à functione Magi-

Magistratus distinctum esse debeat: officium tamen Magistratus est, curam Religionis & cultus divini suscipere, legem Dei tueri, pietatem honestatemq; vitæ & morum, sublatis scandalis, omnibus modis procurare, subditos ad eandem seriò graviterque hortari & urgere: id si non publica fiat Concione, fiat utique publicatis scripto mandatis: quæ tamen verba erunt mera, imò Dei ludibrium, nisi severè vindicentur.

VII. A *Patre*. Dicitur enim *Filius David*. Davidem Prophetam fuisse illuminatissimum constat: Hujus enim ipsa Scriptura ei testimonium perhibet. *Viri Fratres, licet liberè dicere apud vos de Patriarchâ David, &c. Propheta igitur cùm esset.* Actor. 2. 29. 30. Salomon verò, etsi Propheta vulgò non vocetur, (ut ait Cyrill. lib. 7. contra Julian. c. 7.) quin tamen Prophetico actus Spiritu fuerit, dum libros istos Canonicos, Proverbia scilicet Ecclesiasten & Canticum concinnaret, ex communi illa D. Petri sententia, *Acti à Spiritu S. locuti sunt sancti Dei homines*, 2. Pet. 1. 21. & tractationis ipsius sublimitate patet. Minus tamen cum Patre Davide comparandus. Etsi enim sapientissimus fuerit Salomon, attamen in rerum cœlestium & divinarum cognitione, Pater Filio longè antecelluit. Quod ergo David allegatur, in commendationem filij facit (Perinde ut quod de pietate Parentum *Iohannis* dicitur, Luc. 1. 56. ministerium ejus non parum commendat) Sic enim innuitur quanto Patre non modo natus sit, sed & educatus, atque à cunabulis institutus: scilicet non modò Rege, sed & Propheta, & quidem sanctissimo, & illuminatissimo, à quo suam in divinis cumprimis rebus scientiam & doctrinam inde à puero hauserit.

Commisit equidem David huncce filium suum Nathani Prophetæ, à quo *Iedidia* vocatus est. 2. Sam. 12. 25. ast ita, ut se nequaquam omni erga eum cura abdicarit, sed unâ cum Nathane fidum egerit Præceptorem. Et certè si præsentem librum Ecclesiasten expenderis, quo mundi vanitatem, veramq; in Dei timore sapientiam describit, eum stylum Davidis redolere, imò non pauca ex Psalmis illius hausta, facilè animadvertes. Ad studium Patris in instituendo Filio, accessit non minus Matris industria, ut liquet ex Prov. 31. 1. *Verborum Lemuelis Regis comportatio, quibus erudiverat ipsum mater ipsius.* *Lamuelem* enim à Matre Bathseba appellari solitum ex amoris teneritate, verosimile est. Blandæ enim ejusmodi appellationes Matribus erga liberos adhuc tenellos usitatæ. Con-

fer etiam 1.Reg.1.37. Benaia ait: *Quemadmodum fuit Iehova cum Domino meo Rege, ita sit cum Salomone: amplificetq; solium eius, supra solium Domini mei Regis Davidis.* Ubi alluditur ad hoc nomen Lemuelis.

Solent aliàs Reges omnem institutionis liberorum suorum curam peregrinis, & quandoque tenuioris sortis hominibus commendare, quos tamen quandoque mox fastidiunt filij, ut qui nec teneri se, nec laudi sibi ducunt à subditis regi, & informari: Inde est quod *Xenophon*, in instituendo *Cyro* de regni administratione, *Cambysus* usurpato nomine, & personâ id egerit, ut sic existimationi *Cyri* consuleret, mitiusque attenderetur. Memorabile igitur istud exemplum, quo Rex Regem, Propheta Prophetam, Pater Filium sacris imbuit.

DOCTRINA.

Proponitur itaque hîc *exemplum educationis liberorum* Parentibus imitandum. Parentum, etiam Matrum est liberos à teneris unguiculis in cognitione cultuque Dei instituere, eosque institutis talibus imbuere, quæ non tantùm, quandiu sub tutelâ & imperio eorum vivunt, sed etiam per sequens vitæ curriculum usui sint, quæque non hanc tantum, sed etiam & quidem imprimis, vitam futuram spectent. *Hæc autem vita æterna, ut te cognoscant solum illum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, ait Servator: Joh.17.3.

Huc faciunt *præcepta* Israelitis data: Ut de significatione Paschatis informent filios, Exo.12.26. promulgationis Legis historiam, posteris inculcent. Deut.4.9. Ipsa Legis præcepta, aliosque ritus & ceremonias divini cultus explicent, & ad Deum timendum excitent, Deut.6.7,20. & c.11.19. & c.32.46. Sic monet Apostolus: *Patres enutrite liberos in disciplina & admonitione Domini.* Eph.6.4

Exempla educationis talis præter Davidem, Prov.4.3. & Batsebam, c.31.1. sunt *Abrahamus*, de quo Deus ipse spem concepit, quod *familiæ suæ toti viam Iehovæ exercituum*, &c. sit monstraturus, Gen.18.19. *Israelitæ pij*, qui posteris suis opera & beneficia Dei in gentem suam explicarunt: atque exinde ad ipsum colendum sunt cohortati. Psal.44.2. & 78.3. &c. *Ezechias* Rex ex lethali morbo vitæ restitutus, idem se præstiturum pollicetur: *Pater filijs notam faciet fidem tuam.* Esa.38.19. Sic *Christus* Dominus duodecennis à Parentibus longo itinere Hierosolymam adductus

ductus est, Luc.2. *Timotheus* ab infantia S. literas didicit, 2. Tim.1.5. eruditus haud dubiè ab aviâ *Loide*, & matre *Eunicâ*, (ex Græco enim Patre erat) quarum fidem commendat Apostolus Actor.16.1. Sic *Leonides* filium Originem ad pietatem educari curavit, Euseb.lib.6.c.2.

Memorabilis illa Patris ad Filium admonitio: *Sape fili mi, & lætifica animum meum, ut respondere possim ei, qui exprobraturus esset mihi rem hanc*, scilicet neglectam justam educationem, si minus pius evaderes, Prov.27.11. Et ut Parentes educatione tali suæ conscientiæ erga Deum & homines optimè consulunt, ita etiam hoc modo longè melius amorem suum erga liberos testantur, quàm splendidioribus vestimentis, exquisitioribus esculentis, & remissioribus vitæ habenis. Exemplo Parentum Salomonis, Batsebæ cumprimis, quæ tenerrimum erga filium suum affectum eruditione ejus, quàm maximè exeruit. Sed de his fusius aliàs.

III. *A Regno.* Vocatur *Rex Hierosolymis.* Sic Eccl.c.1.12. Observandum:

a. *Quod titulo suo non omnem ditionem proferat*, cujus Rex erat; Neque enim se vel Israelis, & Judæ Regem dicit; sed Hierosolymæ, quod ipsum argumento est humilitatis: solent enim moderni Reges fusilimis titulis ampullari, & nonnunquam earum regionum imperium sibi tribuere, quibus vix latum pedem possident.

b. *Quod solius Hierosolymæ mentionem facit*, excellentiam ejus civitatis commendat; quasi nimirum sufficeret ad Regis majestatem commendandam, si unius Hierosolymæ Rex fuerit. Vix enim unquam sub sole civitas fuit, cujus tanta fuerit dignitas & amplitudo. Thren.1.1. dicitur *Princeps gentium, Regina Provinciarum*, quia velut in medio terræ locata, cunctas alias gentes, regna, & populos circumfusos habebat, uti apud Ezech.c.5.5. & 38.12. innuitur. *Plinius urbem totius Orientis clarissimam* appellat. Cumprimis verò Salomonis tempore magna fuit laus Hierosolymæ, quia eò, tanquam ad quoddam sapientiæ Palladium undique omnes gentes confluebant, ut dicitur 1.Reg.4.34.

His addo, quòd civitas Dei fuit, quâ cultum suum deposuit, quâ sola vera veri Dei cognitio, & Religio vigebat: quâ denique templum magnificentiâ suâ stupendum, ipsius velut Dei sedes & habitaculum, stetit, &c.

c. *Concionem istam Salomonis in urbe Hierosolymâ*, ad ejus cives, proceres pariter regni ac aulicos, atque plebeios advenasque, *habitam fuisse.*

Credibile est Rege ad impuros amores & Idola projecto, penes subditos non minus turpia quæque scelera inoleviſſe, maximeque aulicos patraſſe, quo quemque ſua rapuit libido; juxta illud, *Qualis Rex, talis grex: Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Rege igitur ad pœnitentiam reducto, prima ejus cura fuit, ut ſubditos quosque ab immodicâ terrenarum rerum curâ & delicijs mundanis abſtraheret, & ad Deum unicè vitæ ſanctimoniâ colendum adduceret: quod ſanè efficacius fieri non poterat, quàm ſi ſuum ipſius exemplum obtenderet; quàm ipſe longâ & exquiſitâ experientiâ vanitatem præſentis ſeculi edidicerit, unicumque utile ſac juſtum eſſe deprehenderit, TIMERE DEUM. Hoc igitur agit, non minore authoritate, quippe *Rex* imperandi facultatem habens; quàm fructu, quia *ſapientiſſimus*, ſuoque prælucens exemplo, experientiâ ipſa edoctus. Si enim afflictus aliquis atque famelicus, de mundi vanitate diſſeruiſſet, minus id habuiſſet ponderis; quod ea execrari, quæ non habeat in ſuâ poteſtate, ſeculoque huic ideò ſuccenſere exiſtimatus fuiſſet, quod illud minus haberet ſibi propitium. Si quis alius non quidem infelix, aſt mediocris fortunæ idem egiſſet; nec hic quicquam profeciſſet; quia, quod loqueretur de re minùs compertâ, quantumque afferrent felicitatis, ampliſſimę divitiæ & honores, atque exquiſitiores deliciæ, minus compertum haberet; eidem objici potuiſſet. Sed quod tantus Rex, cui tantam defert laudem ſcriptura, quòd omnes Reges, magnificientiâ, ſapientiâ, divitijs exceſſerit, 1. Reg. 10. 23. mundana cuncta vanitatis damnavit, utique apud omnes fidem meretur.

DOCTRINA.

Tantò majoris liber iſte faciendus, quod profectus à *Rege*, (Nam ſi olitor opportuna locutus non aſpernandus, quantò minus Rex,) quod Authorem habet non Regem profanæ alicuius gentis, ſed Regem populi Dei, *Regem Hieroſolymis* ubi ſolùm Deus olim notus erat. Regem non infelicem, inſipientem, inexpertum, ſed felicem, ſapientem, omnia expertum, imo feliciſſimum, ſapientiſſimum, experientiſſimum.

USUS. Commendatam itaque nobis habeamus libri hujus lectionem, & conſiderationem. *Habemus* & hîc *firmum ſermonem Propheticum, cui ſi attendemus benè faciemus*, 2. Pet. 1. 19.

HO-

HOMILIA II.

TEXTVS. ℣.2.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

ETsi Deus cõmuniter vilium personarum operâ uti consueverit, in voluntate suâ & verbo enunciando; *ut virtus non ex hominibus esset, sed ex Deo*, 2. Cor. 4. 7. quin tamen, quasi extra communem ordinem, magnos quoque & principes viros adhibuerit, exempla *Iosuæ*, *Davidis*, *Iosiæ* Regum; *Esaiæ* qui de regio sanguine cretus erat, aliorumque docent. Illustre cumprimis Regis Salomonis, qui Ecclesiastę munus adsciscendo, Concionem ad subditos habuit memorabilem. Quum enim in ipso, mundum universum, omnem suam gloriam conjecisse videretur, ceu in parvâ quâdam compagine; idem tamen experientiâ edoctus, totam & omnem illam vanitatis damnavit, ut auditorum animas ad cœlestia & æterna meditanda attolleret.

Titulum & Inscriptionem libri nuper vidimus. Nunc σὺν θεῷ ad ipsam Concionem explicandam accedimus. Dictum nuper, scopum & argumentum libri esse, *de ultimo hominis fine*, quem sibi in omni vitâ, cunctisque actionibus præfigere debeat homo.

Argumentum sanè ut utilissimum, ita necessarium summé: vivere enim in mundo, ut in nullum certum finem vitæ collimes, est viam ingredi, & metam nescire quó vergas. Adde quod ex consecutione summi finis, siquidem is verus fuerit, summa quoque hominis felicitas dependet, seu summum hominis Bonum; in quo scrutando, ut laborioſi fuerunt Philosophi gentiles, atque in sententias penè innumeras abiêre, ita quod illud esset, assequi potuerunt nunquam, multoque minus alijs illud commonstrare.

De hoc igitur summo hominis fine, ex dictamine Spiritus Dei, Rex sapientissimus, *duobus aphorismis* agit; *quorum unus in libri exordio, alter in colophone extat. Illo* ostendit, *Quis non esse debeat hominis finis*, Nempe *insecta-*

sectari terrestria & caduca. Pro quâ sententiâ αἰτιολογίαν ejus adduxit; Quia scilicet omnia sint vanitas, &c.

Hoc verò exponit, *Quis igitur ille esse debeat?* Nempe *Timere Deum*, & mandatis ejus obsequi, cap. 12. ℣. ult. Ad has igitur duas sententias ceu propositiones generales, omnis libri tractatio pertinet, & referenda est.

Circa primam sententiam duo edisserenda.

I. *Quam vana sint omnia.*

II. *Quæ illa omnia, quæ vana.*

DE PRIMO.

Vanum dicitur quod est quasi *vacuum*, caretque re quæ inesse debebat: item quod est *inconstans* & *mutabile*, quod cito perit: hinc enim videtur descendere verbum *evanescere*: Item quod verum non est, sed falsum, fallax & mendax (sic mendacia, dicuntur verba vana) quodque non præstat id quod externâ specie pollicetur, sicq; frustratur spem nostram, Nobis Germanis Eytel *Nihil* significat: ut si dixeris, Diß ist eytel Gold: Idem est ac si dicas, Hoc nihil nisi aurum. Indicatur ergo ea, quæ esse aliquid videntur, nihil tamen revera esse, sed merum & inanem fucum ac speciem: quemadmodum de toto orbe loquitur Apostolus, 1. Cor. 7. 31. *Præterit σχῆμα figura mundi istius.* Unde quidam Vanitatem istam cum somnio, oris vapore, aut fumo evanescente, bulla despumante, conferunt. Observanda autem in pronunciato isto Salomonis, *tum* vehementia & ardor dicentis, *tum* emphasis dictorum seu verborum.

A. *Vehementiam & ardorem* dicentis quod attinet: Rex quasi inexstasi constitutus, quasi extra se raptus, & de terrâ in cœlum sublevatus, cum admiratione ex abrupto, exclamat. *Vanitas vanitatum*, &c. ut *Xerxes* ex alta specula exercitum suum innumerabilem fermè, contemplatus illacrymans dixit, post 100. annos nemo ex his superstes erit: Ita Salomon mundum hunc inferiorem spectans, clamat *Vanitas!* Vox ipsis cœlitibus digna. Verè enim in alterâ illâ vitâ clamabimus omnes, *Vanitas vanitatum!* quæ nunc ægrè, & reclamante quasi conscientiâ proferimus, quia nimirum adhuc in carne & mundo præsente ambulamus.

B. *Ver-*

B. *Verborum verò tanta est emphasis*, ut extremam plane & contemptissimam vanitatem mundanis rebus subesse, innuere voluerit.

a. Dicit enim *primo*, *Vanitas vanitatum*: הֶבֶל הֲבָלִים Sic apud Hebræos circumscribitur Superlativus, Nominativo scilicet singulari & Genitivo plurali eujusdem vocis, cum singulari energia, v.g. *Rex Regum*, *Dominus dominantium*, h.e. summus Rex & Dominus: *Cœlum cœlorum*, h.e. supremum cœlum: *Servus servorum*, h.e. summâ & vilissima servitute pressus. Ita hic *Vanitas vanitatum* summam vanitatem denotat, q.d. minus quàm nihil esse cuncta.

b. *Secundò*, utitur *vocibus abstractivis*; Neque enim nudè dicit, cuncta esse vana, sed *Vanitatem ipsam*: Etiam hoc modo superlativum efferunt Hebræi, ut cùm Deus *Abrahamo* dicit, Esto בְּרָכָה *benedictio*, i.e. benedictus maximè, Genes. 12. 2. Ita Ægyptiorum תּוֹעֲבַת *abominatio* omnis pastor pecoris, id est abominabilis valde, Genes. 46. 34. Locutiones similes occurrunt, Cant. 5. 16. Esai. 1. ℣. 7. Hoc sensu Deus vocatur ipsa sanctitas, charitas. Christus nobis *dicitur factus sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio*, 1. Cor. 1. 30. Ita si quem stultissimum dicere volumus, dicimus esse stultitiam ipsam: Sicuti cùm Deum optimum, sapientissimum, justissimum dicere volumus, dicimus esse bonitatem, sapientiam, justitiam ipsam.

c. *Tertiò trinâ utitur repetitione*. Iterum ad summam vanitatem denotandam, & simul etiam in rei confirmationem, ne aliud agenti verba ista excidisse Regi viderentur: q.d. Ita est, ut dixi, non aliter, &c. Talem enim emphasin habet trina repetitio, ut in illo Esai. 6. 3. *sanctus, sanctus, sanctus*, i.e. omninò sanctus, & sanctorum omnium sanctissimus, & Jerem. 7. ℣. 4. *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini*. Sic dicitur Deus ter Optimus Maximus, h.e. summè talis.

Usus. O si quis igitur alius centies, milliesque reclamaverit, ita se rem non habere, atque Salomonem de hoc mundo nimis leviter aut injuriosè judicasse: Is toties illum habebit refragantem; & quidem Regem, eumque opulentissimum, magnificentissimum, sapientissimum, eaenusque divinum, omni exceptione Judicem majorem.

Valeant ergò mundanorum cavilla vanissima.

C DE

DE SECVNDO.

Omnia, dicit Ecclesiastes, esse vanitatem. Sanè cum micâ salis, & cum exceptione.

Distinguendum ergò inter *divina* & *cœlestia*; Et *terrena* hæc atque *sublunaria*.

A. Inter *divina & cœlestia*, est ipse cumprimis *Deus*, qui immutabilis, Mal.3.6. *penes quem nulla mutatio, imò ne quidem nulla transmutationis umbra*, Jac.1.17. atque ut cuncta alia Nihil sint, ipse solus est Jehova, Deus à se subsistens, essentia ipsa, esse dans cunctis alijs, si quod habent. Exo.3.13.

Excipiuntur deinde *opera quæcunq;* Dei, quorum alia est, quàm actionum humanarum ratio. Illa enim nequaquam vana, sed potiùs *mera sunt veritas, justitia* & *sanctitas*: Psalm.25.10. Sic verbum Dei non vanum, sed æternum; *Exaresc̃t gramen, decidit flos, at verbum Dei nostri permanet in seculum*. Esai.40.8. Idem dicitur de fœdere Dei, *Quamvis montes recederent, & colles dimoverentur: attamen benignitas mea non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Jehova*. Esai.54.10. Deinde *Angeli sancti*, in bono confirmati: ut & *spiritus perfectorum justorum*, qui vanitatem hujus seculi effugêre, translati in perennem vitam, ἰσάγγελοι, Luc.20.36.

B. Ergò *inferiora*, hæc cuncta, cœli ipsi aspectabiles, (ut ex proximo ℣.5. colligere est) & quæcunque suo complectuntur ambitu, vanitatis damnavit Salomon. Quorum tamen non omnium eadem est ratio, nec proinde par vanitas. Sunt enim vel *Res naturales*, Dei videlicet Creaturæ: *vel Humanæ*, opera videlicet, actiones, & labores hominum quibus occupati sunt, & fatigantur.

a. Quod *Creaturas Dei* attinet, impius foret in Deum, qui illas sine omni moderatione vanas, h.e. nullius precij vel usûs esse diceret. Constat enim illud Genes.1.℣.3. vidit Deus quæ fecerat, & erant *valde bona*. Creaturæ igitur Dei, cœlum, terra, maria, homines, bruta, terræque genimina, &c. per se spectata, atque in suo fine & ordine à Deo constituto considerata, vana sunt minimè: Namque & gloriæ Dei depredicandæ præbent materiam, & usibus viventium creaturarum necessariò serviunt. Vanitati tamen & illa subjecta sunt, suo modo, suasque ob causas.

1. *Primò*,

1. *Primò* quidem *collata cum Deo*, cujus tanta est perfectio, ut cuncta alia ejus respectu vana, nullius precij dici debeant: imò Nihil, non entia. Quo sensu Rex Nebukatnezar, nobilissimam Creaturarum Hominem (nemine prorsus inter Homines excepto, ac ne Regibus quidem, sed omnes in universum homines,) Nihil esse pronunciavit, si cum Deo conferantur. *Exactis verò temporibus illis, ait, ego Nebukadnezar oculos meos ad cœlum sustuli, & mente meâ ad me reversâ benedixi, & viventem in perpetuum laudavi ac glorificavi: quòd dominatus ejus sit dominatus æternus, & regnum ejus in omnes generationes: Omnes verò habitatores terræ ut nihil reputentur.* Dan. 4. 34, 35. Ita apud Esaiam c. 40. 17. *Omnes Gentes velut nihil sunt coram eo; minus nihilo & inanitate reputantur ei.* Ut enim accensæ candelæ de nocte lumen commodum præbent, quarum tamen fulgor Oriente sole mox evanescit: Ita utcunque res à Deo creatæ in se admirabiles sint, si tamen cum conditore suo comparentur, nihil erunt; nisi umbra ad solem collata. Eaque propter miratur *David*, quòd Deus ullam hominis curam gerat, *cùm Nihil sit coram ipso.* Psalm. 144. 3, 4. Quantò id verius de reliquis creaturis, quæ homine sunt inferiores, & propter eum conditæ?

2. Ratione *mutabilitatis* & *inconstantiæ* ipsarum, ut quæ nunquam in eôdem statu permanent. Videmus enim cuncta nasci denasci, oriri occidere, augeri minuivè, variasq; subire vicissitudines. Quam quidem de homine vanitatem, ejus, inquam, fugacitatem & mortalitatem Scriptura passim luculentis similibus explicat. Psalmo cumprimis 37. 8, 35, 36. & 90. 5, 6. & c. Esai. 40. 6, 7. Jacob. 4. 14. Qua de re infra fusiùs.

Eandem de reliquis creaturis totoq; adeò hoc visibili mundo vanitatem testatur Apostolus Rom. 8. 20. *Vanitati mundus hic conditus subjectus est, non sua sponte, sed propter eum qui subjecit eum. Mundus præterit, & cupiditas ejus*, ait Johannes, 1. Ep. 2. 17.

3. Propter eorundem *inanitatem* ac *fallaciam*. Quippe quæ magnam forinsecus speciem habent, plusque ostentant & pollicentur; quàm intus habeant & reapse præstent, nec ullatenus hominis desiderium explere valent. Similes umbræ aut picturæ, quæ nihil sunt, nisi vana superficies sine solido corpore: itemq; divitibus in speciem, cùm nihil habeant nisi debita: aut falsiloquis, fucato sermone veritatem professis, cùm mendacium dixerint: parietibus item incrustatis; aut sepulcris dealbatis, Matth. 23. 27. Pomis Sodomæ nascentibus, Solin. cap. 44. Ne-

que enim res istæ visibiles homini conferunt quæsitam felicitatem, utut tale quid videantur mundicolis polliceri. Si enim (dicente *Christo* Matth.16.26.) quis *totum mundum possidere, & animæ animæ damnum facere posset*; palàm est, nihil minus quàm summum hominis bonum, vel in totius mundi, & quæ in mundo sunt possessione, subsistere. Nec enim vel in hunc finem condita sunt a Deo visibilia ista, ut finis essent hominis, in quorum adeptione aut perfruitione subsistere debeat; sed ut media duntaxat essent, & adjumenta, ad optimum illum finem pertingendi, in quo æterna hominis beatitudo consistit. Quæ igitur rebus terrenis hactenus subest fallacia, non ipsis magis deferenda est, quàm hominis corrupto judicio, qui solidum quid & perenne in illis quærit. Verissimè *Augustinus*, de moribus Eccles. cap.21. & de verâ Religione cap.21. *Nisi sunt vanitantes, non erunt aliæ vanitates*: idque venustâ similitudine explicat, arundinis scilicet in aquam immersæ; quæ cùm appareat fracta, nulla est arundinis culpa, sed vel visus vel judicij deceptio, fractam censentis. Hinc que est quod Paulus Ephesios admonet, *Ne ambulent in vanitate sensus sui*. Ephes.4.17. quibus verbis omnem vanitatem rerum sublunarium, videtur in sensus humani vanitatem reijcere.

b. Maximè verò *Res humanas* videtur Ecclesiastes vanitatis damnare; (ut enim homo microcosmus; sic epitome vanitatis,) h.e. hominum circa res terrenas occupationes, studia, consulta, labores, operas, curas, actiones, &c. quibus sese fatigant & consumunt: Et quidem partim *stolidè & inaniter*, dum summam in illis felicitatem aucupantur, quam non continent: *tum impiè & exitiosè*, ut Dei obliviscantur; & cœlestia atque æterna negligant; imò multiplici creaturarum abusu Deum offendant, atque in medià illâ felicitate quam sibi imaginantur, æternum sibi exitium accersant. Hîc igitur jure exclamaverit cum *Iuvenale* Satyr.1.

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane!

Liquet autem è sequenti tractatione, inania ejusmodi hominum studia, ad tria genera reduci posse: vel enim laborant, ut congerant opes: vel ut gloriam & majestatem assequantur: vel ut delicijs carnalibus perfruantur. Quàm verò vana sint ista cuncta, si cum excessu & abusu tractentur, suo experimento Salomon nos docebit: (quem proin vanas aliorum de hominis felicitate opiniones, libro hoc collegisse & refutasse, veteres quidam non absurdè statuêre) Dico, *cum excessu & abusu*: Ut enim aurum per se bonum est; pessimum tamen, si ex auro Idolum fabri-

fabricetur: Ita sint sanè terrena hæc non omninò mala; pessima tamen erunt, si in Idola transformentur, si eorum nimirum tractatio hominis est in hâc vitâ finis, ut certè multorum est, &c.

USUS hujus dicti multiplex.

1. Ad *contemptum rerum humanarum* suadendum. Quis enim non umbras, somnia, bullas, fumos, cassasque spernit araneas, tanquam res nihili? atqui hæc ipsa Ideam præbent rerum mundanarum: Stolidus igitur jure censebitur, qui aliquid illis tribuit; ea quærit, consectatur, miratur. *Filij hominum, ut quid diligitis Vanitatem?* Psal. 4.3. opes, honores, delicias terrenas, quæ ipsa sunt vanitas, & quo majores eò vaniores. Ut enim fumus, quò altius ascenderit, eò tenuior evadit, ac evanescentiæ proximior est: Ita quo quis magis opibus, honoribus mundanis abundat, tantò plus possidet vanitatis. Quantò igitur minus in illis sperandum aut locanda fiducia? Sunt *baculus arundineus quassatus*, Esai. 36.6. Hinc est, quòd fiduciam in hominibus, quibuscunque demum, locare veramur passim, quia vanitas sint, etiam Reges & Principes. *Tantummodò vanitas sunt nati plebeio homine, mendacium sunt nati præstante viro: lancibus illi simul impositi, ascenturi sunt supra vanitatem. Ne confidatis oppressioni.* &c. Psal. 62.10,11. *Ne fiduciam habetote in ingenuis, in ullo filio hominum, penes quem est nulla salus: Exit spiritus ejus, revertitur in terram suam; die eodem pereunt cogitationes ejus.* Psalm. 144.3,4. *Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum.* Jer. 17.5. Contra in solo Deo sperare jubemur. *Confide Iehovæ*, Psalm. 37.3. *In Domino Iehovâ pono receptum meum.* Psalm. 73.28. Minimè verò omnium extrema in illis felicitas constituenda. Næ tales se deceptos sensêrunt, sentientque omnes. Quæ enim esse possit felicitas, quâ nihil falsius, imperfectius, inconstantius, damnabilius?

2. Ad *insolentiam deponendam.* Quibus enim res humanæ lætè fluunt pro voto, plerunque insolescunt. Exemplo *Davidis, Ego dicebam*, ait, *in tranquillitate meâ non dimovebor in seculum.* Psalm. 30.7. *Huzzia, quis ubi confirmatus est, extulit se animus ejus usq; adeò ut se corrumperet, & prævaricaretur contra Iehovam Deum suum.* 2. Chron. 26.16. Sic *Israelitæ* de quibus Deus queritur: *Simul ac saturati sunt, elatus est animus eorum, idcircò oblati sunt mei.* Hos. 13.6.

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis, &c.

Huic malo non est præsentius remedium, quàm crebra & seria vanitatis hujus seculi meditatio; & instabilitatis præsentis fortunæ. Ad quam quidam serò nimis, suo damno sapientes facti, accessêre. Illustre cumprimis exemplum narrat *Procopius* lib. 2. de bello Vandal. de *Gilimero Rege Vandalorum*, qui ductus in triumphum à *Belisario*, ubi in Hippodromo Imperatorem Justinianum in altâ sede constitutum, populumque astantem conspexit, ac demum seipsum in quod fatum pervenisset, consideravit, neque flevit, neque aliter conquestus est: tantum illud Hebræorum voluminum memoravit; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sed & hic ipse *Belizarius* vanitatem hujus seculi expertus est. Is sub Justiniano Ducum fuit præcipuus, gratiâque apud Imperatorem adeò valuit, ut moneta cuderetur, cujus unum latus Imperatoris, alterum Belisarij imaginem ostentabat, cum hâc inscriptione, *Belizarius Romanorum decus.* Sed en vanitatem rerum humanarum! Ab hoc ipso *Belizario* Cæsar post tempus aliquod non admodum longum, partim delationibus, partim suspicionibus abalienatus erat adeò, ut dignitatibus & opibus privatus, effossis in pœnam oculis, in compitis stipem mendicarit, viatores hac formula allocutus: *Viator concede Belizario obolum, quem livor non error excæcavit.*

3. Ad *Consolationem cordibus inferendam*, in defectu opum, honorum, gaudiorum, &c. Maximè si bonis exuimur, aut honorum facimus jacturam: meminerimus enim nihil nos perdidisse, quàm quod revera nihil, vanum, inane? Imo judice Paulo, *Stercus*, Phil. 3. 8. Sanè rem futilem perdere, nemini molestum. Quin imò ne ob nostrorum quidem jacturam lethalem nimium nos affici oportet, memores, quòd mortales fuerint. Ita Philosophus ille, percepto nuncio de morte filij in bello perempti, non lacrymasse fertur, sed dixisse solùm, *sciebam me mortalem genuisse.*

4. Ad *comprimendam invidiam:* quæ non rarò torquet mortales, ut retorto oculo aliorum divitias, honores, voluptates, præsentemque felicitatem contueri cogantur; maximeque improborum, se verò afflictos, egenos, &c. Nec diffitetur *David* plurimum se quoque ex hoc affectu mœroris & doloris concepisse, Psalm. 73. 2, 3. Verùm, qui cum eòdem *Davide* meminerit, & vana esse, quibus efferuntur; & vanos esse ipsos quibus eadem accidunt; & infeliciſſimum exitum subse-

qui

qui,&c. næ is suâ sorte contentus, in Domino acquiescet. *Ne accendaris irâ propter maleficos, ne invideas facientibus iniquitatem: nam sicut fœnum citò succidentur, & sicut viriditas herbæ decident*, Psalm. 37. 1, 2. *Ne æmulator malignos, neq; desiderato esse cum ijs*, &c.. *Ne accendaris irâ propter maleficos, ne invideas improbis, lucerna improborum extinguetur*. Prov. 24. 1, 19, 20. *Fulgentius* cùm Romæ spectaret Regem *Theodoricum*, circumdatum Romana curia, senatu, & nobilissima pompa, non se continuit, quin efferret istam sententiam, *Vanitas*, &c. Ita nos, si aspexerimus alios splendore hujus seculi fulgentes, &c.

5. Ad *accendendum desiderium earum rerum, quæ non sunt Vanitas*; supercœlestium nimirum, divinarum, æternarum. *Excellentis illa gloriæ pondus sunt æternum*, judice Apostolo 2. Cor. 4. 18. *Quàm speciosa* (ait ille) *potest esse Ierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas, diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem! O mortalium fragilis, & caduca natura! & nisi Christi fides nos extollat ad cœlum, & æternitas animæ promitteretur, cum bestijs ac jumentis corporum una condition est*. S. Hier. in Epitaph. S. Paulæ.

Concludo. Sublimis hæc & cœlo digna vox, quam Salomon emisit, (ut ait *Chrysostomus*) *quam propterea assiduè recolamus*, & secundum eundem *Chrysostomum* homil. in Eutrop. *hoc dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in vijs, in fenestris, in januis, sed potissimùm in cujusq; conscientia inscriptum sit & maneat, omniq; tempore cogitationi obversetur: hoc dicto in prandio, in cœnâ, in cœtu hominum, quemquem proximum nostrum compellemus, idemq; ab illo vicissim audiamus.*

HO-

HOMILIA III.

TEXTVS. v. 3,4.

Quid emolumenti est homini; ex toto labore suo quo laborat, sub sole? Generatio una abit, & altera advenit: quamvis terra in seculum permaneat.

AIt *Servator* Matth.19.23. *Quàm difficulter introibit dives in regnum cœlorum!* Quibus verbis non modò avaros perstringit, sed in genere omnes, qui plus æquo circa res mundanas sunt occupati. Certissimum enim est nimiam terrenorum insectationem, hominem ab indeptione bonorum cœlestium & æternorum, remorari, Matth.6.24. Ut autem nimius terrenorum amor ex animis hominum extirpetur, plurimum facit attenta vanitatis & ἀσυνέτιας ipsorum consideratio: quam velut in speculo contemplandam exhibet sapientissimus Rex libro Ecclesiastæ, quem nuper interpretari occepimus.

Vidimus generalem libri Propositionem Negativam: Nempe terrena & sublunaria homini insectanda non esse. Ratio, *quia vanitas vanitatum, & omnia sint vanitas.* In sequentibus porrò αἰτιολογία hujus Propositionis discutienda venit.

Præmittitur generalis probatio, duplex: *Prior* petita *à ratione*: quia videlicet nulla constans, vera, aut perfecta felicitas, elici aut haberi possit, è rebus ipsis terrenis. *Posterior ab ipsius Salomonis testimonio, seu experientiâ.* Circa *Priorem*

I. *Thesis ipsa, seu Propositio*
II. *Eius Exegesis seu Declaratio spectanda.*

DE

DE PRIMO.

THESIS per interrogationem exprimitur, ℣.3. *Quid emolumenti est*, &c. seu *Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole*: Was bringt er darvon? Eadem sententia repetitur c.3.9. Observandum ante omnia, quod nuper dictum, Salomonem, quum omnia Vanitatis damnavit, cumprimis respexisse ad hominum studia, curas, & labores, quibus circa terrena & subsolaria occupati sunt. Ideoque expresse nunc *laboris* meminit, quo homo distrahitur. Quia verò sententia ista absurdiuscula videtur, distincte dispiciendum,

I. Quo de labore sermo sit.
II. Quatenus omnem ei usum deroget.

I. *Prior Quæstio* necessaria est, ne videatur *Salomon* patrocinari hominibus ignavis, securis, atheis, qui vitam agunt inordinatam; aliorumque sæpè labores & industriam in fungendâ vocatione, falsè rident.

A. Observandum ergo, *Salomonem* notabile discrimen facere inter laborem hominis *subsolarem*, & *supersolarem*. Dicit enim *quo laborat sub sole*, h.e. sub cœlo, vel in hâc terrâ, quæ soli subjecta est: Hoc verò dicendi genere, *non tam locum vel officinam laborum* hominis designare voluit; *quàm laborum genera & qualitatem*: Ut *labor sub sole* sit, occupatio, solicitudo, & conatus hominis, quo in insectandis, acquirendis, aut provehendis rebus subsolaribus, terrenis eoque caducis allaborat: cujusmodi sunt divitiæ, honores, potentia, sapientia mundana, voluptas & gaudia carnis, &c. *Labor verò, qui super solem* peragitur, sit, quâ mens hominis, spretis his inferioribus, terrenis, & caducis, supra omnes cœlos & astra evehitur, atque in contemplatione & insectatione rerum cœlestium, divinarum, & æternarum est occupatissima: juxta illud Apostoli, *Superna quærite ubi Christus est; superna sapite*, &c. Col.3.1,2. Itemq; *Non spectamus visibilia, sed invisibilia: nam quæ visibilia sunt, temporaria sunt: at quæ sunt invisibilia, æterna*, 2.Cor.4.18. *Omnia sub sole vanitas, super solem veritas.* Paulin. Ep.4. Et hunc quidem laborem *exercitamentum pietatis* nuncupat idem Apost. *Exerce te ipsum ad pietatem*, 1.Tim.4.7. Non ergo *Salomon* hîc sermo est, de hoc supersolari laboris genere, ut eum ceu inutilem

reijciat; sic enim reclamantem haberet Apostolum, loco modo citato, sed de *Priore*.

B. Rursum verò nec *subsolaris labor omnis reijcitur*. Laborat enim Homo fidelis, vel *patiendo*, vel *agendo*.

a. *Patiendo* quidem, dum varias afflictiones, ærumnasque à Deo submissas sustinet; etiamque diras nonnunquam persecutiones & mortem pro Christo ejusq; Evangelio perfert, & quidem congruenter & patienter: qui quidem labores ut justi, sic fructuosissimi; juxta illud Apoc. 14. 13. *Requiescunt à laboribus suis, & bona opera sequuntur eos*, h.e. recipiunt præmia gratuita suorum laborum.

b. *Agendo* verò, vel *decenter*, vel *exorbitanter*.

α. *Decenter* quidem, dum vocationis honestæ munia diligenter exequitur; eum quidem in finem, ut juxta ordinem à Deo primitùs institutum, victum aliaque βιωτικὰ, tum pro se, tum proximo, cumprimis domesticis acquirat. Qui quidem labor ut à Deo mandatus est, Gen. 3. 19. *In sudore*, &c. Ita ultra hunc scopum, quod quidem ipsum hominem attinet, extendi non debet (aliàs obsequendi Deo, & proximum juvandi fine, laborandum quoque.) Ideò dicitur Psalm. 128. 2. *Nutrieris labore*, &c. eòdemque tendunt dicta Apostolica, Ephes. 4. 28. Thess. 3. 12.

β. *Exorbitanter* verò, dum ingentes curas, molestias, & labores sustinet, ut præter necessaria hujus vitæ, amplius quid sub sole impetret, & acquirat; veluti (ut dictum) superfluas divitias, eminentiam præ alijs, sapientiam, delicias carnales, &c. eo quidem animo, tanquam si in ejusmodi rebus, vera, constans & perfecta hominis felicitas, aut summum ejus bonum subsisteret.

Quanquam nec ejusmodi quidem studia, simpliciter orco devoveat *Salomon*: Si cui scilicet per media justa & æqua honores, divitiæ, scientia & sapientia, corporisque gaudia modica obtingant: imò constat inter Dei dona & benedictiones ista connumerari, quæ pijs promissæ, multisque eorum collatæ sunt; unde contemnere & reijcere ea, quæ largâ suâ Deus offert manu, piaculum esset.

Observandum tamen, quibus ista verè à Deo obtingunt, non multis curis & laboribus macerari; quia velut in *somno* talia illis largitur Deus, Psalm. 127. 2. ex suâ *benedictione, qua ditat & nullam secum adducit molestiam*. Prov. 10. 22. Ergo de immodicis & ærumnosis laboribus hominis loquitur, quibus in insectandis terrenis occupatus est; dum sibi ista pro scopo & summo

& ſummo bono figit; nihilque curarum, moleſtiarum, & periculorum ſubterfugit, vitamque adeò præſentem ſibi amaniſſimam reddit, modò illa aſſequi poſſit.

II. De hoc nunc laboris genere, quærit ſecundò *Salomon*, *Quid habet amplius homo de labore*, &c. q.d. Ediſſerat mihi quiſpiam, quem fructum, aut quod emolumentum inde percipiat: Ego quidem nullum video, niſi ipſam vanitatem, penitusque Nihil. Et hoc quidem, tum de *præſenti*, tum *futurâ* vitâ intelligi poteſt.

A. De *præſenti* quidem, certum eſt, Ex laboribus ejusmodi in terrena impenſis, nullum alium fructum conſequi, niſi vanitatem & moleſtiam: *Vanus circa vana labor*. Ideò reliquo libro paſſim & ſpeciatim oſtendit *Salomon*, cuncta iſta, in quibus mundani ſummam felicitatem collocant, quæque indefeſſis improbisque laboribus inſectantur, vaniſſima eſſe: Itaque ſi velut expenſi & accepti rationes ineantur, fructus iſtorum laborum tanti non eſſe faciendos, quanti ſunt labores ipſi: quin imò, dum homo videatur iſta ubertim aſſecutus eſſe, facto ipſo deprehendi, quòd nihil aliud lucratus ſit, quàm quòd curas curis, labores laboribus, moleſtias moleſtijs cumularit: Siquidem ut quæ parta ſunt retineantur, curam; ut ad uſum traducantur, laborem requirere: Sin verò amittantur, quo nihil eſt in rebus ſuâ naturâ fluxis, tritius, dolorem parere exquiſitiſſimum.

Excipitur tamen vitæ præſentis ſuſtentatio, & oblectatio decora: quam ex labore ſuo mortalis conſequi poteſt, ceu fructum quempiam. Prout aliquoties ſeipſum hoc pacto *Salomon* declarat, cap. 5. 18. cap. 8. 15. c. 10. 19. &c. Ideò additur, *Amplius*, q.d. Nihil ulterius meliusvè habet homo è labore ſuo, præter tranquillam vitæ præſentis actionem. Quanquam eatenus beſtijs nihilo ſit beatior, ſed infelicior potiùs, quippe quibus Deus nihil laborantibus de victu ubertim proſpicit. Matth. 6. ℣. 26. Pſal. 104. 27. &c. Vel *quid amplius?* i.e. Quid precioſum excellens, magnum amplum, &c. Confer Matth. 5. 47. & Rom. 3. 1.

B. Quòd ſi de *futurâ vitâ* ſermo ſit: Nihil omninò habet amplius homo de labore ſuo ſubſolari: *Nihil* enim *eorum quæ habet ſecum ſumit, nec gloria poſt eum deſcendit*, Pſalm. 49. 18. ſed ſicut *nudus exivit ex utero matris, ita nudus redit illuc*, Job. 2. 12. & ſicut *nil intulit in mundum, ita nil effert*. 1. Tim. 6. 7. v. infra c. 5. 15. Solatium terrena etiam in morte præbent nullum, terrorem & deſperationem ſæpius improbis incutiunt;

cutiunt; tum quòd deserere ea cogantur; tum quoque de malè partis, aut malè perditis & impensis, gravissimam se Deo rationem debere, norunt. Nec etiam alius est dives, potens &c. post mortem, quàm quivis alius..

Verè ergo *Salomon* hîc, *Quid habet homo amplius.*

Usus. Vani ergo & stolidi sunt, qui tot curis & laboribus sese emacerant, ut quę mundus præsens fuspicit, assequantur: siquidem inanis frustraneus, & inutilis sit ejusmodi labor. Similis texturæ *Penelopes*, quæ quod interdiu texerat, noctu retexebat: aut labori *Sisyphi* saxum ingens, ut Poëtæ fabulantur, vol ventis, quod ad summum elatum, repente deorsum relabitur: *Insane laborant, & pro inanitate fatigantur.* Hab.2.13. qui nimis magnam operam in terrenis istis & perituris bonis comparandis collocant, & non solùm eum quem sperant laboris fructum non auferunt, quod grave homini, sed quod molestius imo molestissimum, ex eo unde lucrum exspectabant, damnum non rarò accipiunt. confer Matth.19.24. & 1.Cor.1.26..

Rectius faciunt, qui laborant quantum exigit vocationis ratio, ad vitam istam frugaliter & suaviter sustentandam: Et contenti sunt eâ sorte, quam dat Deus: Seduli circa laborem superfolàrem, dum pietati gnaviter student: His enim non rectè dixeris, *Quid habet homo amplius de labore suo*, &c. Stat enim illud Apost. *Magnus quæstus pietas, μετ' αὐταρκείας.* 1.Tim.6.6. Item illud: *Fratres mei dilecti, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino.* 1.Cor.15.58..

DE SECVNDO.

Laborem hominis, quo circa terrena & subsolana distinetur & consumitur, ad eliciendam ex ijs veram certamque felicitatem, inanem esse ac inutilem, antecedente erotemate indigitavit Rex sapientissimus, ℣.3. Idem nunc porrò confirmat & explanat, ℣.4. usque ad 11. Quorum omnium nexus & sensus hic est: Labores mortalium in circulum volvi, eoque inanes esse, veluti si quis in gyrum currat. Similes labori *Sisyphi*, &c. de quo supra. Licet se multis curis & negotijs & laboribus emacerent ac fatigent miseri, perinde tamen esse, atque si nihil prorsus egissent, sed desides stertissent: quia nihil minus imperrent, quàm id, quod in terrenis.

terrenis multo ſtudio quærunt, veram ſcilicet felicitatem. Haben ſo viel als jnvor/etwan weniger/ſicut Alchymiſtæ. Et hanc quidem rem venuſtiſſimis ſimilitudinibus exponit: Quarum Πρότασις eſt ℣.4,5,6.& 7. Ἀπόδοσις, ℣.8,9,10,11.

ΠΡΟΤΑΣΙΣ.

Similia illa à naturalibus rebus petita ſunt, *Terrâ* ſcilicet, *ſole, ventis, & fluminibus*: Hæc ait *Salomon*, licet ineffabiles ſubeant labores, *Terra* ſuis generationibus, *Sol* ſuo motu, *Venti* ſuo impetu, *Flumina* ſuis decurſibus; ſemper tamen eôdem manere ſtatu, minimumque nihil in illis unquam apparére ac animadverti diſcriminis, vel mutationis in melius. *Terram* eandem manere, licet infinitis ſubſtet generationibus: *Solem* eundem mane prodire, qui veſperi occidit: *Ventos* eosdem recurrere: *Flumina* mare non auctius reddere, licet cuncta in illud effundantur, ſed per illud ad ſuos fontes redire, quales ex illis emanarunt: Cuncta in gyrum verti continuâ revolutione, ſine ullo ſuo profectu vel augmento.

Sed videamus ordine ſingula ſimilia.

I. SIMILE.

Primum ſimile à *Terrâ* petitum, ℣.4. *Generatio una abit, & altera advenit: quamvis terra in ſeculum permaneat.* *Generatio* heic accipitur pro rebus in univerſum generabilibus & corruptibilibus, cujusmodi ſunt ſublunaria, terrâ marique naſcentia quæque; quorum quædam nunc generantur & eſſe incipiunt; alia corrumpuntur, demoriuntur, & eſſe deſinunt, quorum in locum alia deinde continuâ ſucceſſione ſubnaſcuntur.

Cumprimis verò in *humanum genus* reſpexiſſe videtur Eccleſiaſtes, in quo mutationem iſtam evidenter cernere licet; dum ſcilicet videmus, generationem unam (id eſt, homines eodem tempore, ſeculo, vel ætate viventes) præterire, & per mortem decedere, ut intra 80. vel 100. annorum ſpatium, ne unus quidem ſuperſit ex omnibus illis: Contrà generationem aliam, h.e. homines à prioribus illis planè diverſos, quanquam ab illis genitos ſuccedere, & mundum iſtum occupare: quibus rurſum occidentibus, nova alia generatio ſubnaſcatur, & ſic porrò, perpetuâ viciſſitudine.

Es ist alle 100. Jahr ein andere Welt. Id venusto simili explicatur, Ecclesiastici, c. 14. ℣. 18, 19. *Omnis caro tanquam vestimentum veterascit, nam hæc constitutio est inde à seculo, omnino moriturus est. Quemadmodum folium virens in densâ arbore illud abjciente & hoc producente, ita etiam se habet generatio carnis & sanguinis: illa moritur, hæc verò gignitur.* Est enim terra similis arbori, quæ cum semper retineat comas, eadem tamen folia non durant, sed subnascentibus alijs arescunt vetera.

Istam generis humani sortem *Xerxes* Rex Persarum agnovisse legitur. Cùm enim exercitum suum, quem tum habebat maximum ac penè innumerum ex editiore loco intuitus esset, flere cepit; quòd post annos 100. nullus illorum militum amplius superfuturus esset. *Valer. Max.* libro 9. cap. 13.

His verò generationibus & vicissitudinibus terra instar officinæ alicujus non modò *substat*, easque sustinet, (quippe quæ in terrâ peraguntur) sed & easdem *efficit* atque elaborat. Est enim terra communis quæpiam mater vegetabilium & viventium quorumque, è cujus gremio nascuntur cuncta, & in illud cuncta redeunt, cùm finem oppetiêre suum: sicuti de homine pronunciatum à Deo constat, *Terra es, & in terram reverteris, è quâ desumptus es.* Genes. 3. 19.

Id muneris & laboris Deus in primâ Creatione terræ dētulisse videtur: Iussa enim est tertio die germinare herbas & plantas; deinde die sexto etiam jumenta, reptilia, bestias quasque: Gens. 1. 11. &c. eodemque die quo jumenta terrestria facta sunt, etiam Homo de limo terræ factus est; hactenus quoad generationem & corruptionem nihil diversum à bestijs habens. Terra igitur tot omnium rerum vegetabilium & sensibilium, generationes sustinens, efficiens, producens, fovens, conservans; rursumque decedentes recipiens, suffectis alijs, successione continuâ, sine intermissione aut fine, immensos diu noctuque subire labores videtur.

Ipsa verò quid? An aliquid habet emolumenti de universo isto labore suo? Minimè: Quia dicit Ecclesiastes, *Ipsa verò stat in seculum.* q. d. Ipsa verò mutationem prorsus nullam experitur; Manet talis, qualis semper fuit, & ne minimum in melius proficit; hocque statu perpetuo manebit in seculum, &c. Perinde ergò, subsumere vult Ecclesiastes: Nihil habet homo de universo labore suo, quo laborat sub sole.

Argu-

Argumentum sanè, ut venustissimum, sic validissimum; si enim ne Terra quidem ipsa, cujus tam ingens est labor, ut cuncta producat, & velut inexhausto quopiam thesauro promat; nihil tamen fructûs de labore suo, divitijsque quibus exundat, percipiat: Quid igitur unicus misellus homo, quem terra protulit, sustinet, cuiq; cuncta ad usum suggerit, suo labore profecturus est? Si Rex aliquis universis suis gazis nihil assequi potest; minus assequetur mendicus, per eleemosynam à Rege acceptam.

Circa hanc verò sententiam, *Terra stat in seculum*, duo evidentiæ causa observanda sunt:

I. *Primum* attinét *firmitatem & constantiam terræ*, quod nempe loco suo immota perstet, nec secundum se totam ullatenus moveatur, sive de loco in loco, seu in gyrum, nec recto, nec circulari motu.

Contra eos, qui terram circulariter circa axem suum moveri, quiescente Cœlo, contenderunt. Quales ex priscis Philosophis fuêre complures. Vid. *Plutarch.* de facie Lunæ, & libr. 3. de placit. Phil. cap. 13. *Cicer.* 2. Acad. Qu. Ex Neotericis *Copernicus*, &c. Cui delirio opponendus hic locus: Atque agnoscenda & deprædicanda mirifica Dei omnipotentia, qui vastum hoc terræ corpus, medio aëre sustinet, nullis innixum fundamentis, solo nutu & *verbo suo*. Heb. 1. *Appendit terram super nihilum*. Job. 26. 7. Terra sibi ipsi suo pondere & gravitate fundamentum, Prov. 8. 29. De istâ verò terræ stabilitate, quâ fixa stat & permanet loco suo, motûs omnis expers, Deo sic eam firmante & stabiliente, sequentia agunt Scripturæ loca: *Fundavit* (Deus) *terram super bases ejus, ne dimoveretur in seculum & perpetuum*. Psalm. 104. 5. *Quum statueres terram*, ô Jehova, *illa constabat*. Psalm. 119. 90. *Stabilietur orbis habitabilis, ne dimoveatur*. 1. Chron. 16. 30.

Nec obstat huic quieti terræ, *Terræmotus*: quia tum non tota terra loco movetur, sed secundùm partem aliquam duntaxat tremit, & concutitur, Deo potentiam, iram, ac justitiam suam exerente: usque adeò, ut non tam motus iste naturæ, quàm singulari Dei jussioni & indignationi ascribendus sit, planèque prodigiosus censeri debeat. Quo de agunt dicta: *Deus refigit montes ita ut non animadvertant homines: subvertit eos in irâ suâ. Commovet terram è loco adeo ut columnæ ejus contremiscant*: Job. 9. 5. 6. *Concutitur terra è loco suo in excandescentiâ Jehovæ, & quo die accenditur ira ejus*. Esai. 13. 13.

Usus.

Usus. 1. Ad *Consol.* adversus fidei & salutis incertitudinem. Qui enim terram firmat, quî non & tuam fidem firmare possit adversus tentationes & assultus quosque Satanæ. 2.Cor.1.21. Qui terram nullo fundamento innixam continet; quî non salutem tuam, inconcusso fundamento, Christo scilicet innixam, custodire poterit. 2.Tim.1.12. Ephes.2. ℣.20.21. 2.Tim.2.19.

2. Ad παιδ. Terram quidem expetere non debemus, sed ejus tamen firmitati & constantiæ assimilari. Ut cunque enim horrendæ, circa terram, in aëre tempestates, ventorum turbines, aquarum exæstuationes, variæ mutationes rerum in terrâ nunc orientium nunc occidentium, &c. obtingant, stat tamen illa immota: Ita inter omnes fortunæ, afflictionum, persequutionum, tentationum, mortisque fluctus, fortes & constantes permanere fideles oportet; fiduciâ in Deum ejusque auxilio subnixos.

II. Alterum attinet *durationem terræ:* Videtur enim locus iste Ecclesiastæ, *Terra stat in seculum*, adversari dicto Christi, Matt.24. ℣.35. *Cœlum & terra præteribunt*; alijsque Scripturæ dictis, quibus interitus præsentis adspectabilis mundi adstruitur.

Ista vox לעולם non semper durationem finis expertem significat, seu *æternitatem* propriè dictam; sed & *tempus longum*, certum tamen & definitum, pro cujusq; rei naturâ, omne tamen illud & totum; Ut sensus sit, In æternum, h.e. quoad seu quandiu hoc durabit. Ut Exod.23.6. de servo dicitur, *Serviet Domino suo in æternum*, h.e. quoad vixerit. Sic *serviet æternùm, qui parvo nescit uti.* Horat.lib.1.Ep.10. Ita heic, *Terra stat in æternum*, h.e. quandiu durabit terra, non movebitur unquam. Quanquam palam sit *Salomonem* hoc cumprimis asserere voluisse, Terram non generari aut corrumpi, cum aliarum rerum generationibus prætereuntibus aut advenientibus; sed illis modò substare, mutationis ejusmodi expertem. Injuriam ergò *Salomoni* fecerunt, qui ex hoc loco collegerunt, statuisse ipsum terræ æternitatem, eoque Librum hunc rejecerunt. Vide supra *Concionem* I.

DOCTRINA.

Testimonium heic habemus illustre *fragilitatis, fugacitatis, & mortalitatis hominis.* Nam & integras generationes, non familias modò, & homines singulares, præterire asserit Sapiens.

Testim.

Testim. sacra: *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Genes. 3.19. *Omnino morituri sumus, & sicuti velut aquæ defluentes in terram, quæ non recipiuntur,* ait *Thekoita* 2. Sam. 14.15. *Quis vir ita vivat, ut non experiatur mortem.* Psalm. 79.49. *Redigis,* ô Deus, *mortalem eo usq;, ut sit contritus dicens, Revertimini filij hominum.* Psalm. 90.3. Confer etiam Rom. 5. ℣. 12. & 6. ℣. 23. Heb. 9.27. Mors *via, consuetudo totius terræ.* Jos. 23.14. 1. Reg. 2.2.

Testim. prof. Debemur morti, nos nostraque. Horat. de art. P. Mors omnibus nobis, quasi saxum *Tantalo* imminet. Cic. lib. 1. Fin.

Similia ex sacr. *Sum pulvis & cinis,* &c. ait *Abraham,* Genes. 18. ℣. 27. *Palmares disposuisti dies meos, profectò per imaginem præterit vir.* Psalm. 39.6,7. Alibi vita nostra comparatur, *flumini, somno, fœno, sermoni, volatui,* Ps. 90.7. *pulveri, fœno, flori agri,* Psalm. 103.15. *umbræ,* Psalm. 144.4. *gramini & flori,* Esai. 40.6,7. *vapori ad exiguum duranti, & deinde disparenti,* Jacob. 4.14.

Simil. ex prof. *Pulvis & umbra sumus.* Horat. l. 4. Od. 7. *Pindarus: σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. Æschylus* apud Stobæum, hominem *fumi umbram* appellat. *Varro,* Homo *bulla.*

Usus. Ad agnoscendam præsentis vitæ miseriam. Est enim præsens vita nihil aliud, quàm perpetuus ad mortem & sepulcrum cursus. *Quid* (ait *Augustinus* Serm. 39. de verbis Domini,) *est istud diu vivere? nisi ad finem currere?* Et *Gregorius,* lib. 6. Epist. 26. *Vita,* inquit, *nostra navigantis similis est. Is enim qui navigat, stet, sedeat, jaceat, semper vadit, quia impulsu navis ducitur: ita ergò & nos, sive vigilemus, sive dormiamus, volentes nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Nec cursus tantùm ad mortem est vita hæc: sed quædam etiam quasi mors perpetua.* Seneca, Epist. 24. *Quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoq; cum crescimus, vitâ decrescimus.* D. *Hieron.* ad Heliodor. *Quotidie morimur. Quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus.*

Nascentes morimur finisq; ab origine pendet.

Trism. egist. Exue vestem (corpus) *corruptionis vinculum, vivam mortem, sensitivum cadaver, sepulcrum circumvertibile, velamen opacum.* Hæc verò miserrima est præsentis vitæ conditio: sic enim perpetuo mortis metu distrahitur homo. Hebr. 2.15.

Tantopere igitur non facienda est hæc vita, sed ambienda illa, ubi mors non amplius erit, eoque & metus omnis aberit. Apoc. 21.4.

HOMILIA IV.

TEXTVS. ℣. 5,6,7.

Oritur Sol, & occidit Sol; iterumq; ad locum ſuum aſpirat, ubi oriatur: Properat ad meridiem, & circumit ad Aquilonem; converſatione ſuâ circumiens properat aër, & ſecundùm circuitus ſuos revertitur aër: Omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur; quocunq; loci flumina properant; eôdem revertuntur properè.

Imile primum, quo inanitas humani laboris adumbrata, homilia præcedente explicatum; ſequuntur porrò tria reliqua.

II. SIMILE.

Alterum Simile, quo inanitas humani laboris depingitur *à Sole* petitum eſt. ℣.5. *Oritur Sol, & occidit Sol; iterumque ad locum ſuum aſpirat, ubi oriatur;* ℣.5. *Properat ad meridiem, & circumit ad Aquilonem*; ℣.6.a. Sol ingens vaſtumque corpus licet, perniciſſimo tamen curſu, breviculo tempore, totum cœlum percurrit, ab ortu in occaſum vergens, & hinc rurſus ad ortum: curſu diurno, quem 24. horarum ſpacio conficit. Idem rurſum motu ſuo annuo ad meridiem & aquilonem gyratur; Hyemis enim tempore nobis in meridionalibus Zodiaci ſignis: Æſtate in Septentrionalibus noſtræque habitationi vicinis verſatur: de quo motu ℣.6.a. Incredibilis laboris Ideam præbens, ſuo tamen reſpectu vaniſſimi. Licet enim terrigenis magnam præſtet utilitatem,

tatem, ipse tamen nihilo redditur felicior; Cùm enim multoties spacium hoc suum emensus sit, Sol tamen qui ortus est heri, hodie idem apparet, nullatenus auctior, melior aut perfectior factus, aut minimùm à priore statu in melius mutatus. Frustraneus igitur, si ipsum spectes, ejus labor: Perinde cum mortalium conatibus, curis, & laboribus comparatum esse, innuit Ecclesiastes. Quin immò deteriùs se longè habet hominis conditio, majorque ejus quàm Solis Vanitas: Utut enim Sol occidat, sub vesperam, non tamen prorsus interit; sed nocte elapsâ rursus oritur, velut redivivus factus: At homo cum semel diem suum obijt, non amplius revertitur in hanc vitam. Teste *Catullo*,

Soles occidere & redire possunt,
Nobis cum brevis occidit lux
Nox est perpetua una dormienda.

DOCTRINA I.

Habemus in Sole, ceu Creaturâ Dei ex primarijs, quod miremur ingentem *Dei sapientiam, potentiam, & bonitatem*, juxta illud Pauli Rom. 1. 20. Mira ejus est *Magnitudo*, cujus nimirum corpus terram centies saxagies sexies excedere tradunt Mathematici. Mira ejus *velocitas*, nam 24. horarum spacio ab uno mundi cardine ad eundem, rapacissimo motu peragit cursum suum; Terræq; respectu singulis horis, 225. milliaria conficit. Mira in ejus *motu aequabilitas*. Sic enim dierum noctiumque vicissitudines efficit diurno cursu, ab ortu in occasum, &c. de quo ℣. 5. Ut interim annum quoque ejusque tempora, eodem servato semper tenore, distinguat; motu videlicet annuo, quem conficit signa 12. Zodiaci peragrando. Mirabile ejus *Lumen*; propter claritatem suam & copiam, quippe quo totum terrarum orbem illustrat, cuncta pervidet & rimatur, *oculus mundi* ob id dictus, diem conficit, Lunæque insuper cæterisque syderibus lucem illam fœnerat, quâ lucida conspiciuntur.

Mirificus ejus *calor*, utpote quo vegetantur, & vitam velut accipiunt cuncta terrestria: Adeò ut sicut *Terra mater* omnium viventium dici solet, quia cuncta ex illâ nascuntur: Ità *Sol Patris* nomen meretur, quippe, qui suo calore vovet cuncta & vivificat. *Pulcritudo demiq, ejus & splendor* incomparabilis: Ut Scriptura ad exprimendam corporum glorificatorum in vitâ æternâ pulcritudinem, eam Solis & astrorum splendori

comparare soleat. *Eruditentes splendebunt velut splendor expansi.* Dan.12.3. *Iusti effulgebunt ut Sol, in regno Patris sui.* Matth.13.43.confer 1.Cor.15.41. Lapilli, qui vix scintillulam lucis in se habent, ideò precioſi dicuntur: quanto pretioſior *Sol ipſe.*

Summa. Tanta est Solis præstantia, ut cùm nihil illo excellentius viderent, deluſa eum pro *Deo* Solis auctore antiquitas venerata sit, Perſæ præsertim. *Curt.*l.3.c.3. Vide 2.Reg.23.5. Et hunc quoque errorem Christianis ad Orientem adorantibus, & diem Dominicum (Solis) religioſè colentibus, Gentes obijciebant: ut scribit *Tertul.* in Apol. cap.16.

Etsi verò pro Numine colendus Sol non sit, Dei tamen Creatoris sui, velut in speculo contemplandam præbet, *Omnipotentiam* mole sui corporis, pernicitate motûs, lucisque fulgore: *Bonitatem*, nihil enim nobis ad præsentem vitam vel salubrius, vel utilius illo: *Sapientiam* denique, quia temporum veluti quispiam Rector, atque ordinis in naturâ director constitutus est.

Usus. Quoties igitur Solem adspicimus, toties in admirationem & celebrationem Conditoris omnium surgere nos oportet, & cum Psalte dicere, *Cœli enarrant gloriam Dei fortis*, &c. Psalm.19.1,2,5,6,7.

DOCTRINA II.

Idem tamen Sol hic à *Salomone* adducitur ad *Hominis vanitatem, & inanem circa terrena studium*, exprimendum. Cujus quidem rei aliquot elegantia suggerit emblemata.

a. Primarium quod hic *Salomon* pertractat, est inanis Solis labor, quo prodest inferioribus, nullo suo profectu, ut dictum: Ita nihil de suo habet labore Homo.

b. Ut Sol æque bonis ac malis oritur. Matth.5.45. Ita corporalia & terrena bona utrisque communia: Eoque veram & perennem felicitatem conferre nequeunt.

c. Ut Sol tandem occidit, & sub terram absconditur, lucem & splendorem suum quasi perdens. Ita Homo quantus quantus tandem occidit, cum universâ suâ gloriâ. Esai.40.6.

d. Ut Sol etiam interdiu coruscans, suas tamen patitur Eclypses. Ita instabilis est etiam Regum. Principumque felicitas, suasque & illi experiuntur Eclypses, seu fortunæ ludibria, & felicitatis defectus. Consideravit

sideravit id *Archelaus*, quo enim die Solis defectio fuit, Regiam clausit; filium (quod in luctu & rebus adversis moris est) totondit. *Senec.* de benef. libr. 5. c. 6.

e. Ut Sol, quanquam utilissimus, quandoque tamen etiam noxius, deprehenditur, utpote qui laborantibus gravis est Matth. 20. 12. ac suo ardore segetes aliaque terræ nascentia adurit, torrentes exsiccat, oculis imbecillioribus officit, morbosque ciet, &c. Ita nihil est hoc in mundo perfectum adeò, quin suos habeat defectus: præter eum qui fecit omnia. Nihil est ex omni parte beatum.

Usus. Sic ergò hujus Solis aspectus, gloriæ humanæ fallaciam & instabilitatem nos edoceat, ut fidei oculis in perfectum illum Iustitiæ Solem potius intenti simus, *Christum Dominum*, qui *Lux mundi vera*, Joh. 1. 9, & 8. 12. Cujus luce novum illud Hierusalem coruscabit, Sole isto corporeo destructo. Apoc. 21. 23.

III. SIMILE.

Tertium Simile, *à Vento* petitum est: ℣. 6. *Properat ad meridiem, & circumit ad Aquilonem: conversatione suâ circumiens properat aër (vel spiritus) & secundum circuitus suos revertitur aër (sive spiritus.)* Verba hæc aliqui de Sole omnimodè accipiunt, & cum præcedentibus connectunt; per spiritum Solem intelligentes. Alij partem tantùm priorem referunt ad Solem, atque de annuo ejus cursu accipiunt, quo hyeme ad plagam meridionalem, æstate ad septentrionalem vergit, reliquam versùs partem de Vento accipiunt; quæ nostra quoque est sententia. Quia nulla certa motûs ventorum est ratio, unde aut quò ferantur, aut revertantur, ideò rectius priora verba de statu Solis motu annuo capiuntur: contra, quia vento competunt circuitus, & Soli absurdè tribueretur nomen spiritus, posteriora verba optimè de vento intelliguntur.

Præbet iterum nobis *Ventus* immensi laboris imaginem. Ventus enim magno impetu, & rabioso velut fragore, pervadit cuncta; evellit arbores; prosternit domos, Job. 1. altoque cumprimis mari sævit & nocet horribiliter: ut nihil videatur, laborem intensum, impigrum, impetuosum, gravissimumque pictius exprimere atque ventus. Dum verò

diu multumque ingenti conatu plurima terrarum loca pervagatus est, non alium aut novum locum accedit, quo melius habeat aut consideat; sed in circulum quasi protrusus, ad eundem tandem locum revertitur, è quo egressus est, donec totus evanescat. Perinde (dicit Ecclesiastes) comparatum est, cum plurimorum hominum conatibus, quos in terrena impendunt. Quum enim diu multumque circumcursitarunt, dirosque labores exantlarunt, non tamen assequuntur id quod quærunt, certam videlicet & constantem felicitatem; quin viribus fracti & exhausti, ijdem manent, qui ante, tantumque assecuti sunt, quantum ante habuerunt; donec tandem conatu & spe suâ delusi, venti aut vaporis instar & ipsi in morte evanescant. Sic ergo frustra & in circulum cursitarunt, venti instar in gyrum tracti, aut turbinis seu typhonis instar in circulum rapti, qui certè labor ut otiosus est, ita frustra repetitus. Observandum Ecclesiasten ut inutiles hominum labores ostenderet, ejusmodi similia adhibuisse, quæ suâ naturâ sunt in perpetuo quasi motu, eoque inconstantia; uti sunt *generationes terræ, Sol, Ventus, Fluvius*, &c. ut simul inconstantiam quoque hominis, ejusdemque fortunæ adumbraret.

DOCTRINA.

Ad hoc verò, *inconstantiam hominis, & fortunæ ejus* designandam nihil *Venti similitudine* aptius, quippe quo nihil inconstantius, vanius, mutabilius:

a. Ut enim ocyus ventus oritur, citò desinit, atque nunc in hanc nunc in illam mundi plagam fertur, nunc in gyrum agitatur, nunc sursum nunc deorsum pellitur confusè: ita mutabilis & planè inconstans est Hominis conditio; sive valetudinem *corporis*, sive *animi*, aut *fortunæ* bona, sive ipsam etiam hominis *vitam* respexeris: quæ propterea *vapori*, Jacob. 4. 14. alijsque quæ à ventis agitari & impelli ocyus solent, confertur, Psalm. 103. 15, 16. quanquam & ista mutatio, quæ nobis fortuita & improvisa videtur, à Dei directione dependeat. Esai. 40. 7. additur, *Domini* Spiritus. Neque igitur rebus istiusmodi ventosis innitendum, sive prosperâ sive adversâ fortunâ utaris.

b. Etiamque homo *ingenio* repræsentat ventum. Est enim inconstans, *mendax*, fallax. Ro. 3. 4. Solus Deus *fidem servat in seculum*. Ps. 144. 6.

Usus. Nihil igitur in hominibus fiduciæ locandum; Æquè enim obesse

obesse possunt, dum profuturos existimamus, & vicissim. Sæpè enim factum ut ventus prosperam navigationem pollicitus, naufragium pepererit. De *Cæsare* dictum refert *Seneca* l. 5. Nat. Quæst. c. 38. *In incerto esse, Utrum illum magis nasci Respublica profuerit, an non nasci?*

IV. SIMILE.

Quartum Simile à *perenni fluminum in mare decursu* petitum est, v. 7. *Omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur, quocunque loci flumina properant, eôdem revertuntur properè.* Ut enim Solis & ventorum circularem revolutionem esse dixit, eoque laborem in se recurrentem & proin frustraneum; ita idem nunc de fontibus & fluminibus testatur; Cuncta illa ad mare defluere, magno impetu, qui cursus ipsorum rursum industrij laboris iconem præbeat; frustra tamen id esse, quia nec impleant mare, nec ipsa ad optatam aliquam quietem tandem pertingant; sed è mari rursum elapsa ad suos fontes recurrere, atque exantlatum ante laborem rursum ordiri, quasique in mari nunquam fuissent, ad illud iterum properare. Perinde constitutum est cum mortalium curis, & negotijs, quibus sese fatigant, dum in fluxis & terrenis stabilem aliquam felicitatem quærunt; ut semper actum agant, nunquam finem inveniant, nunquam desideria sua expleant, nunquam ad optatam & quæsitam quietem perveniant; sed labores præteritos, ac nunquam actos repetere perinde cogantur.

Ita verò *Salomon* aliquot nobis *naturæ mysteria pandit*, quorum scientia ut pulcra, sic consideratio utilis est.

I. Primum est, quod ait, *Omnia flumina properare ad mare.* Sunt quidem maria plurima in diversis terræ regionibus, quæ suis etiam peculiaribus nominibus distinguuntur; cuncta tamen illa cohærent, & cum Oceano seu mari magno connectuntur, ut sic unum saltem sit mare, quod balthei cuiusdam instar aut fasciæ terram circumdat & ambit: Hinc est quod *Salomon* hîc *Mare* dicit, non *Maria*; respiciens ad illud Genes. 1. 9. *Confluant aquæ in locum unum*, &c. Sicut ergo fontes & rivi, in flumina diversa sese profundunt; sic etiam diversa flumina in diversa maria pro cujusque vicinitate & opportunitate, sese exonerant; cuncta tan-

a

tamen illa in magno Oceano coalescunt. (Licet enim unum vel alterum mare (veluti Hircanum seu Caspium) suis littoribus conclusum & à reliquis aquis distinctum videatur; certò tamen per flumina extus aut subtus terram meantia cum illis conjungitur.) Quanquam verò naturalis sit iste fluminum motus & cursus, quippe cùm maris alveus & abyssus sit profundior, terra verò altior mari; unde fit ut naturali impetu & pondere deorsum labantur aquæ, ac sequentes præcedentes impellant: Fit tamen illud vi primi illius præcepti, quod naturæ conditor Deus, aquis edixit, *Confluant aquæ*, &c. hinc que est, quòd amnis non defluit, sed labitur & labetur in omne volubilis ævum.

DOCTRINA.

Iste perpetuus amnium & fluminum fluxus, admonet nos iterum *instabilitatis rerum humanarum.*

a. Aqua *elementum infidum*; sic rerum humanarum prosperitas lubrica, fluxa. b. Sicut flumina in *continuo cursu*, ita humana quæque in perpetuo sunt ad metam suam cursu, h.e. occasum: c. *Ut* flumina cuncta ad mare properant, in quod illapsa absorbentur: Sic mortales omnes ad terram seu sepulcrum contendunt, à cujus perinde voragine absorbentur, ut evanescant. d. *Sicut* mare æquè fluenta maxima, atque rivos exiguos excipit, suâque salsitudine imbuit, & absorbet ut evanescant: Ita æquè nobiles & infimi à morte absorbentur, eatenusque pares sunt, qui aliàs dispares fuêre in hâc terrâ. e. *Et sicut* pars fluenti quæ transijt non refluit, sed alia succedit; Sic præteriti dies non revertuntur, &c. Felicior tamen est sanctorum cursus, quibus non terra simpliciter, sed cœlestis potiùs patria pro metâ præfixa est. 2. Cor. 5. 2. & 1. Cor. 9. ℣. 26.

Usus. Felices nos, si metæ huic vicini fuerimus: gaudeamus, ut gaudere solet viator vicinus illi loco, quo iter faciebat, aut navigantes conspecto portu, &c.

II. Alterum est, quod ait, *Et mare non impletur:* Manent enim eadem semper maris littora, termini ijdem, quos non præterlabitur. *Iehova occlusit valvis mare.* Job. 38. 9. Confer Job. 26. 10. Psalm. 33. 7. & 104. 9. Res sanè quæ omnem superat admirationem! Cùm enim videamus flumina ex pluvijs nivibus solutis, & torrentibus aliorumque rivorum

rivorum influxu augescere; attamen magnus ille Oceanus tot marium & fluminum maximorum accessionibus, non modò non exundat, sed nec plenior evadit; perindeque se habet atque si nullæ aquæ in illum delapsæ fuissent. Causam rei pòst percipiemus à *Salomone*.

DOCTRINA.

Ista verò Maris conditio speculum exhibet *Cordis avari*.

a. Ut enim mare, licet omnes undique aquas recipiat, expleri tamen nequit: Ita avarus quantascunque opes corraserit, non satiatur, non abundat.

b. Ut mare licet tot aquarum accessionibus ditatum, non tamen amplius aut melius habet: Sic avarus, qui maximas opes possidet, nihilo beatior illo qui μὴ αὐτάρκειας, necessaria duntaxat habet. Hic enim non minus satiatur cibo & potu, licet nihil ei supersit, atque ille cui multa remanent superflua; ex his enim residuis nulla ei nec voluptas nec beatitudo accedit, cum æquè illis non fruatur, atque is qui illa non habet.

c. Ut mare affluxu aquarum non augescit, attamen inflatur, æstuat, tumultuatur, Esai. 57. 20. dum è contra minores aquæ subsidunt & quiescunt: Ita avari & divites hoc habent, quòd inflantur, seseque efferunt; cæteraque vitam vivunt inquietam, dum habendi cupidine subinde agitantur, & perturbatione mentis multiplici confunduntur: Voluptas contra tutissima, perturbationibus hujusmodi carere.

III. Tertium est, quod ait, *Quocunque loci flumina properant, eodem revertuntur propere*. h.e. *Rursum in eundem locum unde oriuntur redeunt*. Sensus est, Ideò mare non exundare, licet omnes aquas recipiat, quia flumina ex illo rursum effluant, & per occultos terræ meatus, scaturigines suas repetant; è quibus iterum profusa, per apertos terræ alveos in mare rursum devolvantur: Sic ut fluminum cursus perinde circulari constet revolutione, atque de sole, & ventis dictum est.

Physiologia ista *Salomonis*, de *fontium & fluminum origine*, probè observanda, quia semper Physicis habita est obscurissima, atque plures eâ de re tum veterum tum recentiorum fuerunt conjecturæ.

Recepta communiter fuit *Aristotelis* opinio, 1. Meteor. c. 13. Nempe flumina, ex aëre & vaporibus in terræ cavernis, per ejus frigus congelatis, & in aquam versis, indeq; in certum locum confluentibus, oriri. Sed quis

credat tantos esse in terrâ recessus, tantumque in illis vaporum, ut tot tantisque fontibus & fluvijs generandis sufficerent? cùm constet, quantillum aquæ ex multis etiam vaporibus prodire possit.

Antiquissima igitur *Salomonis* sententia meritò prævalet. Hinc enim simul patet causa perennitatis fluviorum; item cur mare, tot flumina recipiens non exundet; (quia quantum influit, tantum rursum effluit) tum etiam, cur plerunque fontes ex altissimis montibus scaturiant; Nempe quia aquæ priores, mole insequentium aquarum protrusæ violentius, in summis montium cacuminibus exitum inveniunt. Vid. *Scaliger.* Exerc. 46. ubi prolixè hoc demonstrat. Nec impedit, quòd mare salsum sit, fluvij autem dulces, & aquæ fontanæ; quia aqua marina per longos terræ canales & anfractus percolata, salsedinem suam perdit, aliasque qualitates ex terræ venis, quas permeat, assumit.

DOCTRINA.

Ista verò fontium in mare relabentium, & ex eôdem prodeuntium speculatio, *gratitudinis Deo* debitæ insignem præbet contemplationem. Est enim DEUS inexhaustum illud mare bonorum omnium, quæ fluviorum instar ad mortale genus redundant: Conveniens autem est, ut quæ de manu Dei accepimus, eidem rursum per grati animi significationem reddamus: Sic enim fiet, ut cum majori postea fœnore, illius in nos refluant posteriora beneficia. Ut enim aquæ marinæ ad eas duntaxat scaturigines recurrunt, unde Oceanus illas accepit; sic ad eos duntaxat Dei beneficia remeant, qui grates Deo pro acceptis antè persolvêre. *Bernhard.* serm. 52. *Ingratitudo est ventus urens, siccans rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.*

HOC

HOMILIA V.

TEXTVS. ℣. 8.

Singulæ res istæ fatigantur, non posset quisquam eloqui; non satiaretur oculus videndo, neque impleretur auris auditu.

VUlgatissimum est in sacris literis, res quasque maximas similitudinibus & parœmijs exprimi: diverso tamen fine: *Vel* ut tantò minus cœlestia mysteria ab improbis & infidelibus capiantur, utpote, quibus non nisi contemptui illa forent; quo fine *Christus* parabolis usus esse legitur, apud Matth. 13. ℣. 11. *Vel* ut tantò illustrius pateſcant: Quæ enim aliàs obscuriora sunt, lucem accipiunt è venustis comparationibus. Quo fine *David*, *Salomon*, alijque Scriptores sacri passim similitudinibus usi sunt. Ita Ecclesiastes noster, ut inanitatem laborum humanorum ostenderet, quibus circa subsolaria insudant, ad exprimendam certam aliquam ex illis felicitatem, elegantibus id similibus adumbravit, è rebus naturalibus petitis, terræ videlicet successivis generationibus, Solis, ventorum, amniumque perenni circumvolutione, quâ indefatigabili cursu in gyrum rotata, eadem semper initia repetant; nullo sui incremento vel profectu. Ita laborem omnem humanum in seipsum recurrere inaniter, innuere voluit Sapiens.

Vidimus hactenus Similia ipsa eorumque Πρότασιν; Nunc Ἀπόδοσιν enucleanda venit, quâ proprijs verbis reddit, quod prius per illa Similia delineavit.

ΑΠΟΔΟΣΙΣ.

Summa est, vitam mortalium laboriosissimam esse & ærumnis refertissimam: Nec tamen cunctis suis laboribus, ærumnis, curis, contentionibus eò pertingere posse hominem, ut felicitatem aliquam veram, perfectam, ac perennem, in sublunaribus istis inveniat.

boreas, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu & gemitu rudis anima testatur, sudatur enim quandiu isthic vivitur, & laboratur.

b. *Infantiam* quod attinet: Tanta est infantis miseria, ut totus pendeat ab alieno auxilio, nesciens vel pedem movere, vagitu continuo miseriæ & dolorum signa edens, curas & ærumnas creans alijs molestissimas: utque adeò nihil sit in infantia melius, quàm quòd miseriam suam nondum intelligat.

c. *Pueritia*, carceris instar est, durissimæq; servitutis; Est enim illa ætas, quâ homo non sui est juris, sed sub ferulâ parentum, præceptorum, magistrorum detinetur, à quibus invitus & voluptatis expers, sui commodi ignarus, ad virtutes, artesque imbuitur: felicissimum sese æstimans, si libertatis annos assecutus fuerit. Eccles. 11. ult. Gal. 4. 1.

d. Porrò ea ætas, quâ se in libertatem deveniss̃e existimat, (quam *Adolescentiam & Iuventutem* vocamus) majoribus longè difficultatibus implicatur. Prodeunt enim tum omnis generis cupiditates & affectus, à quibus perinde ut in undoso mari solent navigia, circumagitur; cum præsentissimo non suæ modò vitæ sed & salutis discrimine. Est enim fervens ille carnis in juventute impetus, cacodæmonis instar hominem possidentis, quem nunc in aquam nunc nunc in ignem proturbat, nunc in præcipitium sustollit, nunc in ima dejicit: Ac sicut infantilis ætas eo ipso reliquis ætatibus est felicior, quòd infelicitatem suam non intelligit: Ita hoc ipso infelicissima est juventus, quod pro delicijs & voluptatibus habet, in quibus nihil aliud repereris, quàm amarorem, pœnitentiam, exitium. Loquor de sceleratis illis & vitiosis voluptatibus, quibus ea ætas litare assolet: Referunt illæ pruriginosam cutem, quæ modicâ cum oblectatione perfricata, acerbiorem longè post dolorem experitur: nauseam, inquam, ex longâ consuetudine; amarorem ex famâ, valetudine, facultatibus deperditis; vermem denique conscientiæ animum erodentem crudelissimè. Taceo jurgia, lites, plagas, homicidia, variaque discrimina, quibus conditas esse voluptates istas constat.

Hæc nimirum est illa juvenilis ætatis libertas, quam præcedens ætas anhelavit, subsequens fastidit & execratur.

e. Certissimus verò laborum, curarum, & ærumnarum cumulus *virilem & constantem ætatem* obruit: Huic enim potissimùm ætati dictum

dictum videtur, *In sudore vultus*, &c. Hinc enim rei domesticæ cura, illinc publicæ vocationis functio, mille molestias homini creant; quas quidem facilius decoqueret, si secundo quæque successu gauderent: sed enim infinita incommoda & obstacula, pericula, infortunia, eventus contrarij, sese objiciunt, ac offundunt; quorum accessione labor aliàs durus, in dolorem acerbissimum degenerat.

Duæ cumprimis tum pestes animum hominis mirificè obturbare & discruciari plerumque solent, avaritia, & ambitio; quarum quanta sit malignitas suis docebit locis Ecclesiastes: Verbum sufficiat hîc dicere, malorum Oceanum illis comprehendi.

5. Nihilo felicior *senectus*. Is quidem plurimorum scopus, ut appetente senio omnibus curis soluti tranquillè vivant, corpori ac quieti indulgeant; sed experiuntur verum esse vulgatum, senectus *sibi ipsi est onerи, senectus per se morbus*: Omnes enim tum animi corporisque vires concidunt: Repuerascunt alij, denuoque immò duplò sentiunt infantiæ ærumnas; alij continuo mortis metu anguntur & contabescunt; alij tædio vitæ in seipsos sunt morosi. Quocunque igitur te verteris, omnia plena laboris, mœroris, doloris; vitam totam saxum Syſiphi comperies.

Text. Ut melius ista exprimere non potuisset *Salomon*, quàm quòd *non quisquam eloqui posset*, dixit: Rex alioquin ut sapientissimus, sic eloquentissimus.

Usus. 1. Minimè igitur certa aliqua aut constans felicitas in præsente vitâ quærenda aut expectanda. *An legunt è tribulis uvas?* Matth. 7. ℣. 16.

2. Eoque tantò minus res mundanæ insectandæ: quantò enim quisque minus illis est implicatus, (sive honoribus, divitijs, scientijs, &c.) tantò minus habet curarum, laborum, ærumnarum. Quisque suâ sorte contentus vivat. *Ne diligite mundum, neq; ea quæ in mundo* 1. Joh. 2. ℣. 15. Vita hæc tam nobilis non est, ut omne suum studium in eâ excolendâ impendere debeat Homo.

3. Patientiæ studeamus. Valeat enim hèic illud Ethnicorum dogma, *Patienter ferendum quod mutari non potest*: Illud statuentes, præsentis seculi hanc esse sortem, angi. *Possidete animas vestras per tolerantiam.* Luc. 21. ℣. 19.

4. Mortem ne reformidemus, sed exoptemus potiùs: Utpote quæ

diu multumque ingenti conatu plurima terrarum loca pervagatus est, non alium aut novum locum accedit, quo melius habeat aut confideat; sed in circulum quasi protrusus, ad eundem tandem locum revertitur, è quo egressus est, donec totus evanescat. Perinde (dicit Ecclesiastes) comparatum est, cum plurimorum hominum conatibus, quos in terrena impendunt. Quum enim diu multumque circumcursitarunt, dirosque labores exantlarunt, non tamen assequuntur id quod quærunt, certam videlicet & constantem felicitatem; quin viribus fracti & exhausti, ijdem manent, qui ante, tantumque assecuti sunt, quantum ante habuerunt; donec tandem conatu & spe suâ delusi, venti aut vaporis instar & ipsi in morte evanescant. Sic ergo frustra & in circulum cursitarunt, venti instar in gyrum tracti, aut turbinis seu typhonis instar in circulum rapti, qui certè labor ut otiosus est, ita frustra repetitus. Observandum Ecclesiasten ut inutiles hominum labores ostenderet, ejusmodi similia adhibuisse, quæ suâ naturâ sunt in perpetuo quasi motu, eoque inconstantia; uti sunt *generationes terræ, Sol, Ventus, Flumina*, &c. ut simul inconstantiam quoque hominis, ejusdemque fortunæ adumbraret.

DOCTRINA.

Ad hoc verò, *inconstantiam hominis, & fortunæ ejus* designandam nihil *Venti similitudine* aptius, quippe quo nihil inconstantius, vanius, mutabilius:

a. Ut enim ocyus ventus oritur, citò desinit, atque nunc in hanc nunc in illam mundi plagam fertur, nunc in gyrum agitatur, nunc sursum nunc deorsum pellitur confuse: ita mutabilis & planè inconstans est Hominis conditio; sive valetudinem *corporis*, sive *animi*, aut *fortunæ* bona, sive ipsam etiam hominis *vitam* respexeris: quæ propterea *vapori*, Jacob. 4. 14. alijsque quæ à ventis agitari & impelli ocyus solent, confertur, Psalm. 103. 15, 16. quanquam & ista mutatio, quæ nobis fortuita & improvisa videtur, à Dei directione dependeat. Esai. 40. 7. additur, *Domini* Spiritus. Neque igitur rebus istiusmodi ventosis innitendum, sive prosperâ sive adversâ fortunâ utaris.

b. Etiamque homo *ingenio* repræsentat ventum. Est enim inconstans, *mendax*, fallax. Ro. 3. 4. Solus Deus *fidem servat in seculum*. Ps. 144. 6.

Usus. Nihil igitur in hominibus fiduciæ locandum; Æquè enim obesse

obesse possunt, dum profuturos existimamus, & vicissim. Sæpè enim factum ut ventus prosperam navigationem pollicitus, naufragium pepererit. De *Cæsare* dictum refert *Seneca* l. 5. Nat. Quæst. c. 38. *In incerto esse, Utrum illum magis nasci Reipublicæ profuerit, an non nasci?*

IV. SIMILE.

Quartum Simile à *perenni fluminum in mare decursu* petitum est, v. 7. *Omnia flumina properant ad mare, nec tamen mare impletur, quocunque loci flumina properant, eôdem revertuntur properè.* Ut enim Solis & ventorum circularem revolutionem esse dixit, eoque laborem in se recurrentem & proin frustraneum; ita idem nunc de fontibus & fluminibus testatur; Cuncta illa ad mare defluere, magno impetu, qui cursus ipsorum rursum industrij laboris iconem præbeat; frustra tamen id esse, quia nec impleant mare, nec ipsa ad optatam aliquam quietem tandem pertingant; sed è mari rursum elapsa ad suos fontes recurrere, atque exantlatum ante laborem rursum ordiri; quasique in mari nunquam fuissent, ad illud iterum properare. Perinde constitutum est cum mortalium curis, & negotijs, quibus sese fatigant, dum in fluxis & terrenis stabilem aliquam felicitatem quærunt; ut semper actum agant, nunquam finem inveniant, nunquam desideria sua expleant, nunquam ad optatam & quæsitam quietem perveniant; sed labores præteritos, ac nunquam actos repetere perinde cogantur.

Ita verò *Salomon* aliquot nobis *naturæ mysteria pandit*, quorum scientia ut pulcra, sic consideratio utilis est.

I. Primum est, quod ait, *Omnia flumina properare ad mare.* Sunt quidem maria plurima in diversis terræ regionibus, quæ suis etiam peculiaribus nominibus distinguuntur; cuncta tamen illa cohærent, & cum Oceano seu mari magno connectuntur, ut sic unum saltem sit mare, quod balthei cuiusdam instar aut fasciæ terram circumdat & ambit: Hinc est quod *Salomon* hîc *Mare* dicit, non *Maria*; respiciens ad illud Genes. 1. 9. *Confluant aqua in locum unum*, &c. Sicut ergo fontes & rivi, in flumina diversa sese profundunt; sic etiam diversa flumina in diversa maria pro cujusque vicinitate & opportunitate, sese exonerant; cuncta tan-

a

tamen illa in magno Oceano coalescunt. (Licet enim unum vel alterum mare (veluti Hircanum seu Caspium) suis littoribus conclusum & à reliquis aquis distinctum videatur; certò tamen per flumina extus aut subtus terram meantia cum illis conjungitur.) Quanquam verò naturalis sit iste fluminum motus & cursus, quippe cùm maris alveus & abyssus sit profundior, terra verò altior mari; unde fit ut naturali impetu & pondere deorsum labantur aquæ, ac sequentes præcedentes impellant: Fit tamen illud vi primi illius præcepti, quod naturæ conditor Deus, aquis edixit, *Confluant aquæ*, &c. hinc que est, quòd amnis non defluit, sed labitur & labetur in omne volubilis ævum.

DOCTRINA.

Iste perpetuus amnium & fluminum fluxus, admonet nos iterum *instabilitatis rerum humanarum*.

a. Aqua *elementum infidum*; sic rerum humanarum prosperitas lubrica, fluxa. b. Sicut flumina in *continuo cursu*, ita humana quæque in perpetuo sunt ad metam suam cursu, h.e. occasum: c. *Ut* flumina cuncta ad mare properant, in quod illapsa absorbentur: Sic mortales omnes ad terram seu sepulcrum contendunt, à cujus perinde voragine absorbentur, ut evanescant. d. *Sicut* mare æquè fluenta maxima, atque rivos exiguos excipit, suâque salsitudine imbuit, & absorbet ut evanescant: Ita æquè nobiles & infimi à morte absorbentur, eatenusque pares sunt, qui aliàs dispares fuêre in hâc terrâ. e. *Et sicut* pars fluenti quæ transijt non refluit, sed alia succedit; Sic præteriti dies non revertuntur, &c. Felicior tamen est sanctorum cursus, quibus non terra simpliciter, sed cœlestis potiùs patria pro metâ præfixa est. 2. Cor. 5. 2. & 1. Cor. 9. ℣. 26.

Usus. Felices nos, si metæ huic vicini fuerimus: gaudeamus, ut gaudere solet viator vicinus illi loco, quo iter faciebat, aut navigantes conspecto portu, &c.

II. Alterum est, quod ait, *Et mare non impletur:* Manent enim eadem semper maris littora, termini ijdem, quos non præterlabitur. *Iehova occlusit valvis mare.* Job. 38. 9. Confer Job. 26. 10. Psalm. 33. 7. & 104. 9. Res sanè quæ omnem superat admirationem! Cùm enim videamus flumina ex pluvijs nivibus solutis, & torrentibus aliorumque rivorum

rivorum influxu augescere; attamen magnus ille Oceanus tot marium & fluminum maximorum accessionibus, non modò non exundat, sed nec plenior evadit; perindeque se habet atque si nullæ aquæ in illum delapsæ fuissent. Causam rei pòst percipiemus à *Salomone*.

DOCTRINA.

Ista verò Maris conditio speculum exhibet *Cordis avari*.

a. Ut enim mare, licet omnes undique aquas recipiat, expleri tamen nequit: Ita avarus quantascunque opes corraserit, non satiatur, non abundat.

b. Ut mare licet tot aquarum accessionibus ditatum, non tamen amplius aut melius habet: Sic avarus, qui maximas opes possidet, nihilo beatior illo qui μὴ αὐτάρκειαν, necessaria duntaxat habet. Hic enim non minus satiatur cibo & potu, licet nihil ei supersit, atque ille cui multa remanent superflua; ex his enim residuis nulla ei nec voluptas nec beatitudo accedit, cum æquè illis non fruatur, atque is qui illa non habet.

c. Ut mare affluxu aquarum non augescit, attamen inflatur, æstuat, tumultuatur, Esai. 57. 20. dum è contra minores aquæ subsidunt & quiescunt: Ita avari & divites hoc habent, quòd inflantur, seseque efferunt; cæteraque vitam vivunt inquietam, dum habendi cupidine subinde agitantur, & perturbatione mentis multiplici confunduntur: Voluptas contra tutissima, perturbationibus hujusmodi carere.

III. Tertium est, quod ait, *Quocunque loci flumina properant, eodem revertuntur propere*. h.e. *Rursum in eundem locum unde oriuntur redeunt*. Sensus est, Ideò mare non exundare, licet omnes aquas recipiat, quia flumina ex illo rursum effluant, & per occultos terræ meatus, scaturigines suas repetant; è quibus iterum profusa, per apertos terræ alveos in mare rursum devolvantur: Sic ut fluminum cursus perinde circulari constet revolutione, atque de sole, & ventis dictum est.

Physiologia ista *Salomonis*, de *fontium & fluminum origine*, probè observanda, quia semper Physicis habita est obscurissima, atque plures eâ de re tum veterum tum recentiorum fuerunt conjecturæ.

Recepta communiter fuit *Aristotelis* opinio, 1. Meteor. c. 13. Nempe flumina, ex aëre & vaporibus in terræ cavernis, per ejus frigus congelatis, & in aquam versis, indeq; in certum locum confluentibus, oriri. Sed quis

credat tantos esse in terrâ recessus, tantumque in illis vaporum, ut tot tantisque fontibus & fluvijs generandis sufficerent? cùm constet, quantillum aquæ ex multis etiam vaporibus prodire possit.

Antiquissima igitur *Salomonis* sententia meritò prævalet. Hinc enim simul patet causa perennitatis fluviorum; item cur mare, tot flumina recipiens non exundet; (quia quantum influit, tantum rursum effluit) tum etiam, cur plerunque fontes ex altissimis montibus scaturiant; Nempe quia aquæ priores, mole insequentium aquarum protrusæ violentius, in summis montium cacuminibus exitum inveniunt. Vid. *Scaliger.* Exerc. 46. ubi prolixè hoc demonstrat. Nec impedit, quòd mare salsum sit, fluvij autem dulces, & aquæ fontanæ; quia aqua marina per longos terræ canales & anfractus percolata, salsedinem suam perdit, aliasque qualitates ex terræ venis, quas permeat, assumit.

DOCTRINA.

Ista verò fontium in mare relabentium, & ex eôdem prodeuntium speculatio, *gratitudinis Deo* debitæ insignem præbet contemplationem. Est enim DEUS inexhaustum illud mare bonorum omnium, quæ fluviorum instar ad mortale genus redundant: Conveniens autem est, ut quæ de manu Dei accepimus, eidem rursum per grati animi significationem reddamus: Sic enim fiet, ut cum majori postea fœnore, illius in nos refluant posteriora beneficia. Ut enim aquæ marinæ ad eas duntaxat scaturigines recurrunt, unde Oceanus illas accepit; sic ad eos duntaxat Dei beneficia remeant, qui grates Deo pro acceptis antè persolvêre. *Bernhard.* serm. 52. *Ingratitudo est ventus urens, siccans rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.*

HOC

HOMILIA V.

TEXTVS. v. 8.

Singulæ res istæ fatigantur, non posset quisquam eloqui; non satiaretur oculus videndo, neque impleretur auris auditu.

VUlgatissimum est in sacris literis, res quasque maximas similitudinibus & parœmijs exprimi: diverso tamen fine: *Vel* ut tantò minus cœlestia mysteria ab improbis & infidelibus capiantur, utpote, quibus non nisi contemptui illa forent; quo fine *Christus* parabolis usus esse legitur, apud Matth. 13. v. 11. *Vel* ut tantò illustrius patescant: Quæ enim aliàs obscuriora sunt, lucem accipiunt è venustis comparationibus. Quo fine *David*, *Salomon*, alijque Scriptores sacri passim similitudinibus usi sunt. Ita Ecclesiastes noster, ut inanitatem laborum humanorum ostenderet, quibus circa subsolaria insudant, ad exprimendam certam aliquam ex illis felicitatem, elegantibus id similibus adumbravit è rebus naturalibus petitis, terræ videlicet successivis generationibus, Solis, ventorum, amniumque perenni circumvolutione, quâ indefatigabili cursu in gyrum rotata, eadem semper initia repetant; nullo sui incremento vel profectu. Ita laborem omnem humanum in seipsum recurrere inaniter, innuere voluit Sapiens.

Vidimus hactenus Similia ipsa eorumque Πρόταση; Nunc Ἀπόδοσις enucleanda venit, quâ proprijs verbis reddit, quod prius per illa Similia delineavit.

ΑΠΟΔΟΣΙΣ.

Summa est, vitam mortalium laboriosissimam esse & ærumnis refertissimam: Nec tamen cunctis suis laboribus, ærumnis, curis, contentionibus eò pertingere posse hominem, ut felicitatem aliquam veram, perfectam, ac perennem, in sublunaribus istis inveniat.

Tria igitur probat Sapiens: Felicitatem ex terrenis non posse haberi,

I. *Veram, solidamq;*
II. *Perfectam, & absolutam.*
III. *Constantem, ac perennem.*

DE PRIMO.

Primum inde probat, quia præsens vita refertissima sit labore, dolore, ærumnis; Neque igitur veram aliquam ei inesse voluptatem, quę non sit amarore infecta. Text. *Singulæ res istæ fatigantur*, vel *fatigant* יגעים, pro מיגעים (Benè *Luth.* Es ist alles thun voller Mühe) *non posset quisquam eloqui. vers. 8.*

A naturalibus illis, quæ in continuâ sunt inquietudine, nec unquam quasi subsidunt, ad humana descendit, innuens, præsentem similiter hominum vitam perpetuum esse laborem, curarum ac ærumnarum colluviem, plenam miserijs ac molestijs; quæ tantæ sint tamque innumeræ, ut illis enarrandis lingua humana non sufficiat, immò ne mente quidem satis possint comprehendi. Nec enim simpliciter laborem, sed laborem cum dolore ac molestijs conjunctum deplorat *Salomon*: Utrumque nos voce unâ Mühseligkeit/Arbeitseligkeit/indigitamus congruè.

Confirmat idem Scriptura passim. *Homo ad molestiam editur, ut scintillæ prunarum in altum evolant.* Job. 5.7. verba sunt Eliphæ: *Nonne militiæ dies mortali in terrâ, & ut dies mercenarij sunt dies ejus.* cap. 7.1. *Homo natus muliere, brevis ætate, & satur commotione.* cap. 14.1. *Pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ*, ait *Jacob Pharaoni*: Genes. 47.9. *Etiam excellentissimum annorum nostrorum laboriosum est & molestum.* Psalm. 90.10. *Occupatio magna hominis cuiq; creata est, & jugum grave filijs Adami impositum ex quo die egressi sunt ex utero matris suæ ad diem usq; quo ad matrem omnium revertuntur.* Ecclesiastici 40.1. confer quoque infra Eccles. 4.2,3. & 7.2.

Varijs similibus hujus vitæ miseriam depingit Scriptura, quæ petita sunt à rebus maximè laboriosis, periculosis, difficillimis, ac multâ anxietate ac doloribus refertis: comparat eam *peregrinationi*, qualis Israëlit. per desertum, *luctæ*, *Cursui* 2. Tim. 4.7. *carceri seu ergastulo*, Rom. 7.24. 2. Cor.

2.Cor.5.4. *via ac itineris* molestiss. Matth.7.13. *mercenarij, agricola sudoribus*, Matt.20.12. Job.7.1. *servituti* Rom.8.21.23. *Tantis malis repleta est hæc vita, ut comparatione ejus, mors remedium putetur, non pœna. Ambros.* Serm.40. *Diu vivere, diu torqueri. Augustin.* de verb.Dom.in Matth.Serm.17.

Quæstio olim inter Philosophos agitata, *An plura essent in vitâ bona quàm mala? Aut vetrò?*

Decisionem apud Pindarum videre est, Oda 3. Ubi affirmat, à majoribus celebratum fuisse, plura esse in vitâ mala, quàm bona: *Unum ad bonum* (inquit) *mala bina distribuunt mortalibus immortales.* Et certè miserrimam esse vitam præsentem facilè dabis, si *partim* ad universum orbem & *publica* in eo mala attenderis: *partim* ad *privatas* quibus homo obnoxius est adflictiones;

A. *Publica & communia mala* sunt, Bella, fames, pestis alijque tum Epidemici morbi; tum vulgares & singulares, quibus tum corpus affligitur, tum animus, uti mania, phrenesis; incendia, tempestates, venti, inundationes, terræmotus; imperiorum & rerumpublicarum eversiones, mutationes, confusiones; Satanæ insidiæ, tentationes, terricula, larvæ, noxæ infinitæ; damna à feris, molestiæ ab insectis & minutissimis etiam quibusque animalculis: damna ab hominibus malis, prædationes, rapinæ, stupra, homicidia, obtrectationes & calumniæ, injuriæ, contentiones, jurgia, disceptationes forenses, odia, invidiæ, &c. Maximum omnium peccatum: Ex quo publica sæpè ignominia, mulcta carceris, exilij, fortunarum, honorum, fustigationis, ac mortis sæpè horrendæ: mala intus conscientia, metus vindictæ divinæ, pavor & inquietudo animi.

B. *Privata miseria* per omnem hominis ætatem sese diffundunt. Quod attinet

a. *Nativitatem.* Nascitur homo non modò cum exquisito genetricis dolore, sed periculo præsentissimo mortis. Gen.3. Prima nati vox, Fletus: cujus rationem D. *Augustinus* reddens, *Infantia*, inquit, *quòd non à risu sed à fletu hanc lucem ordiatur, quid malorum ingressa sit, nesciens, prophetat quodammodo.*

Cyprian. libr. de bono Patientiæ, §.6. *Unusquisq;*, ait, *nostrum, cùm nascitur, & hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit à lacrymis: & quamvis adhuc omnium nescius & ignarus, nihil aliud novit in illâ ipsâ primâ nativitate, quàm flere: providentiâ naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates, & la-*

bora, & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu & gemitu rudis anima testatur, sudatur enim quandiu isthic vivitur, & laboratur.

b. *Infantiam* quod attinet: Tanta est infantis miseria, ut totus pendeat ab alieno auxilio, nescius vel pedem movere, vagitu continuo miseriæ & dolorum signa edens, curas & ærumnas creans alijs molestissimas: utque adeò nihil sit in infantia melius, quàm quòd miseriam suam nondum intelligat.

c. *Pueritia*, carceris instar est, durissimæq; servitutis; Est enim illa ætas, quâ homo non sui est juris, sed sub ferulâ parentum, præceptorum, magistrorum detinetur, à quibus invitus & voluptatis expers, sui commodi ignarus, ad virtutes, artesque imbuitur: felicissimum sese æstimans, si libertatis annos assecutus fuerit. Eccles. 11. ult. Gal. 4. 1.

d. Porrò ea ætas, quâ se in libertatem deveniisse existimat, (quam *Adolescentiam & Iuventutem* vocamus) majoribus longè difficultatibus implicatur. Prodeunt enim tum omnis generis cupiditates & affectus, à quibus perinde ut in undoso mari solent navigia, circumagitur; cum præsentissimo non suæ modò vitæ sed & salutis discrimine. Est enim fervens ille carnis in juventute impetus, cacodæmonis instar hominem possidentis, quem nunc in aquam nunc nunc in ignem proturbat, nunc in præcipitium sustollit, nunc in ima dejicit: Ac sicut infantilis ætas eo ipso reliquis ætatibus est felicior, quòd infelicitatem suam non intelligit: Ita hoc ipso infelicissima est juventus, quod pro delicijs & voluptatibus habet, in quibus nihil aliud repereris quàm amarorem, pœnitentiam, exitium. Loquor de sceleratis illis & vitiosis voluptatibus, quibus ea ætas litare assolet: Referunt illæ pruriginosam cutem, quæ modicâ cum oblectatione perfricata, acerbiorem longè post dolorem experitur: nauseam, inquam, ex longâ consuetudine; amarorem ex famâ, valetudine, facultatibus deperditis; vermem denique conscientiæ animum erodentem crudelissimè. Taceo jurgia, lites, plagas, homicidia, variaque discrimina, quibus conditas esse voluptates istas constat.

Hæc nimirum est illa juvenilis ætatis libertas, quam præcedens ætas anhelavit, subsequens fastidit & execratur.

e. Certissimus verò laborum, curarum, & ærumnarum cumulus *virilem & constantem ætatem* obruit: Huic enim potissimùm ætati dictum

dictum videtur, *In sudore vultus*, &c. Hinc enim rei domesticæ cura, illinc publicæ vocationis functio, mille molestias homini creant; quas quidem facilius decoqueret, si secundo quæque successu gauderent: sed enim infinita incommoda & obstacula, pericula, infortunia, eventus contrarij, sese obijciunt, ac offundunt; quorum accessione labor aliâs durus, in dolorem acerbissimum degenerat.

Duæ cumprimis tum pestes animum hominis mirificè obturbare & discruciari plerumque solent, avaritia, & ambitio; quarum quanta sit malignitas suis docebit locis Ecclesiastes: Verbum sufficiat hîc dicere, malorum Oceanum illis comprehendi.

f. Nihilo felicior *senecta*. Is quidem plurimorum scopus, ut appetente senio omnibus curis soluti tranquillè vivant, corpori ac quieti indulgeant; sed experiuntur verum esse vulgatum, senectus *sibi ipsi est onus, senecta per se morbus*: Omnes enim tum animi corporisque vires concidunt: Repuerascunt alij, denuoque immò duplò sentiunt infantiæ ærumnas; alij continuo mortis metu anguntur & contabescunt; alij tædio vitæ in seipsos sunt morosi. Quocunque igitur te verteris, omnia plena laboris, mœroris, doloris; vitam totam saxum Syssphi comperies.

Text. Ut melius ista exprimere non potuisset *Salomon*, quàm quòd *non quisquam eloqui posset*, dixit: Rex alioquin ut sapientissimus, sic eloquentissimus.

Usus. 1. Minimè igitur certa aliqua aut constans felicitas in præsente vitâ quærenda aut expectanda. *An legunt è tribulis uvas?* Matth. 7. ℣. 16.

2. Eoque tantò minus res mundanæ insectandæ: quantò enim quisque minus illis est implicatus, (sive honoribus, divitijs, scientijs, &c.) tantò minus habet curarum, laborum, ærumnarum. Quisque suâ sorte contentus vivat. *Ne diligite mundum, neq; ea quæ in mundo* 1. Joh. 2. ℣. 15. Vita hæctam nobilis non est, ut omne suum studium in eâ excolendâ impendere debeat Homo.

3. Patientiæ studeamus. Valeat enim hèic illud Ethnicorum dogma, *Patienter ferendum quod mutari non potest*: Illud statuentes, præsentis seculi hanc esse sortem, angi. *Possidete animas vestras per tolerantiam.* Luc. 21. ℣. 19.

4. Mortem ne reformidemus, sed exoptemus potiùs: Utpote quæ:

quæ miseriarum terminus est,& auspicium felicitatis æternę.Eccles.7.1. Apoc.14.13. Perinde ut mercenarius appetente vesperâ, naufragi conspecto portu, viatores metæ vicini,non gemunt, sed lætantur: Ita, &c. Ut mirum sit,nos tot laboribus hujus vitæ exhaustos, fluctibus agitatos, itineribus attritos, hanc tamen laborum nostrorum metam,portumque invitos plerumque cernere, & cum timore pensum absolvere! Quin igitur subsilientes tum cum Eliâ dicamus: *sufficit,Domine,tolle animam meam.*1.Reg.19.4.

5. Anhelemus ad vitam verè beatam in cœlis, quâ cunctæ istæ miseriæ aberunt. Apoc.21.4. & *plenitudo gaudiorum erit ad dextram Dei in seculum.* Psalm.16.11. Ex. *Patriarcharum.* Hebr.11.16. Ait sapiens hîc,miserias hujus seculi sermone exprimi sufficienter non posse: Quòd *si passiones hujus seculi* ne conferri quidem mereantur cum fidelium futurâ in cœlis *gloriâ.*Rom.8.18.Quanta ergò erit illa, quamque multò ineffabilior!

DE SECVNDO.

Satis haud dubiè probavit Ecclesiastes, nullam in sublunaribus *veram solidamq;* felicitatem extare posse,cum indicibiles undecunque labores & dolores mortalibus occurrant. Quia verò nonnulla speciem voluptatis alicujus & felicitatis habent,&gaudia quæpiam interdum mortalibus obrepunt; minus tamen illa *perfecta* esse ac *absoluta*, nunc altero loco evincit.℣.8.b.9.& 10.*Non satiatur oculus videndo,nec impletur auris auditu: Id quod fuit idem est, quod futurum est*,&c.

Summa est. Rebus mundanis desideria hominum expleri non posse: nec sperandum esse remedium,quia nihil sub Sole novi eveniat vel occurrat unquam,sed vetera recurrant, & subinde repetantur. Unde,si hactenus nunquam reperta sit, nec porrò repertum iri perfectam felicitatem in hoc seculo.

I. Dicit ergò primò: *Nec satiatur oculus videndo, neque impletur auris auditu.*℣.8.b.loquitur de *visu* & *auditu*, quia *Gustus, odoratus* & *tactus* adhuc citiùs fatigantur ac tædio afficiuntur. Sensus

a. Καὶ αρσιν. Verba hæc sicuti & præcedentia(*Cuncta res difficiles*,&c. sic enim vertunt nonnulli) referunt nonnulli ad *scientiarum & artium difficultatem:* quæ ideò perfectæ etiam non esse possint, quòd duo

isti

isti sensus nobiliores, Visus & Auditus, qui disciplinæ capessendæ potiora sunt organa, minus tamen sufficiant, ad penitiorem quarumcunque rerum naturæ ac constitutionis indagationem & perceptionem; eoque ut infirma nimis ad hoc sunt, sic etiam fallacia comperiantur non rarò esse ipsorum experimenta: quia videlicet cunctæ res sint difficiles, scilicet indagatu, cognitu, sensibusque minus obviæ, ut fugiant oculos licet avidè spectantes, aures licet attentè observantes. ipsamque consequenter hominis mentem, licet multifariam ratiocinantem. Concludunt inde, *sapientiam seu scientiam hominis imperfectam esse, nec habere aliquam metam*: maximè si conferatur ad eam, quam in cœlis assequimur, sapientiæ perfectionem. Quæ omnia ut verissima sunt in se, pro ut insequentibus monebit Ecclesiastes: Ita certè istorum verborum & significatio & nexus ostendit, ampliorem esse illorum sensum & scopum. Nempe hunc:

b. Κατὰ δίον. Indicari *desideriorum & cupiditatum cordis humani inexplebilem voraginem & ingluviem*, quæ nullâ re sedari aut saturari possit, quin ultra plura appetat & concupiscat: *Eoq; perfectam voluptatem aut felicitatem absolutam*, in mundanis non extare. Quod quàm sit verum, experientiâ satis constat. Figat aliquis summam hominis felicitatem

α. In *sapientia & scientia*: Imperfecta illa: *Nec enim auris auditu, nec oculus visu saturatur.* Plura semper videre oculus, audire auris, intelligere mens appetit. Nam & quæ videt & audit, penitius certiusque nosse cupit: eorumque quæ utcunque percepit tædio ductus, novi aliquid videre, audire gestit. Ex. *Athenienses* Actor. 17. 21. Equâ *curiositate, mentis inquietudinem oriri*, scitè dixit *Seneca*.

β. In *opibus & divitys*: Imperfecta illa: Avaritia inexplebilis: Avarus semper eget.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

γ. In *potentiâ & honoribus*. Imperfecta illa: Ambitio ignis instar est, quæ etiam summum ædium culmen amburens; non satiatur, sed ulterius tendit.

δ. In *delicijs & voluptatibus* carnis: quas *concupiscentiam oculorum* appellat *D. Iohannes*: Imperfecta illa: Novas enim semper voluptates delicatuli insectantur, antecedentium nauseâ ducti. *Voluptates*

ha (ait *Gregorius*) *si non cadunt sub experientiam, appetuntur: eas expertus, fastidit: contrà cœlestes non cupit qui non capit, & quo capit magis, hoc ardentiùs cupit.* Hom. 36. in Evang. Huc pertinet Proverbium: *Anima satura calcat favum*, Prov. 27.7. Ex. Israelitarum tanto fastidio Man cibi cœlestis ast vulgaris correptorum, ut ei cœpas & fœtida allia præposuerint. Vid. Job. 33.20.

Usus 1. Cùm ergo in rebus humanis & terrenis nihil sit, quod concupiscentiam hominis saturare aut ei satisfacere, possit; extra hunc mundum nobis excedendum fuerit, ut illud acquiramus. Hoc ipsum verò non nisi *Deus est*, utpote qui est *omnia in omnibus.* 1. Cor. 15.28. penes quem *satietas gaudiorum*, Psal. 16.11. *qui potior cœlo & terrâ*, Psal. 73.25. Summum bonum, infinitum bonum, æternum bonum, qui solus appetitum humanum sedat, & terminat; Extra quem nihil videre oculus pretiosius, nihil audire auris delectabilius, nihil concipere cor humanum potest optatius.

Hujus igitur ut visione, auditione, communione aliquandò perfruamur, annitendum nobis fuerit. *Unico hoc opus est.* Luc. 10. ℣. 42. Unicum ad hoc medium suppetit, terrena hæc contemnere; nec in illis felicitatem quærere aut locare: id enim qui faciunt, ad veram illam in Deo felicitatem nunquam pertingent. 1. Joh. 2. ℣. 15. 2. Cor. 4. ℣. 18. Tit. 2. ℣. 12. Ex. *Paulus*, Phil. 3.7,8. O beatos oculos nostros, qui Christum in cœlis visuri, aures, quæ audituræ sunt: Beatos prædicavit eo nomine Christus suos discipulos quibus in terris id obtigit; utcunq; infirmâ tum carne indutum spectassent; quantò beatiores, si in cœlesti gloriâ fulgentem intuebimur! Luc. 10.23. Tunc oculi visu, aures auditu, cor appetitu saturabuntur; quum in eandem gloriam transformabimur; quam hactenus *nec audivit, nec oculus vidit, nec quæ in cor hominis descendit.* 1. Cor. 2.9. Gloriabimur tunc cum *Davide, Quam pretiosa est benignitas tua Deus, quum filij hominum ad umbram alarum tuarum sese recipiunt. Uberrimè explentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis: Quandoquidem penes te est fons vitæ, in luce tua fruamur luce.* Psalm. 36.8,9,10.

Usus 2. Moderandæ cupiditates, suâ naturâ aliàs insatiabiles. *Concupiscentia minui potest, consumi non potest in hâc vitâ. Augustin.* lib. 5. contra Julianum. *Faciendum fœdus cum oculis* & auribus, *ne videant*, audiantque *vanitatem.* Job. 31.1. Psalm. 119.37. *Eruendus oculus scandalizans*, &c. Matth. 5. ℣. 29.

HO-

HOMILIA VI.

TEXTVS. ℣.9,10,11.

Id quod fuit, idem est quod futurum est, & id quod fit idem est quod fiet; neque est quidquam novi sub sole. Est-ne aliquid de quo dicitur, aspice hoc, novum est? quod iam fuit per secula, quod fuit ante nos. Non est memoria de prioribus: etiamq; de posterioribus quæ futura sunt, non erit de ipsis memoria apud illos qui erunt in posterum.

IN terrenis & humanis perfectam felicitatem hactenus non repertam inde probavit *Salomon*, quia nihil horum animum exsaturare testetur experientia: Si enim illa pro voto & abundè non suppetant, nos desiderio illorum cruciari, si affatim adsint, eorum nos fastidio corripi. Nec enim quicquam tam gratum oculis, auribus tam acceptum, gustuique tam suave quod assiduo frequentique usu non vilescat.

II. Dicit secundò, ℣.9,10. *Id quod fuit, idem est*, &c. Sensus est, Cùm hactenus in rebus humanis & terrenis certa aliqua ac perfecta felicitas à nemine inveniri potuerit; sperandum non esse, ut in posterum illa in ipsis reperiatur: Eò quòd res humanæ quævis, ut de naturalibus antè dictum, (terræ scilicet generationibus, solis, ventorum, fluminumque cursu) revolvantur in orbem; sic ut res & actiones quæ nunc fiunt, jam ante quoque factæ sint, & posthac quoque perinde sint eventuræ. Summa, Nihil esse novi sub sole, nec futurum etiam. Abstinendum igi-

tur ab indagatione summi & perfecti boni in rebus istis caducis & inanibus. Verum hoc

1. De *rebus Physicis:* Nihil enim natura novi producit; sed quicquid quocunque in genere, seu vegetabilium, seu vitâ sensuque carentium, generat; ejusdem generis aut speciei jam progenuit quoque antehac. Et hoc est quod *Salomon* hîc asserit de ijs, *quæ sunt*, h.e. rebus in naturâ existentibus. ℣. 9. a. Ideò dicitur Deus naturæ conditor quievisse septimâ die à cœptâ Creatione, ab *omni opere*. Genes. 2. 2, 3. h.e. à creandis novis speciebus. Tamen usque adhuc *operatur, & cum eo Filius*, Joh. 5. 17. quantum ad conservationem corruptibilium, ceu productionem individuorum, & creationem animarum humanarum.

Objciat quis, plura subinde *miracula, prodigia, monstra* prodire, cujusmodi vix antè fuerint.

Respondet peritè *Augustinus*. Monstra quoque ipsa, quæ inusitata nascuntur, quamvis inter se diversa sint, & quædam eorum semel facta narrentur, tamen secundùm id, quod generaliter miracula & monstra sunt, & utique fuerunt & erunt: nec recens & novum est, ut monstra sub sole nascuntur. libr. 12. de C. D. cap. 13. Miracula deinde & prodigia non inter res naturales numeranda sunt, quæ fiunt sub sole; sed inter opera divina potius, quæ præter aut supra naturam fiunt. Hîc verò *Salomoni* non nisi, de sublunaribus sermo est.

2. De *operibus & actionibus humanis:* moribus item & consuetudinibus, vestibus. Text. *Id quod fit idem est, quod fiet*, vel *Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil est dictum, quin prius dictum*. Terent. Ita nihil est factum, quin prius factum. Quæcunque enim sunt artes, scientiæ, opera, factaque humana, quæ hodie vigent, olim quoque fuêre. Si quæ noviter inventa putantur, vel temporum longitudine memoriâ interciderunt; vel auctiora duntaxat aut compendiosiora sunt; vel horum similia antiquitus habuere: Sic ars typographica alium saltem scribendi modum continet: tormenta ænea, si rem ipsam attendas novi nihil habent, quum & veteres suas habuerint machinas & arietes, quibus ad prosternendas turres, portas, muros usi sunt; sua item jacula, quæ in hostes vibrarunt. Semper præclari fuerunt artifices & rerum mirabilium inventores. Gen. 4. 21. 22. Exod. 35. 30. &c.

3. De *eventis*. Quæcunque enim in publicis & privatis evenire

nire videmus, nihil novi habent; *quò spectas* ℣.10. *Est-ne aliquid de quo dicitur, aspice hoc, novum est? quod jam fuit per secula, quod fuit ante nos.* Semper bella, fames, pestis, aliaque Dei judicia impium mundum exercuêre. Semper Ecclesia Dei persecutiones passa. Psalm.129.℣.1. Semper non saltem sub Lege sed etiam sub Evangelio erant Pseudodoctores. Etiam *Paulus* suum habuit *Iannem & Iambrem.* Ecquid hodiernæ hæreses nisi veterum repotia, crambeque recocta? Confer Matt.24.℣.24. Semper impietas, perfidia, infidelitas, &c. aliaque grassata sunt in mundo scelera, qui *semper in malo* jacuit & *jacet.* 1. Joh.5.19. Semper in vanum laborant, qui beatitudinem solidam in rebus terrenis quæsivêre: (quod ipsum cumprimis hîc asserere intendit *Salomon*) Tentata jam omnia à veteribus sub sole pro felicitate laborantibus, sed labore irrito, eventu contrario: non meliore igitur successu, aut feliciore conatu, hujus & sequentis ætatis homines, priscos æmulabuntur. Fuêre quondam divites, avari, voluptuarij, ambitiosi; sed infelices, turpes, miseri, suis seipsos cupiditatibus perdentes. Quàm ergo nunc novam felicitatem sibi polliceri aut fingere avari, voluptuarij, ambitiosi poterunt?

Usus. Abstineant igitur, &c. Ridentur Alchymistæ, quorum cùm nemo hactenus lapidem illum Philosophicum repererit, quin aurum quærendo in miseram pauperiem seipsum conjecerit, nec dum tamen id genus hominum facessere. Excipiuntur tamen *opera gratiæ*, cumprimis Incarnationis Filij Dei, &c. Deut.4.32.

DOCTRINA I.

Sapienter & accurratè in præsenti seculo vivendum, observandique rerum eventus & casus, atque ex præteritorum experientiâ de futuris concludendum. *Id quod fuit idem quod futurum, & id quod fit, idem quod*, &c. *Videte quomodo accuratè ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes: Redimentes opportunitatem*, &c. Ephes.5.15. *Ne estote sicut equus & mulus, expertes intelligentiæ.* Psal.32.9. Experientiæ quoque hanc ipsam ob causam conjungendum studium Historiæ, sacræ cumprimis, quę præterita nobis ob oculos ponens, de præsentibus & futuris nos commonefacit, *Id enim quod fit idem quod factum, Nihil novi*, &c. Unde etiam *Thucid.* libr.1. Historiam sapienter scriptam κτῆμα ἐς ἀεὶ ξυγκείμενον appellat, h.e.

perpetuum thesaurum exemplorum, ac veluti theatrum vitæ humanæ ad omnia mundi tempora congruens.

Multiplicem id habet usum: servit enim

1. Ad *Institutionem*, & scientiam, cumprimis quod statum attinet hujus mundi & præsentis seculi. Magnam enim ille præ se fert speciem suis illecebris, sed penitius observanti præcedentium temporum casus & historias occurret, cuncta meram esse vanitatem. 1.Cor.7.31. nec melius quid de ipso sperandum esse inposterum: neque ideò illi insistendum, sed quærendam *meliorem civitatem in cœlis*. Hebr.13.14.

2. Ad *Cautionem*. Ut sapiamus alieno periculo. *Mementote uxoris Loth* Luc.17.32.1.Cor.10.6.&c.

3. Ad *Consolationem*, *Quæ enim contigerunt olim, & scripta sunt antè ad doctrinam nostram antè scripta sunt: ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*. Rom.15.4. Psalm.77.12. Psalm.119.52.

Tutissima hæc est prophecia, de præteritis ad futura concludere; maximè cùm succenturiantem aut verius præeuntem habemus scripturam. Superat ea Magorum & Astronomorum vaticinia, fallacia & captiosa.

DOCTRINA III.

Priscus mundus non melior fuit, quàm præsens, nec melior erit postremus. Id quod fit idem, &c. *Nihil sub sole novi*, &c. *Poetæ* primum seculum aureum dixere, secundum argenteum, &c. Sic *Horatius*:

Damnosa quid non imminuit dies
Ætas Parentem peior avis tulit,
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Nugæ! Mundus est mundus, *jacens in malo*. Joh.5.19. *Semper dies malis in seculo, sed semper dies bonis in Deo. Augustin.* Conc.2.in Psalm.33. *Ne dicas meliora tempora fuêre quàm nunc sunt: Virtutes viventi faciunt dies bonos, vitia malos. Hieron.* in cap.7.Eccles. Nullum non seculum vitiorum feraciissimum, *nullum adeò virtutum sterile seculum, ut bona exempla non prodat. Tacitus.* Vix natis hominibus inter primos fratres viguêre æmulationes, perfidiæ, jurgia, homicidia, hypocrisis in Deum, contemptus parentum. Priscus mundus diluvio absorptus, propter omnigenam impietatem

tatem & malitiam, ſicut ultimus igne concremandus eſt, 2. Petr. 3. v. 10. Quin diſertè Chriſtus dies ultimos, diebus *Noe* & *Lothi* aſſimilat in malitiâ. Matth. 24. 38. Luc. 17. 28.

Usus 1. Non benè ergo judicat, qui

Laudat præteritos præſentes deſpicit annos, &c.

Cujus judicij cauſa *partim* moroſitas quædam ſenibus cumprimis familiaris, quibus idem, quod navigantibus accidit, uſu venire ſolet. Ut enim illis urbes, montesque recedere videntur, cùm tamen ipſi recedant, ſic ſenes, falſâ rerum imagine decepti; cùm è mundo abeunt ipſi, abire pietatem, ſanctitatem, fidem, integritatem omnem ſibi perſuadent: *partim* invidia, quòd

Virtutem præſentem odimus.
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Rectè *Ovenus*,

Stulta hæc invidia eſt cui cuncta recentia ſordent
Invida ſtultitia eſt, cui nova ſola placent.

2. Stolidum eſt ſperare in hoc ævo meliora, fingere Eccleſiam altâ pace fruentem, pios heic triumphantes, &c. *Id quod fit, idem quod fiet.* Ut mirum non ſit, pios tædio duci præſentis ſeculi, & beatum ex hoc mundo egreſſum præoptare.

DOCTRINA III.

Cùm *ſub ſole nil novi*, quæ pro novis habemus talia ſunt *non revera*, ſed *ſecundùm falſam opinionem & imperitiam noſtram*, qui hîc ſimiles ſumus pueris & idiotis ruri educatis, quibus omnia quæ pervulgata ſunt, nova videntur, cùm in aula aut urbe degentes ſecus judicent.

Usus 1. Nova itaque hæc non nimium admiremur, ea ſcire haveàmus, non ut *Athenienſes* Actor. 17. 21. Sed ut *Nehemias*, cap. 1. 2. &c.

Usus 2. Si novitatis ſtudio ducimur:

a. Animum & cogitationes à mundanis & obſoletis traducamus ad S. Scripturam. Novum cumprimis teſtamentum, in quo verè nova inveniuntur, quæ ſemel facta, nunquam antea exſtiterunt, vel deinceps exſtabunt, cujusmodi ſunt nativitas, mors, reſurrectio, &c. Chriſti Servatoris: quæ ut nova ſunt, ita ſtupendâ adeò; ut ſi in conſideratione eorum vitam conſumeremus univerſam, ſemper tamen aliquid novi, quod antea non comprehenſum, eluceſceret.

b. Magis

b. Magis magisque *innovemur spiritu mentis nostræ*: Eph.4.23. & indies magis magisque in novo homine proficiamus.

c. Fide & spe nostrâ feramur, in *novum* illud *cœlum* & *terram novam*, in quibus *justitia habitabit*, 2.Petr.3.11. Apoc.21.1. Rom.8.23.&c. Ad quorum incolatum assequendum, conferet prior illa nostri innovatio: sine quâ frustra ille speratur. Joh.3.5.Hebr.12.14.

DOCTRINA IV.

Vita hæc similis Comœdiæ, quâ mutatis duntaxat personis, eadem subinde fabula luditur, & recurrit. Quæcunque enim hodie nova habentur, eadem ante hæc alijs evenisse, ex historijs & experientia constat. *Est-ne aliquid de quo dicitur aspice hoc novum est? quod jam fuit per secula, quod fuit ante nos.*

Hujus fabulæ humanæ *theatrum*, Terra, *Actores* sunt homines in hunc mundum ingredientes, & ex eo egredientes: Unus enim introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus: Nudi nascuntur omnes, nudi decedunt omnes.

a. Ut verò actores varios habitus induunt, quibus hanc vel illam personam repræsentant: Ita varij sunt hominum in hac vitâ status, conditiones & ordines: sunt enim Imperatores, Reges, Principes: sunt Rustici & Mendici: Divites epulones & voluptuarij: sunt Lazari ulcerosi: pueri, senes; Mares, fœminæ; Domini, servi: Sapientes, Stulti: Pij & justi, impij & injusti.

b. Ut nihil eorum est in rei veritate, quæ personæ comicæ aut tragicæ præ se ferunt; sed mera species in externo vestitu consistens: Ita enim qui regio paludamento Regis est mimus, nihilo tamen suis sodalibus est felicior. Sic *personata* est mundana felicitas. Seneca Epist.80. *Figura hujus mundi præterit*.1.Cor.7.31.

c. Ut qui nunc Regis personam gessit, alterâ scenâ mendici forte gerit, & vicissim: Sic instabilis est hominis hoc in mundo sors, miraque sunt fortunæ utriusque ludibria, & permutationes.

d. Ut falleretur, qui ab externo comico habitu, de ipsâ personâ judicare vellet, quasi Rex esset qui coronam gestaret: stultus qui nolas: fœmina, qui muliebrem amictum: mendicus qui laceras vestes, &c. Ita certè fallax est de homine judicium, quod ab externâ ejus sorte vel conditione

ditione sumitur. Scitè enim *Salomon*: *Est qui divitem se jactat, cum desint omnia. item qui pauperem se fingit; cui substantia est ampla.* Prov. 13. 7. Nec enim divitiæ ex rerum copiâ & splendore, sed ex animo æstimandæ sunt. *Quis dives? qui nihil cupit. Quis pauper? avarus.* Similiter nec infelix censendus est, qui variis ærumnarum fluctibus agitatur in hoc seculo: nec felix, cui cuncta fluunt pro voto. Psalm. 73. Ita qui in hoc mundo stultiores & viliores habentur, re ipsâ sapientiores & honestiores sunt sæpè, quam qui sapientiæ & eminentiæ titulis ampullantur.

e. Ut in Comœdijs, ad cujusq́ne personæ actionem sua requiritur solertia; ac ad stulti aut mendici personam agendam, major sæpè ars ac subtilior sapientia requiritur, quàm si sapiens vel dives exhibendus esset scenæ: Ita nullus est inter homines status, qui non suâ constet arte, peritiâ, prudentiâ; contemptiores etiam opificum, rusticorum, nautarum, &c. Ne quis igitur quenquam alium despectui habeat, ob id, quòd in humiliore sit locatus statu: Non omnes eandem personam sustinent in scenâ: non omnes sunt reges, aut moriones, &c. Ita varietatem istam voluit esse Deus inter homines, ut quisque alterius ope indigens, suum proximum amet, colatque.

f. In Com. spectatores nunc ad risum, nunc commiserationem & lacrymas moventur. Sic mixta sunt læta tristibus in mortali hâc vitâ.

g. Ut mimi ferarum quandoque exuvijs induti prodeunt, & bestias imitantur: Ita certè diversi affectus diversorum animantium personas nobis imponunt: ira leonis, ingluvies porci, rapacitas lupi, canis impudentia, pavonis superbia, &c.

h. Scenæ theatrales brevi durant, & finiuntur: Sic momentanea est hominis ætas.

i. Tandem ut fabulâ finitâ scenicas vestes exuunt Comœdi, & redeunt unde venerunt; posterâ die alius jisdem vestibus indutus in theatrum prodit: Ita exuendum & deferendum est homini sub finem vitæ, quicquid vel fuit, vel possedit: Nudo abeundum est in terram, ut venit: Psalm. 49. 18. Alijque succedenti cuicunque, & honores, & divitiæ relinquendæ: qui eandem denuò telam orditur, quam prior pertexuit. Recurrentibus humanis actionibus in orbem, ut hic Sapiens contendit.

Cuncta hæc sapientissimè agnovit & perpendit *Augustus* Cæsar; ut refert *Cedrenus* in Compend. histor. Sueton, eaque propter vitam huma-

nam ceu rem ridiculam subsannavit: Mox enim moriturus, admissos amicos percontatus est; Nunquid jis videretur, mimum vitæ commode transegisse? Insuperque Romæ proceribus omnibus mandavit, ut se defuncto plauderent ac risum tollerent, qui in mimorum fine fieri assolebat. Si tantus Cæsar, homo insuper Ethnicus, id fecit, quid statuendum de Christianis illis, qui præsentem mundum, & quæ aliquem in eo videntur habere splendorem tanti faciunt; ut æternum hic vivere optârint, si liceret illis. Quisque eò tendat, ut personam suam ritè & ornatè agat, dum vocationi suæ fideliter incumbit ad gloriam Dei, &c.

DE TERTIO.

Tertium restat expediendum ℣.11. *Non est memoria de prioribus: etiamque de posterioribus quæ futura sunt, non erit de ipsis memoria apud illos, qui erunt in posterum.* Quo porrò *evanidam, fluxam ac caducam* esse præsentis seculi personatam felicitatem ostendit, inde quod ne memoria quidem sublunarium quorumcunq; permaneat, tantum abesse ut ipsa stabilia sint ac permanentia. Sic enim, ait, *& priora oblivione esse sepulta, idemq; de futuris futurum.* Ista rerum terrenarum inconstantia passim docetur in Scripturâ Esai. 40. ℣. 6, 7. 2. Cor. 4. ℣. 18. *Mundus perit*, &c. 1. Johan. 2. 17.

Caducæ ergò opes, caducæ dignitates, caduca sapientia, caduca voluptas, &c. Nec ipsa modò caduca, sed & eorum memoria caduca: Et quæcunque ab hominibus dicta, facta, gesta sunt; tandem non modò ipsa transeunt, sed & eorum memoria perit. Sicut enim homo moritur ejusque nomen per oblivionem evanescit; sic quæcunque sunt homini, suam & mortem habent, & evanescentiam. Ut rectè dixerit ante *Salomon. Nihil esse novi sub sole*: Quæ enim nova videntur, vetera sunt, sed oblivioni tradita, rursumque innovata tantùm.

OBJECTIO. Ita vero tacitæ *objectioni* occurrit Ecclesiastes: Esto enim, dixeris, Nulla sit in rebus terrenis vera felicitas, quod labore & dolore permixta sint; nulla perfecta, quòd animi cupiditates non satient; nulla constans, quòd evanescant tandem: hoc tamen videntur habere boni, quod utcunque amittantur & pereant, attamen *gloriam & celebritatem*

tatem nominis ac famam immortalem post se relinquant; sapientia præsertim, aliaq; heroum catorthomata. Et certè constat Ethnicos olim virtutibus præclaris deditos, hunc unum sibi præfixisse scopum, ceu beatitudinis metam aliquam, Nominis scilicet immortalitatem.

RESPONSIO. *Respondet* ergo Ecclesiastes, & hoc inane esse & fluxum: Quum & memoria hujusmodi tandem pereat & evanescat. Usitatum erat antiquitus, monumenta & columnas erigi, ad conservandam præclare gestorum memoriam; sed quia corruptibili materiâ constabant, quid mirum si perierunt cuncta? succedit oblivio?

Mors etiam fastis nominibusq; venit.

Quæ librorum monumentis de rebus antiquis conservata sunt, quantilla sunt illa? quot millia præclarorum virorum fuerunt, quorum nomina ne fando ad nos pervenerunt? quot porrò Bibliothecæ. quot historiarum libri perierunt, & incendijs etiam conflagrârunt? quod accidisse Bibliothecæ Alexandrinæ scribit *Gellius* libr. 6. cap. ult.

Quæ verò adhuc extant historiarum antiquarum monumenta, paucissimi sunt, qui pervolvant; quæ verò de rebus antiquis leguntur, perinde transeunt, ac si quis fabulam vel somnium narranti auscultasset. Et quæ mortuorum est felicitas, memorari eorum potentiam, opes, delicias, virtutes multis nævis conspurcatas? Manet igitur Sapientis istud, & *memoriam rerum humanarum fluxam esse & vanissimam.*

Et hoc quidem de jis duntaxat capiendum, *quæ sub sole* fiunt. Quæ verò *supra solem* existunt & fiunt, nullâ oblivione obliterantur, sed æterna manet illorum recordatio. Uti sunt,

1. *Opera* Dei. *Justitia ejus manet in seculum.* Psal. 111. 3. Sic Benignitas, Psal. 136. 1. Laus, Psalm. 111. 10. Fœdus, Esai. 54. 10. Verbum, Esai. 40. 8. Matth. 24. 35.

2. *Pietas* hominis. *Justus erit in æternâ memoriâ.* Psalm. 112. ℣. 6. *memoria justi in benedictione* Prov. 10. 7.

Justorum enim nomina non cœtilibus laterculis, non tabellis marmoreis inscribuntur, quæ situ & ætate pereunt, sed scripta sunt *in cœlis.* Luc. 10. 20. Ideoque nullâ temporum edacitate exeduntur. Ita Deus compensat gratis, in sanctis id, quod & ipsi Dei recordantur. Psal. 137. 5, 6. qui vult suorum operum & mirabilium nos meminisse, eumq; etiam in finem *memorias illorum instituit*, Sacramenta: veluti Pascha, Sacram Cœnam, &c. Psalm. 111. ℣. 4.

Usus. Id igitur agamus si nominis immortalitatem consequi voluerimus; non ut mortuis nobis, divitiæ, auctoritas, facta & gesta humanitus laudatissima memorentur, quæ memoria perit? sed cumprimis pietas nostra, cujus etiam post mortem memoria & fructus perstabit ingens. Nomen contra impiorum *putrescet*. Prov.10.7.Psal.9.6.7. Recedentes *in terra scribentur*. (non cœlo) Jerem.17.13. quos propterea *in lutum platearum delebit Deus*, Psalm.18.43. Vide infra *Conc.* I. in cap. VII.

HOMILIA VII.

TEXTVS. v.12,13,14,15.

Ego Ecclesiastes, quum essem Rex super Israelem Ierusalaimis; Applicans animum meum ad disquirendum & ad explorandum sapientiam de omni eo quod fit sub cœlis (hanc occupationem malam dedit Deus filys hominum, ut occuparent se in ea) Vidi omnia facta quæ fiunt sub sole; quòd ecce, ista omnia sunt vanitas & afflictio spiritus: Perversum non posse corrigi, & defectum non posse in numerum venire.

VEre D.*Iac.*c.4.4. Vita vestra *vapor*. Quanquam ergò homo ex vitæ suæ vanitate & miseriâ, liquido conc'udere posset, totius hujus seculi, omn[illegible]imque rerum mundanarum inanitatem; quia tamen, [illegible]im in hoc mundo lautiùs degit, patitur oculos sibi præs[illegible]ingui, falsa eius gloriâ & figurâ, ut nimio quandoque ejus amore & æstimatione teneatur: ideo consultum judicavit Rex sapientissimus, ejus vanitatem accuratius persequi, & palam.

palàm ob oculos mortalibus statuere. Postquam ergo in libelli hujus Exordio, Propositionem edidisset, memorabili gnomâ, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: ne quis scilicet summum in subsolaribus bonum quærere pertentet: porrò ad ejusdem confirmationem descendit.

Et primò quidem duas generales præmittit probationes: quarum *Prima à ratione* desumpta est: quia videlicet omnia humana irremisso frustraneoque labore, & ineffabili miseriâ constent; neque proin certam aliquam, perfectam, ac firmam felicitatem in illis haberi posse; quam quidem rationem tum similibus è naturâ petitis, tum eorum ἀποδόσει eoque propriis verbis explanavit. Et hæc quidem hactenus. *Altera generatio* desumpta est ab *ipsius Salomonis longâ observatione & experientiâ*, de quâ nunc τὸν Θεὸν. *Ego Ecclesiastes quum Rex essem, &c.*

Summa huc redit, se cùm Rex esset, eoque mediis sufficientissimis instructus ad explorandum hujus seculi statum, si quâ in re vera aliqua & constans hominis felicitas subsideret; longâ tamen experientiâ edidicisse, Omnia meram esse vanitatem, &c. sicut initiò dixerit.

Duo circa hæc observanda.

I. *Quibus argumentorum momentis Salomon istam suam experientiam muniat, eiq; authoritatem conciliet.*

II. *Quid tandem repererit.*

DE PRIMO.

Necessum utique erat *Salomonem* proprium suum testimonium stabilire, ut fides esset ei; nec sufficiebat, simpliciter asserere, se hoc vel illud expertum esse: cum fieri possit, ut experientia unius diluat alterius experientiam minùs sufficientem. Quòd ergo experientia sua exquisita sit, omnique exceptione major, duobus probat argumentis *Salomon*.

I. Prius petitum est à conditione suæ personæ.

II. Alterum à ratione studij sui quod adhibuerit.

I. De *conditione suæ personæ* ita: *Ego Ecclesiastes quum Rex*, &c. Constat ad rei alicujus indagationem sumptus & media varia requiri-

Talia verò sibi non defuisse ad explorandam præsentis ævi conditionem & vanitatem, hoc ipso satis confirmat, quod ait, *se Regem fuisse*: nec tenuem aliquem Regem, cujusmodi Reguli apud Orientales plurimi erant, qui uni saltem alicui oppido dominabantur, (uti liquet ex 14. cap. Genes. quo legitur *Abrahamum* cum 318. vernis suis quatuor Reges debellâsse) sed amplissimum & potentissimum Regem, Nempe *super Israelem & Ieruschalaim*; adeoque super gentem præstantissimam & numerosissimam, cui nulla alia poterat æquiparari, Deutr. 4. 7, 8. tum etiam super metropolin regni, clarissimam civitatem totius Orientis, uti supra dictum, scilicet Hierosolymam.

Dicat quispiam, si quis velit divitias, potentiam & honores, voluptates & gaudia, &c. vanitatis coarguere & condemnare; necessum esse, ut talia cuncta possederit, probeque comperta habuerit; secus statuendum esse, de re incompertâ ipsum loqui, cœci instar de coloribus.

Ad hanc igitur *Objectionem* eliminandam sufficientissimum est, quòd hic *Salomon* de suâ personâ asserit, *Se Regem fuisse super Israelem & Hierosolymam*: eoque opulentissimum, magnificentissimum, potentissimum, &c. cui nemo Regum sub Sole hic par fuerit unquam. 1. Reg. 3. Eccles. 2. 10. Nullum proin dubium esse debere cuiquam, an habuerit idonea adminicula rerum humanarum conditionem explorandi, quid nimirum de divitijs, potentiâ, authoritate, delicijs, &c. statuendum sit, quia his omnibus abundârit.

Observandum præterea *Salomonem* in præterito loqui, *Fui Rex*, seu *quum essem Rex*: Hinc enim liquet senio confectum, morti vicinum, cùm brevi & vitæ huic & regno valedicturus esset, hoc suum de rebus mundanis judicium evulgâsse; adeoque post longam multorumque annorum, usu rerum confirmatam experientiam.

II. *Alterum* argumentum petitum est *à studio*, quod intenderit *Salomon* in rerum sublunarium indagationem. Nec enim suffecturum videbat, dicere, se Regem fuisse, cùm plures inter illos sint, stupidi, stolidi, ignavi, de re nullâ curiosi, qui ne quidem regiæ aut regni sui statum norunt, nedum ut totius hujus mundi rationem pernoscere satagant. Commendat autem hoc suum studium inde, quod illud adhibuerit

1. *Accurate*: Text. *Applicui animum meum, &c.* q.d. non oculorum, vel aurium, aut aliorum externorum sensuum judicio steti,

sed ad

sed ad animum cuncta revocavi, probe consideravi & expendi. Sæpè enim sensus fallunt.

2. *Sapienter*: Text. *Ad disquirendum & explorandum sapientiam* vel *cum sapientiâ*, h.e. sapienter, q.d. de hoc gloriari possum, quòd non deliranter, aut imprudenter egerim, in explorandis & dijudicandis rebus, sed pro illâ, quæ mihi à Deo supra communem hominum sortem, obtigit sapientiâ.

3. *Plenariè*: Text. *de omni eo quod fit sub cœlis*: Comprehenditur hic *objectum*, circa quod suâ illâ disquisitione versatus est *Salomon*. Quæ verò sint illa, *quæ fiunt sub cœlis*, supra dictum: Videlicet *tum* res naturales & physicæ: *tum* humanæ, hominum videlicet solicitudines, labores, studia, & vitæ genera diversa. Cuncta hæc de minimo ad maximum, quantum illorum sub notitiam meam pervenére, nullo intermisso, indagavi. Neque proin de divinis heic sermo est, eorumque indagatione, quæ minimè vana.

DOCTRINA I.

De *nullâ re quicquam temerè pronunciandum*, si non eam *vel* exploràris ipse, *vel* ab alijs fide dignis exploratam ritè, acceperis. *Salomon* diligentissimè se inquisivisse in res omnes præfatur, antequam de eorum vanitate pronunciet. *Christus* ipse, *Quod scimus loquimur, quod vidimus testamur*. Joh. 3. 11. D. *Johannes* similiter præfatur, sub initium Epistolæ suæ primæ: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus & manus nostræ contrectarunt*, &c.

USUS. Doctoribus omnibus hoc observandum, maximè qui in Ecclesia DEI docent, ut de suâ doctrinâ sint certi: Certi autem erunt, si filum veri DEI fuerint secuti; Est enim illud *Veritas*. Joh. 17. 17. Detestanda est plurimorum temeritas & mendacitas, qui de rebus dubijs, & quas minimè exploratas habent, audacter tamen sermocinantur, testanturque. Ex. *Cretenses*. Tit. 1. 12. Tales fidem prostituunt apud homines. Præstat tacere, quàm incerta asseverare.

Observandum à Quo, quis aliquid didicerit, in Religionis negotio: *Maneto in ijs quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris*: 2. Tim. 3. 14.

DO-

DOCTRINA II.

Experientia rerum communiter *penes senectam est.* Seris venit usus ab annis. Quin & suo malo multa didicerunt senes. *Salomon* grandæ vuserat, cùm ista scriberet, adeò experientiam suam obtendit, & urget: q.d. quę multorum annorum observatione edidicerit, hęc nunc se decrepitum concionari. *In decrepitis est sapientia, & fortitudo: in longitudine dierum intelligentia.* Iob.12.12. *Quàm speciosum est canities iudicium, & senioribus cognitio consilij: quàm speciosa est senum sapientia, & gloria præditis decora cogitatio, & consilium; Corona senum est experientia multiplex* &c. Syr.25.6,7,8. Verum quidem est, quandoque etiam iuniores magnâ pollêre rerum scientiâ, & in agendo dexteritate; nec raro senes ingenio superare multos, quæ singularis Dei est benedictio: Dan.2.21. Ex. *Moses* Actor.7.22. *David*, Psalm.119.ℵ.99.100. *Ieremias*, 1.6. &c. *Daniel*, cap.1.17. *Iohannes Baptista* & *Christus*, qui circa 30.æt.annum munus suum obiêre. *Timotheus*. 2.Tim.3.15. & 1.Tim.4.12. Hoc tamen certum est, solidiorem esse longè sapientiam, si cum ætate & annis experientia accesserit. Verè enim D. *Hieronymus*, *Bos fessus fortius figit pedem.* Sensus est, senes, qui studio fessi sunt & ætate lapsi, confirmatiores esse in suâ scientiâ. Id causæ erat, quòd πρεσβύτεροι, *Seniores* in Republicâ Israëliticâ pro Judicibus & scabinis allecti sunt. Deutr.1.15. Sicuti apud Romanos *Senatores*, à senio sic dicti.

Usus 1. Magno igitur in precio habendi sunt senes exercitati; *Coram canitie assurgito: ut honorem habeas faciei senis.* Levit.19.32.

2. Horumque potiùs consilia & monita, quàm iuniorum sectanda; secus quàm fecêre, suo quidem malo *Rechabeam.* 1.Reg.12.13. *Xerxes*, apud *Herodotum*; Plus valet umbra senis, quàm gladius iuvenis. Hebræi ajunt: *Si dixerint tibi iuvenes ædifica & senes destrue. Ausculta potiùs senibus quàm iuvenibus: Nam ædificatio iuvenum est destructio, & senum destructio est ædificatio.*

3. Orandum pro illis: quia non exigua Dei pœna est, si sublatis è medio senibus, pueros substituat in Republicâ. Jehova exercituum amoturus est Hierosolymis & à Jehuda, &c. potentem & bellatorem; judicem & prophetam, sagacemque & *senem*. Esai.3.2,3. & Eccles.10.13.

Heu tibi regio, cujus rex puer est, &c.

DO-

DOCTRINA III.

Scientia duplex objecti ratione; Una *subsolarium*, altera *supersolarium* rerum, hoc est, rerum divinarum, & mysteriorum cœlestium, de Deo ejus essentia, personis, proprietatibus, operibus; de hominis lapsu, redemptione, regeneratione, &c. de resurrectione mortuorum, judicio extremo, vitâ æternâ, &c. Illa humanâ industriâ indagari potest; prout hoc *Salomon* testatur de se, quòd ei incubuerit: Hæc non item, sed divinitus necesse est illam revelari. *Deum enim nemo vidit unquam.* Joh.1.18. *Habitat in luce inaccessâ.* 1.Tim.6.16. *Quæ sunt Dei nemo novit nisi Spiritus Dei.* 1.Cor.2.7,8,9. Conf.Rom.11.33,34. Hinc *Christus* dicit *Petro: Caro & sanguis hoc non revexit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.* Matth.16.17.

Usus. Magno igitur nobis esse debet in precio verbum Dei, seu S.Scriptura, quippe quâ supersolarium istorum doctrina continetur, à Deo ipso inspirata.

DE SECVNDO.

Nunc de experimento ipso dicendum, quod *Salomon* assecutus est ex rerum omnium indagatione. ℣.18.b. *Hanc occupationem malam dedit Deus filijs hominum, ut occuparent se in eâ.*

Nominat is I. *Primò* mortalium studia, circa quæ versantur, in diversis vitæ generibus, *Occupationem malam.* Est enim occupatio illa, *vel inhonesta* & turpis; Ut si quis in vitijs & sceleribus patrandis est occupatus: & hæc utique pessima est occupatio: *vel honesta* & salutaris humano generi; Ut si quis vocationi legitimæ insudet: Et hæc occupatio *mala* est, quia cum labore, solicitudine, molestiâ ingenti conjuncta: *Vel* est *adiaphora*; veluti si quis in corradendis divitijs, insectandis honoribus, potentiâ, sapientiâ, vitæque præsentis jucunditate ac tranquillitate, studium omne ponat. Et hæc quidem occupatio iterum *mala*: quia summè laboriosa ac ærumnosa, tum inanis & futilis, cùm in ea vera animi tranquillitas, aut felicitas reposita non sit, tum denique exitialis illis, qui per eam à cœlestium meditatione abstrahuntur.

Hujus autem perversitatis in occupationibus hominum, authorem Deum facit, Text. *dedit Deus filijs hominum*, &c. non culpæ sed pœnæ

respectu: Quia videlicet Deus peccatum hominis ita punivit, ut ipsum ad omnigenas curas, labores, sudores, molestias condemnârit, quibus suos in hoc ævo dies consumat: Genes. 3.19. Job. 5.6,7. Deinde etiam, quatenus Deus peccatum peccato justè punit; prout peccatum primi hominis punitum est, privatione imaginis Dei: unde peccatum originale in posteris: ex hoc peccata quæque actualia, quæ ipsa quoque sibi invicem pœna fiunt in incredulis & pœnitere nescijs.

II. *Secundò*, postquam distrahi hominem laboribus & molestijs, atque occupatione malâ præfatus esset; nunc an quid illâ assequatur, elucidat: Minimè verò, inquit: atque hoc cum admiratione ac velut indignatione profert: *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole*, h.e. universa ac diversa illa hominum studia, ac vitæ genera. *Eccl. universa vanitas & afflictio spiritus*, seu consumptio, depastio; contritio; teredo cor erodens, varijs cupiditatibus, affectibus, solicitudinibus. Sic antè ℣.8.

III. Istam verò κάκωσιν seu malitiam occupationum & studiorum humanorum, tum etiam eorundem vanitatem & inanitatem affirmat *Salomon*, ℣.15. esse:

a. *Inemendabilem*: Text. *Perversum seu contortum aut incurvum, non potest corrigi seu in rectum aut planum duci*: simil. à muris, qui primò non ad amussim fuerunt erecti: hi certè non amplius flecti in rectitudinem possunt: aut annosis arboribus curvis, quæ flecti nequeunt, quin disrumpantur.

b. *tum Innumerabilem*: Text. *Defectus non possunt numerari*: quod prioris est aggravatio. Scopus est, immutationem aut emendationem rerum humanarum sperandam non esse, nedum tentandam: sed hoc suo statu præsentem mundum, perseveraturum; occupationes mortalium semper fore malas, laboriosas, molestas, inutiles, ac multis etiam pernicioſas. Adeoque invanum suscipere hominem laborem, si vanitatem & spiritûs attritionem è mundo, ac studijs humanis auferre satagat.

DOCTRINA.

De *inemendabili hujus seculi, & rerum humanarum miseriâ & corruptione.*

A. Primò enim quod *microcosmum* seu hominem attinet, Pravitas

vitas ejus naturalis, quæ *originale peccatum* dicitur, nullatenus emendari aut extirpari in hac vitâ potest. Inchoatur quidem hominis regeneratio hîc, non absolvitur aut consummatur: Sed nec illud humanâ fit industriâ, sed supernaturali Spiritus S. operatione. Hinc illa *Pauli* querela, Rom. 7. 23, 24, 25. Atque etiam, quæ congenita sunt quasi hominis vitia, aut *consuetudine* attracta, difficulter ejiciuntur. Hinc illud Poëtæ

Naturam expellas furcâ tamen usq; recurrit.

Jerem. 13. 23. *Si Æthiops*, &c. *Magna est* (ait *Chrysost.* in 2. Cor. cap. 4.) *consuetudinis tyrannis, adeoq; magna, ut perinde cogat, ac natura.* Cui consonum illud vulgare *Consuetudo est altera natura.*

Usus. Neque igitur consuetudini locus cedendus est in malis, sed citò desistendum, antequam in consuetudinem abeat peccatum: Id quidem sibi imaginantur mortales; se hoc vel illud vitium adhuc semel atque iterum commissuros, postea destituros; sed non vident talibus se incautos vinculis implicari, unde pòst non pateat illis exitus. Verè D. *Augustinus* in Enchirid. cap. 80. *Peccata quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur; usq; adeò, ut non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda ac diffamanda, videantur.* Observandum id vel maximè Parentibus, ut arborem flectant, dum adhuc flecti potest; ne præsentis dicti *Salomonis* in libèris suis experiri cogantur veritatem.

Sic nec quæ *naturalia sunt corporis humani vitia*, ullâ arte corrigi possunt. *Potest-ne quispiam apponere ad staturam suam cubitum.* Matth. 6. 27. Sanatus à Christo cœcus natus, Joh. 9. à *Petro* claudus ab utero, Actor. 3. sed divinis hæc facta miraculis.

B. Secundò si *macrocosmum* attendamus: Quis præstabit, ne bella, fames, pestis, terræmotus, tempestates, inundationes, &c. irruant? Quis ea, quæ in Republicâ, foro, Ecclesiâ, alijsque actionibus & moribus hominum, curva sunt, recta faciet singula? Quis injustitiam, oppressionem, perfidiam, fraudes, circumventiones, &c. è mundo eliminabit? Summa. Quis hujus seculi, hominisque vanitatem, inconstantiam, miseriam, ærumnas, labores, dolores, mortem denique auferet? mutationes quædam utiles sunt, quibus κακία aliqua corrigitur, non omninò tollitur. Sæpè autem mutationes sunt periculosæ.

Usus 1. Errant igitur Anabaptistæ alijque fanatici, qui hominem in eum adduci statum puritatis posse contendunt, quo fuit ante lapsum, in hoc etiamnum seculo.

2. Tolerandi etiam mali, qui emendari nolunt: ne tamen sint facinorosi. *Sinite crescere zizania.* Matth.13,30. 2.Tim.2.24,25. Gal.6.1.

Quod notent, qui alijs præfecti sunt, ne rigidi nimis sint & violenti: Faciant officium, cætera Deo committant. Man kan nicht alles zu Bölgen thrähen/oder eben vnd fadenrecht machen/&c. *Ne esto justus nimium.* Ec.7.16.

Quemadmodum in corpore humano, strumæ & carcinomata tolerantur, quæ rescindere mortis inferret periculum: Ita in corpore Reipublicæ & Ecclesiæ aut œconomiæ tolerandi quandoque sunt homines vitiosi.

3. Patienter ferendum, quod mutari non potest.

4. Deus par pari de jure refert. Inemendabilis nostra corruptio, meritò igitur & inemendabilis præsentis vitæ miseria. Innumera peccata nostra; igitur meritò & defectus innumerabiles: quanquam illa hos numero antecedant. *Justus es Domine & justa judicia tua.*

HOMILIA VIII.

TEXTVS. v.16,17,18.

Loquutus ego cum animo meo dicendo; ecce, ego amplificavi & adieci sapientiam supra omnes qui præfuerunt ante me Ieruschalaim is, & animus meus percepit multum sapientiæ & scientiæ. Adieci quoq; animum meum ad cognoscendum sapientiam & scientiam omnis insaniæ & stoliditatis; cognovi etiam hoc esse afflictionem spiritus. Deinde quia multitudini sapientiæ inest multum indignationis, & qui auget scientiam, auget dolorem.

Hucus-

HUcusque generaliter ostendit, & comprobavit *Salomon* terrena & sublunaria cuncta, atque etiam hominum circa illa occupationes & studia, meram esse vanitatem & spiritûs consumptionem. Nunc ad hoc ipsum sigillatim, & in specie probandum delabitur, juxta varias nimirum res & occupationes, quibus mortales hoc in ævo distinentur; atque in quibus hominis summum bonum, aut extremam ejus felicitatem constituere solent, per ignorantiam. Quod ita reliquo libro persequitur, ut elegantissimas & utilissimas gnomas *τυθμικὰς*, apophtegmata, & præcepta Ethica ac sacra immisceat.

Primò autem omnium de *Sapientiâ* humanâ confirmat, & ipsam vanitatem esse & spiritûs contritionem. Meritò ab hâc incipit: quia peritissimi Philosophi, *Plato, Cicero, Socrates, Aristoteles,* in bonis animi, sapientiâ scilicet, ac scientiâ, virtutisque amore & studio summum locârunt bonum; posthabitis corporis & fortunæ bonis; sed nec illa tranquillam & beatam hominis vitam reddere, evincit Ecclesiastes. Probat id *Salomon*,

I. *A suo Testimonio.*
II. *A Ratione.*

DE PRIMO.

Suo id testimonio confirmat ℣.16.&17. *Loquutus ego cum animo meo dicendo, ecce ego amplificavi & adjeci sapientiam*, &c. vel *Ecce ego magnus factus sum, & addidi sapientiam*, &c. q.d. Quid de sapientiâ & scientiâ multiplici rerum humanarum sentiendum sit, nemo rectius pronunciare poterit quàm ego: qui à Deo accepi incomparabilem sapientiam; eandemque porrò rerum indagatione feci cumulatissimam: Contestor tamen in rei veritate, sapientiam hominem beatum non efficere, sed & ipsam esse vanitatem & attritionem spiritûs.

Quod *Salomon* de suâ *magnitudine* (h.e. regni gloriâ, authoritate & potentiâ) *tum etiam sapientiâ, quâ præcesserit omnibus, gloriatur*: ejus rei testem habet Deum ipsum in sacro codice. *Ecce*, ait Deus, *do tibi animum sapientem & intelligentem, adeò ut par non fuerit tibi ante te, & post te non surrecturus par tibi.* 1. Reg. 3, 11, 12. & cap. 10, 23. & 2. Chron. 11. Notabile autem.

hîc facit discrimen *Salomon*, inter *sapientiam infusam*, quæ videlicet ei miraculo divino concessa est, in juvenili adhuc ætate, cùm 18. aut minùs annorum esset, quam in ipso jam deprehenderat pater *David*, 1. Reg. 2. 9. quæ tamen ad preces illius auctior ei data est à Deo: Et de hâc v. 16. *Ecce ego magnus factus sum, & adjeci sapientiam.* Hâc dicit se præcessisse omnes, qui ante ipsum fuerint in Jerusalem: Quod non solùm ad Reges præcedaneos referendum est, quorum duo solùm ante ipsum fuerunt, *David* & *Saul*, immò unus saltem in Hierusalem scilicet *David*, nec ad alios modò sapientes qui in Hierusalem ante ipsum fuerunt unquam; sed ad omnes etiam exteros Reges & sapientes quoscunque, uti è locis cit. liquet.

Sed & *sapientiam habuit acquisitam*, rerum videlicet usu & experientiâ multiplici: *Adjeci quoque animum meum ad cognoscendum sapientiam & scientiam omnis insaniæ & stoliditatis*, &c. dum videlicet sapientiam illam ad praxin revocavit; ad negotia & studia hominum diligenter advertit, rerum eventus expendit. Ut jam non modò sciret quid verum, rectum, utile, laudabile; sed quid etiam stultum & erroneum, adeoque quid amplectendum, quid vè fugiendum esset. Contraria enim juxta se posita clariùs elucescunt: ideoque & stultitiam recognovit, ut eam à sapientiâ nosset distinguere; quæ practica est sapientia, ut illa contemplativa dici possit. Fuit igitur sapientia *Salomonis* eminentissima & incomparabilis, sive ingenij bonitatem, sive infusam multarum rerum scientiam, sive longævam experientiam attenderis, per quam indies profectiorem & confirmatiorem sapientiam illam suam reddidit. Quòd si igitur cuilibet artifici in suâ arte credendum est; Quis non credat sapientissimo Regi, sapientiam quamcunque terrenam, quæ ejus erat professionis, vanitatis condemnanti?

DOCTRINA II.

Gloriari in Domino, de donis & bonis ab eo acceptis, indecens minimè est: nempe si Deo gloria deferatur. *Salomon* non in contemptum Patris sui *Davidis*, aut aliorum Regum & sapientum, istud dicit, quòd ipsis palmam prætulerit: talis enim animi insolentia & elatio, & sapientiæ & præceptis *Salomonis* minimè convenisset: sed facit hoc ad gloriam Dei, & humanæ sapientiæ contemptum. Sic gloriati sunt sanctè de donis

Dei

Dei, *Iacob*, Geneſ.32.30. de ſuis divitijs. *David*, 2.Sam.6.21. de regiâ dignitate. *Ezechias*, 2.Reg.20.3. de ſuâ integritate. *Maria*, Luc.1.4-9. *Paulus*, 2.Cor.11.& 12.capp. Rom.15.17.

Mandat. In hoc glorietur, qui gloriatur, ſe intelligere & cognoſcere me eſſe Iehovam exercentem benignitatem, jus & juſtitiam. Jerem.9.*v*.24. *Qui gloriatur in Deo glorietur.* 1.Cor.1.13.2.Cor.10.17.18.

Aliàs, Propria laus ſordet: (*Laudet te os extranei, non autem os tuum, alienum, non autem labia tua.* Prov.27.1,2.) eoque amplius ſi ſit mendax, & immodica. Prov.20.6. Imò impia illa eſt gloriatio, quæ Deum excludit, qui tamen ſuam gloriam alij ſe daturum negat. Eſai.42.8. *Quid habes quod non acceperis, quod ſi etiam accepiſti, quid gloriaris, quaſi non receperis.* 1.Cor.4.*v*.7. Abſtinere ab illa jubemur citato loco Jerem.9.23.

DOCTRINA II.

Qui dona illuſtria animi, ſapientiæ, eloquentiæ, ſcientiæ, &c. *à Deo acceperunt, tenentur illa impendere in Dei gloriam, & proximi ædificationem.* Ex. *Salomonis*; Qui propterea Eccleſiaſten hunc & alios libros ſcripſit & exaravit, ut quæ ſapienter ipſe novit & percontatus eſt, alijs communicaret, alios erudiret. *Omnia ad ædificationem fiant.* 1.Cor.14.*v*.26. *Prout quiſq; accepit donum, alter alteri illud adminiſtret, ut boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ.* 1.Petr.4.10. Id ipſum parabolâ ſervorum cum talentis exprimere voluit Servator. Matth.25. Vid. quoque Rom.12.6,7,8.

Usus. Peſſimè igitur ſtabunt, Ignavi: Item, qui in rem ſuam modò adhibent quæ à Deo acceperunt animi dona; ad ambitionem & oſtentationem: Maximè qui in perniciem proximi, aut etiam Reipub. & Eccleſiæ, donis illis abutuntur nefariè: Velut ſi Judices & Scabini, ad nectendos dolos, oppreſſionem juſtitiæ, defenſionem malorum; Si Paſtores Eccleſiarum, ad opprimendam veritatem, hæreſes ſpargendas & obtinendas, ſchiſmata fovenda dona ſua adhibent. Hæretici enim plerunque ingenioſi, ut *Arrius, Pelagius*, &c. Certè ſicuti unicus vir, ſapientiâ, eruditione, authoritate, eloquentiâ pollens, plurimum boni præſtare poteſt: Sic & mali; qui meritò peſtis generis hùmani dici poſſit, uti perperam de *Paulo* Apoſtolo pronunciavit *Tertullus* Orator, Actor.24.6. Manet interim illud Luc.12.48. *Cui multum datum fuerit, multum repetetur ab eo.* Vid. Hom.9. in cap.2. Eccleſiaſt.

D.O-

DOCTRINA III.

Studendum sapientiæ, h.e. scientiæ rerum bonarum, artium pulcherrimarum, atque utilium, quæ ad præsentem vitam prudenter instituendam, & cumprimis ad æternam assequendam faciunt. Vid. Hom. 9. in cap. 2. Eccles.

Adhort. Prov. 16. 16. *Beatus qui assecutus est eam.* Prov. 3. 13. &c.

Dehort. ab brutâ insciti â. Psalm. 32. 9. Ex. *Salomon*, qui non contentus sapientiam à Deo primitus accepisse præclarissimam, eam insuper contemplationibus varioque rerum usu auctiorem & confirmatiorem fecit, non sine labore & sudore ingenti. *Adjeci quoque animum ad cognoscendum sapientiam, &c.*

Usus. In id enitendum maximè juvenibus, ut ætatem illam benè collocent; natis cumprimis à viris Principibus, & alijs, qui suo tempore vel in Repub. administrandâ, aut Ecclesiâ, Scholâ, arduisque alijs officijs operam suam sunt locaturi; ut omnigenam scientiam, quâ opus est functioni obeundæ, maturè imbibant: Atque ea parentum erit cura, ut ad eam liberos suos educatione ipsâ promoveant. Deut. 7. 20. Vide suprà Hom. 1. Miseri sunt Reges, qui oculis alienis (Consiliariorum aut etiam adulatorum) videre coguntur. Miseri Doctores, Præceptores aut Magistri, qui ipsi nihil norunt. Miser quisque homo, qui pecudis instar hoc in mundo oberrat, nec nisi de pabulo aut victu solicitus est. Ideò Rex *Nebukatnezar*, quia *Danielem* & socios ad regni negotia adhibere statuit, eruditi ipsos procuravit in omni Chaldæorum sapientiâ. Dan. 1. Idem de *Mose* traditur Actor. 7. 22. Id enim moris erat *Ægyptijs* & *Chaldæis*, ut liberos suos à teneris imbuerent artibus liberalibus. Diodor. libr. 2. cap. 8. Idem de *Indis* refertur, quòd modò natis suos ephoros præfecerint. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25. *Alphonsus* Rex dicebat, malle se cuncta sua κειμήλια, quàm libros, amittere. Panormit. libr. 4. de gest. Alph. Ubi in Republicâ, Ecclesiâ, alijsque statibus ejusmodi sapientes, prudentes, eruditi, usu rerum veterani sunt, tum certè benè cuncta cedunt; secus, colliabuntur.

Facilè verò ex textu colligere est, quæ sapientiæ species præcellere debeat; Ea scilicet de quâ hoc libello Ecclesiastes noster concionatur, quamque cunctis alijs præfert; quæ scilicet in contemptu vanitatis hujus seculi & rerum mundanarum, & sincero Dei timore consistit: utpote sine quâ omnis alia sapientia, artes & scientiæ omnes, mera sunt stultitia.

Sin

Sin despuit, qui despicit
Caduca immortalia,
Stultescit ergo qui expetit
Æternus hæc mortalia.

DE SECVNDO.

Alterum argumentum petitum est *à ratione, vers. 18. Quia multi tudini sapientiæ inest multum indignationis, & qui auget scientiam, auget dolorem.* Quia scilicet sapientia cum ingenti molestiâ conjuncta est: sive acquirenda sit illa; sive acquisita exercenda.

A. Ad *acquirendam* sapientiam magno labore & sudore opus est, qui in studia literarum, peregrinationes, variarumque rerum observationem est impendendus: quo non spiritus modò, sed vires corporis consumuntur, valetudo violatur, voluptas omnis evanescit.

Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alsit, &c.

Nec rarò accidit, ut qui in comparandâ sapientiâ ultra modum seduli fuerunt, in delirationem & phrenesin delapsi sint. Hinc *Festus* ad *Paulum: Insanis Paule, multæ literæ te ad insaniam adigunt.* Actor. 26. 24. Fecit iste laborum cumulus ac tædium, ut plures ab insectando sapientiæ studio resilierint.

B. Sed & sapientiæ *possessio*, atque *exercitatio*, cum multiplici indignatione est conjuncta. Movet enim illam

a. *Primo* difficultas, quæ in plurimarum rerum cognitione indagandâ occurrit, nec superari potest. Job. 28. 12. cujus rei indignatione moti, quidam sibi ipsis mortem consciverè: uti de *Aristotele* & *Homero* scribitur.

b. *Secundò*, quantò quisque ampliores fecit progressus in sapientiæ studio, tantò plus suam deprehendit ignorantiam, quantumq; adhuc sibi desit, ad perfectionem: Hinc indignatio, furor. Verè enim ille:

Maxima pars eorum quæ scimus, minima est eorum quæ ignoramus.

Quod sapientissimum *Socratem* permovit, ut diceret: *Unum hoc se scire, quod nihil sciret.*

c. Ipsa sapientia si vera est, omnem hujus seculi felicitatem & voluptates contemnit, quia vanitatem earum perspectam habet: Unde sapientes plerunque moroli, severi, tristes, &c. Eoque ipso infelices

sunt, quòd tantam adepti sunt scientiam: Cernunt enim acutius præsentia mala, & futuros casus prævident. Cùm verissimum sit illud *Sophoclis* in Ajace, *In non sapiendo vita suavissima est.* Was euer nicht weißt thut jhme nicht wehe.

d. Constat sapientes rerumque peritos, ad munia quæque grandia, regendis cumprimis alijs adhiberi: Hinc verò quid aliud, quàm curæ, vigiliæ, negotia, servitus, indignatio. De *Hadriano* VI. fertur hoc Epitaphium: *Hadrianus* sextus hîc situs est, qui nihil sibi infelicius in vitâ, quàm quòd imperaret, duxit. *Platina* in Vit. PP. Idem, si quis unquam, expertus mitissimus *Moyses*. In genere quantò quisque in suâ arte peritior, tantò plus negotiorum habet.

e. Adde, quo quis magis sapientiâ proficit, hoc invidiam sibi magis aliorum, & persecutionem conflat sæpenumero. Suavissima erant volumina primò, quæ *Ezechiel* & *Johannes Evang.* deglutiebant; quia suave erat illis accipere arcana à Deo: sed felle amariora facta sunt ipsis postea, cùm prophecias illas promulgarent; tum quòd commiseratione alienæ miseriæ ducebantur; tum quòd magna inde sibi pericula accersebant. Ezech. 3. 3-14. Apoc. 10. 9, 10. *Solon* Athen. legislator sapientissimus; Itemque *Themistocles*, patriâ Athenis in exilium ejecti sunt. D. *Athanasius* quas non calumnias & persecutiones pertulit ab Arianis, qui eruditioni, eloquentiæ, dexteritati ejus & zelo, invidebant?

Usus. Hæc tamen non eò dicuntur, quasi scientiæ & artes liberales essent contemnendæ aut negligendæ: sunt enim ingens Dei bonum & donum mortalibus concessum. &c. Sed ne putemus summam hominis in hâc vitâ felicitatem in ijs consistere: neve adeò sapientiæ præsumptione simus inflati; aut fiduciam & præsidium in ei collocemus, sine Deo.

Gloria & Gratia Tibi Domine Jesu.

IN

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT II.

HOMILIA I.

TEXTVS. ℣.1,2.

Dixi ego cum animo meo, agedum, probem te lætitia, fruere igitur bono: sed ecce, etiam illud est vanitas. De risu dico, insanus est, & de lætitiâ, ecquid ista facit?

DIxerat sapientissimus Rex præced.cap.℣.13.se applicuisse animum suum ad disquirendum & ad explorandum sapienter omnia quæ fiant sub cœlis: Eo fine videlicet ut resciret, an in rebus humanis & subsolaribus vera, perfecta & constans aliqua felicitas subsisteret, quæ hominem verè beatum in hoc ævo faceret: Reperisse autem se testatur, ℣.14. Cuncta mortalium studia, labores, conatus, vitæ genera, &c. meram esse vanitatem & afflictionem spiritus. Generale hoc effatum, sub finem cap.I. per Inductionem specierum, probare exorsus est.

Et primò *de bonis animi*, puta sapientiâ, & rerum variarum scientiâ ac experientia, illud ipsum testatus est; addità ratione validissimâ,

quòd sapientia plurimum molestiæ secum trahat, sive acquirenda sit illa, sive exercenda, ℣.18.

Nunc Capite hoc secundo, *ad bona corporis* disquirenda descendit: An videlicet in voluptatibus & delicijs carnalibus, gaudium aliquod solidum, & certa felicitas delitescat? Videtur autem à sapientiâ ad voluptatem experiundam ideò transitum fecisse; quòd expertus sit, tantum abesse, ut sapientia jucundum, amœnum, & exoptatum præstet homini præsentis vitæ usum, ut eum potiùs varijs molestijs adobruat, vitamque tristem, severam, anxiam, curis & laboribus oppletam vivere cogat.

Proximum igitur erat ejusmodi vitæ genus tentare, quod voluptatibus, gaudio, risu, alijsque oblectationibus & delicijs afflueret, eoque jucunditatem & quæsitam felicitatem polliceretur. Atque sic ab uno extremorum ad alterum delapsus est; scilicet à sapientiæ studio, ad luxum & voluptatem, quorum illa circumspectam & negotiosam, hæc dissolutam & otiosam reddit vitam. Quùm verò plura sint deliciarum mundi hujus genera, (quidam enim his, alij alijs rebus delectantur) cuncta tamen explorâsse *Salomonem*, tum ex serie contextûs, tum ipsâ *Salomonis* confessione liquet, ℣.11. Facit autem initium, ab illo voluptatis genere, quo homines vulgares & plebeij ut plurimum delectantur, qui summum suum bonum in commessationibus & compotationibus figunt: Vid.dum luxui & genio indulgere, cuticulam curare; interque convivandum effuse ridere & lætari possunt.

I. *Primò ergo fatetur Salomon, & se quoq; vitam eiusmodi genialem ad tempus egisse.* ℣.1.a.

II. *Deinde, iudicium suum de illâ, subiungit.* ℣.1.b.2.

DE PRIMO.

Primùm, ℣.1.a. extat, *Dixi cum animo meo, agedum, probem te lætitia*, &c. De perpotationibus sermonem esse, liquet ex ℣.3. *Explorare animo meo constituendo potationem in carne mea*, &c. Deliberato accessit *Salomon* ad ejusmodi luxuriam, non carnis impetu protrusus, ut ganeones & helluones

heluones solent. Unde consequitur, si intemperantia & securitas abfuerunt à *Salomone*, non tantopere id ei vitio vertendum esse, quòd epulando voluptuosam egit vitam: tum quod Rex erat; Regibus autem deliciæ rectiùs existimantur convenire, quàm privatis: tum quòd fine aliquo bono id fecit: (quanquam bona intentio non semper excuset turpe factum) tum quod perspectâ vanitate illarum, abstinuerit, ut ex ejus patet judicio. &c.

DOCTRINA.

Convivia agitare, nec ad necessitatem modò, sed & hilaritatem largiùs epulari, *minimè vetitum*. Sic etiam *Gaudia agitare inter convivandum, indultum*. Probatur

1. *A fine rerum quarundam creatarum*, puta *Vini & olei*. Judic. 9.13. Prov. 31.6. Psalm. 104.15. quorum in convivijs usus Psalm. 23.5.

2. *Exemplis* eorum, qui hilariter convivati sunt. Sic *David*, 2. Sam. 6.19. cùm arca in Sionem deduceretur. *Salomon*, 1. Reg. 3.15. cùm in somnio ei apparuisset Deus, & amplissimam promissionem fecisset sapientiæ, &c. *Nehemias*, cap. 8.10. post lectionem legis. *Abraham*, Genes. 21.8. quùm ablactatus esset Isaac. *Ioseph*, Genes. 43.34. cùm excepit fratres. *Boas*, Ruth. 3.7. *Simon* & filij. 1. Macc. 16. *Christus* ipse aliquoties convivijs interfuit: utpote *Canæ*, Joh. 2.1,2. in domo *Simonis* Pharisæi. Luc. 7. *Matthæi*, Mat. 9.10. Pharisæi, Luc. 14. *Zachæi*, Luc. 19. *Lazari* Bethanienſis, Joh. 12.

3. *Mandatis*. *Adducetis eò holocausta vestra, &c. & comedetis ibi coram Iehova Deo vestro, & lætemini vos & familiæ vestræ, comedentes de omnire ad quam admoveritis manum*. &c. Deutr. 12.6,7. Vide etiam infra Eccles. c. 7.15. &c. 8.15. cap. 9.7,8,9. Huc pertinet illud: *Gaudete cum gaudentibus*. Rom. 12.15.

4. *Promissionibus*; qualis illa: *Die illo dictum Iehovæ exercituum, vocabitis quisq; amicum suum; sub vitem & sub ficum*. Zach. 3.10. Ne tamen Deus convivijs & gaudijs ejusmodi offendatur, sequentes observandæ & exercendæ sunt virtutes Christianæ.

1. *Pietas* ne Dei obliviscamur, Deutr. 8.10,11. sed preces & gratiarum actiones præsto sint. 1. Tim. 4.4. sermones reliqui pij sint, utiles, jucundi cum decore. Ephes. 4.29. Coloss. 4.6.

Adversatur *securitas*, qualis fuit *Antediluvianorum*, *Sodomitarum*, Luc. 17.27,28. *Judæorum*, Esai. 5.12, & 22.13. Amos 6.6,7. cùm precum & gratitu-

gratitudinis nulla habetur ratio: sed cùm porcorum instar ad aqualiculum currentium, profani ad mensam accedunt & decedunt, Hos.13.6. aut gratiæ aguntur hominibus præterito Deo Hos.2.8. *scurrilitas* & obscœnitas in sermonibus: *blasphematio* divini Nominis Dan.5.3,4. *convitiatio* proximi & maledicentia, &c.

II. *Prudentia.* Ut æquo tempore id fiat; Nempe cùm temporum ratio, ex Dei gratiâ, lætandi occasionem & materiam subministrat: Sic *Salomonis* tempora pacifica erant. Sic messis & vindemiæ tempore usitatum erat apud Judæos genuales agere dies. Psalm.4.v.8. Item quùm nuptiæ celebrabantur. Jud.14.11. Matth.9.v.14,15. cùm tonderent oves, ut *Nabal* 1.Sam.25.36. *Absalon*, 2.Sam.13.23.

Sed cùm tempora sunt tristia, dum vel Dei obtinent judicia, aut Ecclesia & fideles diras subeunt afflictiones & persecutiones, aut aliæ calamitates publicæ grassantur; tum sanè etiam a licitis aliàs gaudijs & epulis abstinendum. Amos 6.5,6. redarguuntur *Judæi* qui hoc minus observarunt ita, Esa.22.13. Emphaticè admodùm loquitur Joël, quùm sponsum etiam de cubili, & sponsam de thalamo evocat, Joël 2.16. vix aliquod vel Neogamis gaudium indulgens. Neq; etiam convivia oportet esse vel minùs *frequentia*, Valeat illud: Interpone tuis *interdum* gaudia curis: vel *matutina*, vel *sera*, ac in multâ noctem protracta, Es.5.11. Eccl.10.13,14.

III. *Frugalitas*, αὐτάρκεια, Ne in dapibus alióve apparatu, nimius sit luxus & superfluitas: sed ut natura paucis contenta est, sic & nos simus: Cumprimis verò, ut quisque pro ratione sui statûs, conditionis & facultatum hîc se gerat.

Adversatur *Luxus ditiorum*, quo Principum sæpè solent magnificentiam æmulari, præter decorum sui statûs. Damnantur apud Amos l.c. qui *agniculos & vitulos pinguefactos* comederunt: hæc verò nihili habentur apud nostros. Certè Israëlitæ coturnicibus præfocati leguntur in justam gulæ immoderatioris pœnam. Plures ex nostris epulonibus ad egestatem perductos miserè obijsse constat. *Honoratissimi facti fame*, ut est apud Esai.5.13.

Item *Prodigalitas pauperiorum*: qui quæcunque lucrantur, in cibos delicatiores impendunt, abliguriunt cuncta, unicè in cuticulam curandam intenti: Ut post obitum, viduas & orphanos ipsorum è publicis eleemosynis sustentari necesse sit.

IV. *Tem-*

IV. *Temperantia & Sobrietas*; Ut & lætitiæ justa habeatur ratio, atque donorum Dei usus temperans sit cum aureâ mediocritate conjunctus. 1. Petr. 5. 8. *Sobrij estote & vigilate*, &c.

Adversatur *Ebrietas & immoderata gula*: Certamina lacchica. Hos dentium saniem. Esai. 5. 11. Dum, quod vix bestijs accidit, plus cibi potusque ingurgitat homo, quàm vel appetitu stimuletur, vel natura ejus sufferre valeat. Quo fit ut rationis decedat usus, ipseque porcis nonnunquam spurcior evadat. Atqui sic bibere plurimorum est vivere, & summa felicitas. Quantum verò sit Ebrietatis malum, post dicetur.

Item *Excessus gaudij*, præsertim cum turpia & indecora admiscentur: ut sunt, ebriosorum jubila aut veriùs tinnitus & boatus, choreæ & saltationes impudicæ, carmina fescennina, ludique alij lasciviores, &c. & detestabilis illa petulantia, quam in effundendis vinis & conculcandis cibis nefarij exercent.

V. *Beneficentia*: Ut dum nos genio indulgemus, etiam pauperum & famelicorum rationem habeamus. *Voca mendicos, mancos, claudos, cæcos*. Luc. 14. 12, 13. *Mittite portionem cuicunq; nihil est paratum*. Neh. 8. 11.

Adversatur *Austeritas & immisericordia* erga egenos. Uti factum constat ab Epulone, Luc. 18. à Corinthijs, 1. Cor. 11. 22.

Hoc igitur modo si lautitias cibi potusque, & epulorum gaudia secutus est *Salomon*; nempe, ut virtutes istas sibi proposuerit observandas, culpari non potest: Quòd si contraria apud eum vitia, ut ut non omnia aliqua tamen saltem obtinuerunt, si excessus, abususque prævaluit; tum certè non propterea imitandus est, nec patrocinium gulæ & luxûs in ejus vitijs quærendum: (cùm nec hoc fine ista scripserit) sed potiùs ad emendationem & cautionem ista sunt trahenda.

DE SECVNDO.

Audiamus igitur ejus de hoc vitæ genere judicium.

I. Ait primò: *Deprehendi hoc quoq; vanum esse*, h.e. voluptatem cibo potuque, seu commessationibus & comportationibus, aut geniali conversatione quæsitam. Hæc enim nec veram, nec perfectam, nec constantem homini felicitatem præstare potest.

A. *Non veram*;

1. Quia non *hominis, sed pecoris est hoc bonum*. Senec. Epist. 92.

Hinc

Hinc *Plato*, sectatores hujusmodi voluptatum, *pecora* appellare solitus est.

2. Quia *plus aloës quàm mellis habent*, multis doloribus conjunctæ sunt, plusque molestiarum quam jucunditatis creant: utcunque suaviter carni arrideant. Latet anguis in herba. Infinita enim sunt gulæ & ebrietatis damna & incommoda. Nocet illa

a. Quia lædit *sanitatem* & bonam corporis constitutionem, enervat vires, ut laboribus subeundis sint inidoneæ; atque morborum omnivariorum est mater, unde mors homini præmatura & quasi violenta. Quot enim fuerunt, de quibus verè poterat dici, daß sie sich zu todt getrunckẽ haben. Prov. 23.29. *Cui rubor oculorum*, &c. Sic etiam alij morbi.

b. *Obest animo*, lædit rationem rectumque ejus usum: facit homines stupidos, ignavos, vecordes, inidoneos ad vocationis munia, aliaque dextrè peragenda: memoriam & scientiam omnem convellit. Wo der Wein eingehet/ da geht die Witz auß. *Vinum caret clavo*. Adag. *Scortatio, vinum & mustum intercipit mentem*. Hos. 4.11. *Derisor est vinum, tumultuosus potus inebrians: adeò quisquis oberrat in eo, non sapit*. Prov. 20.1. *Absit Regibus, absit Regibus bibere vinum, & dominatoribus desiderium potus inebrians: Ut non cùm biberit, obliviscatur statuti, & mutet jus ullorum afflictorum*. Prov. 31.4,5. Nec modò ebrioſi tales sunt, quùm vino sunt obruti, sed & cùm crapulam edormierunt, inepti & fatui deprehenduntur, Ex. *Nabalis*, 1. Sam. 25.37.

c. Hinc *honoris & existimationis, facultatum item jacturæ*: unde creditorum fraudatio, furta, latrocinia. *Vir egens erit, qui amat lætitiam, qui amat vinum & unguentum, non erit dives*. Prov. 21.17. *Ebriosus & commessator pauper fit*. Prov. 23.21. Ex. *Prodigus* Luc. 15.

d. Hinc item *morum corruptio, & vitia* Ephes. 5.18. Solent enim ebrioſi munus, familiam negligere, immò pessundare; contentiones & jurgia excitare, furere, bacchari, petulantiam & obscœnitatem quamque verbis factisque exercere, &c. *Cui contentiones, cui vulnera impune, cui loquacitas, immorantibus apud vinum*. &c. Prov. 23. v. 29.30. *Derisor est vinum, tumultuosus potus inebrians*. &c. cap. 20.1. *Anacharsis* rogatus, quo pacto quis abstemius fieret? Si turpes, inquit, ebrioſorum motus, sibi ob oculos ponat.

e. In extrema porrò *vitæ pericula ebrioſi* sese sæpissimè conjiciunt:

jiciunt: Dum inter jurgia vel ipsi pereunt, vel alios perimunt; aut lapsu cervicem frangunt, aquis suffocantur, obruuntur secuti ab hostibus, &c. Exemplo *Balthasaris*, Daniel 5. *Benhadad* Regis Syriæ, qui ebrius ferè ab Israëlitis erumpentibus è Samariâ, in castris captus fuisset. 1. Reg. cap. 20. ℣. 16-20.

f. Nocet porrò ebrietas & gula plurimum *Pietati*: *Partim* quia preces & devotionem impedit: (Nam plenus venter non orat libenter) *cor enim aggravat*. Luc. 21. 34. *Spiritum sanctum expellit*: Ephes. 5. 18. *Partim* quia incentivum libidinis; *Venter enim vino æstuans despumat in libidinem*: Exemplo *Loth* Genes. 19. 30. *Israelita* in deserto. Num. 25. Hinc *Salomon*: *Oculi tui respicient alienas*, &c. Proverb. cap. 23. ℣. 33. *Qui enim*, ut Hebræi ajunt, *oculum suum dat in poculum, ei omnes mulieres sunt æquales*. Immò (dicente *Augustino* ad sacras Virg.) *Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumq; materia, radix criminum, origo vitiorum*, &c. *Hæc sensus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, & in bestiales libidines excitantur*. *Ambros.* de Eliâ & Jejun. cap. 16. *Ebrietas est dæmon voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit*. *Basil.* Homil. in Ebrietat. Hinc enim blasphemiæ in Deum, dicteria in superiores, contumeliæ & convitia in proximum, fornicationes, stupra, incestus, homicidia, &c. factaque alia enormia & indecora, quorum sobrios factos mox pœniteat. Ex. *Herodis*. Matth. 14. 9. *Anacharsis* Philosophus dixit: Vitem uvas tres ferre, 1. voluptatis, 2. ebrietatis, 3. mœroris. Excusatio tum scelerum ab ebrietate petita minimè admittenda. *Pittacus Mytilenæus* temulentos, si quid deliquissent duplici pœnâ puniri curavit. Alex. ab Al. libr. 3. Hinc etiam mala conscientia, præsertim in senectute.

g. Mirum proin non est, *Ebriosos & temporalibus pœnis à Deo visitari*, & Gentes integras punitas ob luxum. Esai. 5. 11, 12, 13. Amos 6. ℣. 6, 7. Joël. 1. 5. immò luxui deditos, & ebriosos *æterno gehennæ supplicio* devovendos esse, perhiberi in scriptura. *Dormient somno perpetuo*. Jerem. 51. ℣. 40. *esurient & lugebunt in æternum*. Luc. 6. ℣. 25. *Non possidebunt regnum cœlorum*. 1. Cor. 6. 10. Gal. 5. 20. Ex. *Epulo, Antediluviani, Sodomitæ*, &c. *Qui credit Ebrietatem esse parvum peccatum, si non se emendaverit, & pro ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna cum pœna cruciabit*. *August.* in Sermon. Hinc Servator vel ideò maximè

ebrietatem fugiendam esse innuit, ne dies judicij vel mortis, nos vino sepultos offendat, & de improviso obruat; subindicans, hoc statu offensos periclitari de suâ salute. Luc. 21.34. Matth. 24.38,39.

Tantis igitur malis, quùm vita illa immodicè genialis, referta sit, quis veram in ea felicitatem subsistere existimârit? Talis enim est, quæ ab omnibus incommodis & malis prorsus est immunis.

B. Sed nec *perfecta* in gulæ voluptatibus felicitas subsistere potest. Neque enim eæ sistere appetitum hominis possunt, ut ulterius nihil concupiscat. Aut enim eum amplius provocant, ut in ebriosis, &c. Aut nauseam pariunt, & fastidium. Quotusquisque enim est, qui, ubi dies aliquot Sybaritico luxu diffluxit, non tandem fateri cogatur, grave sibi fore omne tempus hoc modo consumere; atque non malit ad labores redire? Præsertim quod homines attinet ingenuos, & præclara ingenia.

C. Denique nec *constans est hæc felicitas: tum* quòd in seipsa brevis est & momentanea: *tum* quòd non nisi præsentis est seculi, eoque cum hominis vitâ, & ipsa finitur. *Esca ventri destinata, & venter escis: Deus autem & hunc & illas abolebit.* 1. Cor. 6.13. *Unà cum mundo etiam voluptas omnis peribit.* 1. Johan. 2.17. *tum* quòd sæpissimè lætissima & lautissima convivia, & gaudia mundana, tragicos exitus sortita esse, atque è solenni lætitiâ, ingentes luctus illicò subnatus est: Gaudium mundanum tandem in lamenta desinit. Luc. 6.25. *Tandem lætitia sit mœror.* Prov. 14.13. *Ita Dijs placitum est, voluptatem ut mœror, comes sequatur. Quin incommodis plus maliq, illico assit, boni si obtigit quid. Plautus.* Ex. convivia Filiorum *Jobi*, Job. 1. *Balthasaris* epulum, Dan. 5. *Nabalis*, 1. Sam. 25. *Absalonis*, 2. Sam. 13. Regis Israël *Ela*, 1. Reg. 16.11. *Benhadad*, 1. Reg. 20.16. *Henrici* II. Regis Gall. nuptiæ Anno 1559. qui in ludis equestribus lethaliter vulneratus obijt.

II. Sed audiamus porrò sapientissimi Regis *rationem*, quam suæ de epulorum delicijs censuræ adfixit. Id Sybaritæ felicitatis suæ ἀκμὴν esse autumant, si inter pocula lætari, effuseque ridere valeant: Ecclesiastes verò noster, per prosopopœan, vanitatem ridentium & gaudentium graviter insectatur, ℣. 2. *Risui dixi insanis & gaudio, quid istud facis? vel facit?* q.d. ego tandem gaudij hujus Sybaritici satietate ductus, & risum & gaudium velut hospites insanos & inutiles execratus sum, & de me propulsavi procul: *Risui dixi, insanus es*, h.e. insanis rectius

competit,

competit, quàm illis qui mente pollent: & *gaudio, quid facis*, h.e. quorsum conducit, nullam affert utilitatem, damni plurimum. Atque sic tum interiorem tum exteriorem lætitiam, immoderatam, poculis & mensis quæsitam, damnat *Salomon*.

DOCTRINA I.

Quid de risu judicandum Erant, qui risum omnem, ut illicitum, reprobarint: adducti Christi exemplo, de quo Patres quidam observarunt, quòd flevisse legatur aliquando, risisse nunquam. Indicat item *Chrysost.* Homil. 6. in Matth. nec *Paulum*, nec alium Sanctum risisse, quod quidem scripturæ tradant: solùm namque in jis mentionem esse de *Sara*, quæ reprehensa est, Genes. 18. 14, 15. & de filio *Noe*, qui propterea ad servitutem damnatus est, Genes. 9. 22. 25. Excidit tamen *Chrysostomo Abraham*, qui etiam risit, Genes. 17. 17. Sed enim ridendi facultate omninò uti licet, si honestè & decenter id fiat. Risum decorum & modestum nemo vituperet.

a. Quia homini naturalis, æquè ac fletus & lacrymæ; atqui naturalia non tollenda.

b. Quia signum gaudij: Atqui gaudio moderato, quod ex rebus bonis in animo exoritur, frui licet: *Gaudete cum gaudentibus*, Rom. 12. v. 15. *Num possunt filij thalami lugere quandiu apud ipsos est sponsus*. Matt. 9. 15.

c. Quia etiam risui suum tempus assignat *Salomon*, cap. 3. 4.

d. Christus *exultasse, dicitur in Spiritu suo*, nempe per gaudium redundans per animam in corpus. Luc. 10. 21.

Verùm effusior & importunus risus, (ut & risus Sardonius, cachinnus,) crebrò in Scripturis reprehenditur. *Post risum dolor, & tandem lætitia sit mœror*. Prov. 14. 13. *Væ vobis qui ridetis, nam lugebitis & flebitis*. Luc. c. 6. 25. *Risus vester in luctum convertetur; & gaudium in mœrorem*. Jac. 4. 9. Est enim ille non tam corporis malè affecti, quàm animi quoque incompositi signum, Eccles. 7. 4, 5. & effrenis petulantiæ testis nonnunquam. *Democritus* ad omnia risit, *gelasinus* inde dictus.

Immoderatum ergo & indecorum risum *insanire* dicit hic *Salomon*, eumque damnat: Meritò quidem: Cùm enim à vagitu vita inchoari soleat, risusque tardior esse, (neque enim pueris ridere contingit ante 40. diem, ut placet *Aristotelis*, 7. de histor. anim. cap. 10.) commonefimus, parcè, sed decenter tamen, ridere nos posse.

DOCTRINA II.

Ex his omnibus patet, *in epulationibus & luxuriosis convivijs, minimè firmam & rectam sitam esse hominis felicitatem*; sed ab eâ potiùs deviare, quotquot genio immodicè indulgent.

Usus. Observandæ igitur regulæ Apostolicæ; *Ne inebriamini vino, in quo luxus est.* Eph.5.18. *Compositè incedamus non in commessationibus, & ebrietatibus, carnis curam ne habete ad explendas cupiditates.* Rom.13.13,14. *Qui gaudent sint ut non gaudentes.* 1.Cor.7.30. *Sobrij estote.* 1.Petr.5.8. *Ne diligite mundum & quæ in eo, Cupiditas carnis,* &c. 1. Joh.5.15.

Sim. Quorum cadavera à putredine conservantur, eorum exta eximuntur: Ita tendentibus ad immortalitatem negligendus venter, &c. Vitandæ igitur bestiales ejusmodi deliciæ, ne externâ ipsarum facie quisquam se patiatur decipi. Sunt enim instar pomorum Sodomæ; hortorum Adonidis: vepretorum, quæ foris flores, rosas ostentant, intus spinis referta sunt: fistulæ aucupis: urticæ virentis. *Ne respicito vinum quùm rubescit; quùm exhibet in poculo colorem suum. Tandem velut serpens mordebit, & ut hæmorrhois punget.* Prov.23.31,32.

HOMILIA II.

TEXTVS. ℣.3-11.

Exploravi animo meo, continuando potationem in carne meâ: idq; animum meum ducens in sapientiâ ipsâ exploravi amplectendo stoliditatem, usquedum viderem utrùm hoc bonum sit filijs hominum, quod facturi sint sub cœlis numero dierum vitæ suæ. Maxima opera feci; ædificavi mihi domos, plantavi mihi vineas: Paravi mihi

hortos

hortos & pomaria; in quibus consevi arbores quasq; fructiferas: Paravi mihi piscinas aquarum, ad irrigandum illis nemus ferax arborum: Comparavi servos & ancillas, & vernæ fuerunt mihi, etiam possessio armentorum & gregum multa fuit mihi præ omnibus, qui fuerunt ante me Ieruschalaimis: Congessi mihi etiam argentum & aurum, & peculium regum ac provinciarum; comparavi mihi cantores & cantatrices, deniq; delicias filiorum hominis, symphoniam & quidem omnimodam: Ita magnus fui & auxi ista plus quàm ullus, qui fuerit ante me Ieruschalaimis; etiam sapientia mea perstante mihi. Quum autem quicquid expetiverant oculi mei, non seposuissem ab eis: non cohibuissem animum meum ab ulla lætitiâ; sed animus meus lætaretur ex omni labore meo, & hoc cessisset in partem meam ex omni labore meo: Respexi ego ad omnia opera mea quæ fecerant manus meæ; & ad laborem quem laborioſè feceram: ecce autem, ista omnia

ſunt vanitas & afflictio ſpiritus; ut non eſt emolumentum ſub ſole.

MAgna fuit ſemper inter veteres Ethnicorum Philoſophos de ſummo hominis Bono diſputatio & diſſenſio: Quorum omnium error in hoc conſiſtit, quòd illud hujus eſſe vitæ autumârunt, atque in hoc ſeculo quærendum eſſe putaverunt: Alteri ſeculo nihil reliquerunt, utpote de quo nec illis conſtabat. Probat autem hoc libro *Salomon* ſapientiſſ. Rex, ſummam hominis felicitatem non hujus eſſe vitæ; idque tum Spiritûs Dei inſtinctu, tum propriâ experientiâ edoctus; quippe qui cuncta illa, in quibus Philoſophi illi ſummum hominis Bonum conſtituerunt, explorârit exquiſitiſſimè; ac deprehenderit; meram eſſe vanitatem omnia mundana, & ſpiritûs inanem contritionem. Et hoc quidem Capite, de voluptatibus carnalibus agens, idem conteſtatur.

Animadvertere autem eſt; Voluptatis diſcrimen quod facit: Eſt enim Voluptatis alia *turpis & illicita*: alia *honeſta*. *Illa* homini cum beſtijs eſt communis: *Hæc* propria hominis.

Illa in edendo, bibendo, heluando, curâ & ſaginatione corporis, riſu gaudioque effuſo & inſano conſiſtit: Et de hâc quidem in principio cap. ℣. 1. & 2. egit *Salomon*, illamque improbavit, damnavit, & ab eâ deſtitit.

Hæc verò cum aliquo labore & corporis exercitio, tum verò maximè ingenij ac ſapientiæ uſu, conjuncta eſt; veluti ſi quis in ædificando, plantando, venando, in armentis & gregibus, Muſicâ, &c. oblectationem ſuam habeat; quæ per ſe licita eſt voluptas. Et de hâc quidem nunc in ſequentibus agitur. Narrat ergo Eccleſiaſtes

I. *Vt à priore illo voluptatis genere, tranſitum fecerit, ad hoc poſterius experiendum.* ℣. 3.

II. *Hiſtoriam pertexit, quantam, & quibus in rebus, voluptatem & oblectationem*

nem ſuam habuerit & quaſiverit.
¶.4-10.

III. *Subiungit eius* ἐπιφώνημα. *¶.11.&c.*

DE PRIMO.

Salomon igitur tædio concepto ex perpotationibus & Sardanapalicâ voluptate,& perſpectâ ſatis gaudiorum ejusmodi inſaniâ,noxâ & turpitudine; decrevit illa repudiare; aliasque experiri voluptates,quæ cum ſapientiæ exercitio,& laudabili oblectamento ſint conjunctæ: *Explo-ravi animo meo,*(h.e.animo meo perpendi rationem aliam benè vivendi,quùm neutra jam dictarum placeret, nempe nec ſtudij ſapientiæ ſeorſim,nec voluptates corporis ſolæ)*continuando potationem in carne mea.*(Vel ita, *Vt abſtraherem à vino carnem meam*)*idque animum meum*,&c.vel *& cor meum inducerem in ſapientiam*,*&c.*

Finem annectit duplicem: I. *Vt* diſceret noſſetque inter ſapientiam & ſtultitiam diſcernere. *Amplectendo ſtolidatem*,*&c.* Id enim ſæpè uſu venit mortalibus,ut rerum inexperti, ſapientiam pro ſtultitiâ, album pro nigro,verum pro falſo,bonum pro malo,&c. & viciſſim,habeant: nec ſolida judicatur eſſe ſapientia, quæ non & ſtultitiæ notitiam habet.

Sapientia prima eſt ſtultitiâ caruiſſe. *Horat.* libr.1.Epiſt.

Ideò verò utriusque ſcientia conducit, ut quid amplectendum, quid fugiendum ſit conſtet. Quare Rex *Salomon* alios eâ de re informaturus, meritò utriusque notitiam inſectandam ſibi duxit. Atque ſic Ethici libri & virtutes deſcribunt & vitia,ut conſtet,quid eligendum,quid averſandum ſit. II. *Vt* perſpiceret tandem, ubinam ſitum eſſet Bonum illud generis humani, quod ſub cœlo perſequantur, quàm diu vitam agant. *Vſquedum viderem*,*&c.* Scopus hic eſt totius indagationis *Salomonis*, adeóque & hujus libri, ut reſciret quânam in re ſummum hominis bonum ſubſiſteret. Videtur autem etiam quoddam hominis Bonum ſtatuere, quod ſit in hâc præſenti vitâ: id tamen non accipiendum eſt, de extremâ hominis felicitate, in quâ ejus deſiderium acquieſcit, quæ non niſi futuræ eſt vitæ; plenaria ſc. Dei fruitio,& cum eo communio; *ſed de optimo dun-*

taxat genere vivendi, quod in stadio hujus vitæ sibi deligere debeat homo, donec ad perfectam illam in cœlis felicitatem pertingat: Veluti si quis percunctetur de optimo & commodissimo proficiscendi genere, quod longè inferius est eâ tranquillitate, quâ in ipsâ patriâ fruitur. Unde perspicitur hujus libelli utilitas. Quid enim potiùs scire cupiat homo, quàm optimum & commodissimum præsentis vitæ genus? Maxima enim pars hominum id vel ignorat, vel non attendit. *Multi dicunt, quis videre faciet nos bonum?* Ps.4.7.

Animadvertendum autem est in istis verbis *Salomonis*, aliquod *pœnitentiæ* specimen. Licet enim crapulâ, gulâ, risu, non adeò modum excessit, (ut aliâs solent Bacchi nepotes, quorum tanta est in compotationibus insolentia & spurcities, ut ebrietate porcos, clamore tauros, tripudijs insanos & maniacos, verborum & factorum obscœnitate & nequitiâ diabolos adæquent, &c.) maturè tamen sese à vino, luxu, risuque, adeóque bestiali illâ voluptate abstraxit; & ad honestiora, utilioraque studia & animi oblectationem animum applicuit.

DOCTRINA.

Id facto opus est illis, qui *pœnitentiam* agere volent:

I. Ut anteactæ turpiter vitæ, & commissorum peccatorum *agnitione* ducantur: seu, ut turpitudinem & noxam peccati advertant. *Tantummodo agnosce iniquitatem tuam: te à Jehova Deo tuo defeciſſe.* Jerem.3.8. Ut feciſſe leguntur *David, Manasse, Publicanus, Prodigus, Zacchæus, Petrus, Paulus*, &c.

II. Ut in animum inducant à perversitate prioris vitæ *desistere*; & ad sapientiam, h.e. Timorem Dei, qui caput sapientiæ, sese *convertere*. Sunt enim istæ Resipiscentiæ veræ partes. *Declina à malo, & fac bonum*, Psalm.34.15. *Desinite malefacere, discite benefacere.* Esai.1.16,17. Omninoque facto ipso resipiscentia declaranda: *Ferte fructus convenientes resipiscentiæ.* Matth.3.8.

III. Ut conversi *alijs* etiam ad agendam pœnitentiam sint *auctores*: ipsosque doceant & moneant, quod sit illud bonum generis humani, quod persequantur, quandiu hîc vitam agant: quod hîc fecit *Salomon*. Vide suprà Homil.I.

Qui ita convertunt sese à vino & risu insano, ad sobrietatem & sapientiam, illis nihil oberit anteactæ vitæ impuritas, si fide in Christum polleant, & in bono perseverent.

Usus.

Usus. Revertimini igitur ebriosi, lurcones, adulteri, rapaces, avari, superbi, pejeratores, &c.

DE SECVNDO.

Quibus in rebus honestiorem voluptatem illam quæsiverit, nunc porrò recenset Ecclesiastes.

I. *Primò* quidem dum *generatim* inquit, *Maxima opera feci*, vel *Magnificavi opera mea*: h.e. opera feci magnificentissima, & splendidissima: quibus & sapientiam, artem, industriamque meam, & regium decorem ac splendorem, exundantissimè ad omnium mortalium stuporem, comprobavi: De quâ Regis *Salomonis* magnificentiâ Christus ipse, Matth. 6. 29. Unde patet, cùm Rex fuerit *Salomon*, etiamque ei à Deo promissa fuerit talis amplitudo, quâ reliquis omnibus Regibus anteiret; non vitio ipsi verti debere luxum illum & fastum, quo usus est in administratione regiæ œconomiæ.

Usus. Neque proin alijs hinc liceat superbiam & fastum suum tueri; quem præter decorem sui statûs, conditionis, facultatum, exercent, pravo concupiscentiæ æstro perciti; saltem ut alijs antecellant: quod de *Salomone* dici non potest, cui nemo aliâs erat superior, cùm Rex fuerit, eoque nec præter decorem aut facultates quicquam fecerit: Nusquam etiam legitur, magnificentia illa in *Salomone* improbata.

II. *Secundò* verò *specialim* recenset magnifica illa opera quæ fecerit.

(A.) *Ædificavi mihi domos, &c.*

a. Primò enim ædificavit *Templum Domini*, Hierosolymis in monte Moriah; cujus quanta fuerit magnitudo & præstantia, vel inde colligere est, quòd licet à Patre *Davide* præparatoria innumera pene relicta sint ad futuram Templi structuram; in ejus tamen ædificatione à *Salomone* institutâ, operam fecerint 153600. viri ex peregrinis, 2. Chron. 2. v. 17, 18. ex Israëlitis autem delecti viri 30000. 1. Reg. 5. 13. qui omnes septimo demùm anno opus istud ad finem perduxerunt. 1. Reg. 6. 38.

b. Secundò ædificavit *domum Regiam pro se*, quam inhabitaret, in civitate *Davidis*, quam munivit 13. ann. spacio. 1. Reg. 7. 1-8.

c. Tertiò *Regiam pro conjuge*, filiâ *Pharaonis*, 2. Chron. 8. 11.

d. Quartò domum aliam ad *voluptatem*, (ἐυφροσυνὴν) quæ *saltus Libani* dicebatur, non quòd in ipso Libani monte extructa esset, (quæ procul aberat ab Hierosolymâ in finibus terræ sanctæ prope Tyrum & Sidonem:) sed quia, vel ex lignis cedrinis undequaque erat incrustata, aut columnis cedrinis suffulta, quæ sylvæ alicujus speciem ostendebant suâ multitudine; vel quòd in viridario aliquo, arboribus multis cedris cumprimis de Libano eò transplantatis, consito, adeóque saltum Libani quadantenus exprimente, esset extructa. Fuit illa magnificentissima, aureis clypeis ducentis, & scutis aureis trecentis, ornata; instructissima vasis & supellectilibus è purissimo auro conflatis. Videtur enim illa domus ad agitanda convivia, & excipiendos peregrinos Principes condita; atque in illâ ipsâ domo exceptam fuisse Reginam Sabæ convivio verosimile est, de quâ dicitur, quòd mirata sit sapientiam *Salomonis*, & domum quam ædificaverat, & cibos mensæ ejus, & servorum officia ac ornamenta, &c. 1. Reg. 10. 4, 5. An verò contigua fuerit hæc domus Regiæ, an extra civitatem Hierusalem exstructa, non liquet.

e. *Denique* passim in totâ regni sui ditione, varias civitates & arces condidit ac reparavit ac munivit *Salomon.* 1. Reg. 9. 17. &c.

DOCTRINA I.

Ædificare domos proprias ad habitandum, omninò licet. Indulsit id populo suo Deus. *Quùm comedens saturatus fueris, & domos bonas exstruxeris, & habitaveris.* Deutr. 8. 12. Inter beneficia Dei recensetur, urbes domosque condere, & illis inhabitare. Psalm. 107. 36. Esai. 62. 21. Ita discipuli Prophetæ Elisæi instituerunt ædificare locum ad inhabitandum. 2. Reg. 6. 2. Cautiones.

a. Ne sint *præter modum fastuosæ* & magnificæ. Patriarchæ in tabernaculis habitârunt. Hebr. 11. 9. Similiterque Rechabitæ. Jer. 35. 9. 10. modestiam & sobrietatem suam contestati. Invisa sunt Deo privatorum palatia, quæ statum ipsorum excedunt. *Dictum Domini, Iehova exercituum: detestor ego fastum Iacobi, & palatia ejus odi.* Amos 6. 8.

b. Ne è *malè partis* exstruantur. Væ talibus, *Væ conjungentibus domum domui, agrum agro adhibentibus, donec nihil amplius sit loci, & efficiamini habitatores vos soli in media hac terrâ.* Jesai. 5. 8. *Væ ædificanti domum suam injustitiâ, & cœnacula sua injuriâ, amici sui servitutem exigenti gratis, & mercedem*

eodem operis ejus non dantes ei. Jerem.22.13. *Væ dedito quæstui malo pro domo suæ, aut dissonat in excelso nidum suum, quo eripiatur è potestate mali. Consilium inivisti pudendum domui tuæ, scindendi populos multos, & peccâsti contra te ipsum: Nam lapis è pariete exclamat, & nodus è ligno testificatur istud.* Hab.2.℣.9,10,11.

c. Ne ad *perversos fines* exstruantur: scilicet ad *voluptates* impuras & immodicas exercendas: aut ad *ostentandas* divitias, potentiam, majestatem, sapientiam suam; sicuti *Nebukadnezar*, Dan.4.30. aut *nominis immortalitatem* conciliandam, sine Deo; sicuti Ædificatores turris Babylonicæ, Genes.11.4. aut ad *avaritiæ* exercendæ commoditatem; sicuti fatuus ille Luc.12.18. ampliora horrea, cellasque vinarias capaciores exædificare secum constituerat. *Domos ædificemus* (ait *Chrysost.*) *ut habitemus, non ut superbiamus.* Passim enim Deus desolationem & incendia minatur superbis liminibus. *Mittam ignem in murum Hazza, Tyri, qui consumet palatia ejus.* Amos.1.7, & 10.

DOCTRINA II.

Vera felicitas, animique tranquillitas in sumptuosis splendidisque ædificijs minimè subsistit. Testis *Salomon* noster, infrà ℣.11. *Respexi ad omnia opera quæ fecerant manus meæ, &c. Ecce autem omnia vanitas. Quia* nimirum Deo displicent, ejusque pœnas attrahunt: *Quia* in illis exstruendis & conservandis ac reparandis, multo labore, curâ, sumptibus, periculis opus est; sic quidem ut labor ille major sit quàm voluptas, quæ ex illis habetur: nec semper illorum aspectus vel incolatus, animo conceptum mœrorem pellit. *Quia* denique nihil stabile & firmum, quicquid humanis manibus ædificatum est: quin cuncta tandem pereunt, collabuntur, vastantur, ut vix ulla sui vestigia relinquant. Perière civitates amplissimæ, Babylon, Ninive, Nò seu Alexandria, Hierusalem, Troja, Carthago, Roma vetus, &c. Perière structuræ vastissimæ, pulcherimæ, celeberrimæ: Turris Babylonica, Templum Hierosol. Miracula septem mundi, Regiæ, arces, theatra, &c. affabrè ad miraculum facta, & quidem horum non pauca sed infinita. Minimè ergo constans in ædificijs felicitas esse potest; cùm illa, perinde ut homines, de improviso quandoque diem suum obeant.

Quid, quòd manentibus licet aliquantum illis, eorum tamen possessores vel habitatores, aut bellicis turbis inde expellantur; aut ad in-

citas redacti ea relinquere alijs cogantur? Sæpè fit, ut qui splendidam aliquam domum nondum aut vix ad summum fastigium perduxit, morte præventus, tenuissimo tempore speratis ejus delicijs utatur: quam post obitum ejus alius, sæpè ignotus & peregrinus occupat? *Quæ parasti cujus erunt*, ait cœlica vox ad divitem fatuum, Luc.12.20.

O miseriam! ò quantum est in rebus inane!

Ne ergo multum in exstruendis ædificijs satagamus, sufficiat angulus pro degendâ saltèm commodiusculè præsenti vitâ.

DOCTRINA III.

E *contrà sagatamus* studiosissimè, & impigerrimè;

A. *in exornando cordis Templo*, cujus Incola Spiritus Dei; *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritûs sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque vos vestri esse juris.* 1.Cor.6.19. ut purgemus illud ab inquinamentis peccati & vitiorum: nec per illa Spiritum Dei contristemus. Eph.5.6. Vicissim exornemus tapetibus virtutum Christianarum, ejusdem videlicet Spiritûs Dei fructibus. Gal.5.22. 1.Petr.2.5.

B. *in frequentandâ æde Dei*, quâ cultus ejus divinus peragitur, juxta exemplum *Davidis*. Psal.27.4. & 84.1. & 122.1. *Viro prudenti similis, ædificanti domum super Petram; quicunq; verbum Dei audit & præstat.* Matth.7.24.

C. Tertiò, in *anhelandâ & insectandâ cœlesti domo* Dei Patris nostri, de quâ Christus, *In domo Patris mansiones multæ*, Joh.14.2. quam & Apostolus vocat *ædificium ex Deo, domicilium non manu factum, æternum in cœlis*, 2.Cor.5.1. *civitatem habentem fundamenta cujus artifex ipse Deus.* Hebr.11.16. Non enim hîc *stabilem* habemus domum aut *civitatem*. Hebr. c.13.14. Domuncula si tibi sit, lutea illa, Job.4.19. *Inquilinus es non possessor, domus locata tibi, non donata, etsi nolis migrabis. August.* in Psalm.148. Stabilior illa domus quam exspectamus, melior illa civitas, illud Hierusalem, quod supra. Quòd si terrestris Hierusalem, & in illo Templi, & Basilicæ *Salomonis*, tantus fuit splendor, ut totum orbem in sui admirationem rapuerit, ut *perfecta civitas, gaudium, & terræ duci meruerit.* Thren.2.15. quantus erit cœlestis decor? Apoc.21. Vix squalidi ergastuli titulum illud hujus respectu obtinebit. In illa cœlesti domo exquisitissimæ & perennes erunt deliciæ. Psalm.36.9. Modus ad illam deveniendi est; hæc terrena neglexisse. Colos.3.1,2.

CON-

CONCIO III.

In eundem Textum.

De agriculturâ Salomonis.

DE ædificatione domuum verbis præcedentibus locutus est *Salomon*; nunc de plantatione Vinearum. Hanc quidem præcedere vult Prov.24.27. *Apta foris opus tuum, & para illud in agro tibi: posteà etiam exstrues domum tuam.* Sed ibi præcepta dat de utilitate; Hic voluptatem investigat, cujus respectu ædificatio domuum primas tenet. Ait itaque porrò

(B) *Plantavi mihi vineas, &c.*

Sequitur *Salomonis* agricolatio. Cùm enim non solùm horti, pomaria, viridaria, vineta, ad voluptatem conferant; sed ipsa etiam rei hortensis & plantationis exercitatio jucundissima sit multis; utrumque videtur *Salomon* indicare voluisse; tum quòd prædia omnis generis sibi acquisiverit, tum quòd in illis colendis, conserendis, plantandis, exornandisque ipse quoque manum admoverit, animi & oblectationis causâ. Est enim res rustica non solùm *honestissima, sed & suavissima:* Inquit *Cicero* pro Roscio. Vitibus arduis, & in magnitudinem justæ arboris excrescentibus, (jugatas aut pedatas appellant,) Palæstinam abundâsse passim exscripturâ liquet. Genes.49.11. dicitur *Judam ligaturum asellum suum ad vitem*: & Judic.9.12. Vitis inter arbores recensetur. 1.Reg.4.25. dicitur, *Habitâsse unumquemq; sub viteſuâ*, &c. securè & hilariter in suâ domo. Solebant autem ad ædium parietes enutrire vites arbustivas & sublimes, quæ alicujus instar umbraculi aut tecti subtus considentes defenderent; uti colligere est ex Psalm.128.3. *Uxor tua sicut vitis fructificans in lateribus domus tuæ.* Confer etiam Psalm.80.℣.9. & seqq. *Salomon* ergo, quia sapientiam & magnificentiam cum voluptate conjunctam quæsivit, non vulgares & humiles, sed prægrandes optimique vini feraces vites, ordine pulcherrimo, operisq; pergulatis, aut topiarijs, consevit.

(C) *Paravi mihi hortos & pomaria, in quibus consevi arbores: quasque fructiferas: vers.5.*

Tritum id semper fuit Regibus & Principibus, ut suos habuerint

hortos, pomaria, viridaria, adde & vivaria: plurimumque illa jucunditatis afferre, vel inde liquet, quòd *Adam* in horto Hedenis primitùs locatus sit. Celebres sunt pensiles Babyloniorum horti, inter septem orbis miracula recensiti, quorum aliqui authorem faciunt *Nebukatnezarem*: & Persarum Paradesin seu Paradisi. (Esther.1.5. mentio fit horti palatij regij.) Ad quorum imitationem suos quoque fecit *Salomon*. Et *Hortos* quidem habuit, quibus olera, herbas, flores, plantas consevit: *Pomaria* verò, quibus omnis generis arbores fructiferas, aliasque, tum indigenas, tum exoticas aliunde advectas, plantavit: quarum ut & plantarum peregrinarum, ex diversis terræ regionibus transplantatarum mentionem facere videtur in Cantico, cumprimis cap.4.13.&c. Cedrorum certè, nunquam antè in Judæâ visarum, tantam præbuit multitudinem, ut sycomoros numero æquarent, ut est 1.Reg.10.℣.27. Vide *Ioseph.* libr.8.Antiq.cap.2. Jam verò hortorum & pomariorum ejusmodi plures habuit (utitur enim numero plurali) tum intra, tum extra urbem Hierosol. Præcipui tamen horti in valle Hermon videntur fuisse, quam torrens Cedron perfluebat, hortosque illos irrigabat: Cantic.6.℣.8. Ad quos cuniculum subterraneum & fornicatum viam præbuisse peculiarem, nec omnibus notam, conijcere licet ex illo, quod dicitur 1.Reg.25.7.quòd per eum effugerit Rex *Tzedekias* cùm à *Nebukatnezaris* exercitu civitas caperetur.& Jerem.39.4.

In his omnibus observandum est, *Salomonem* non in nudo aspectu lectissimarum ejusmodi & delicioſissimarum plantarum ac arborum peregrinarum, aut fructibus illarum, voluptatem suam quæsivisse; sed maximè in naturâ & virtutibus illarum inquirendis sedulum maximè fuisse atque attentum; adeò, ut, quod de ipso dicitur, *locutum esse de Cedro usque ad Hyssopum*, 1.Reg.4.33. id non vel auditione vel lectione habuerit aliunde, sed proprio experimento, &c.

(D) *Paravi mihi piscinas aquarum, ad irrigandum illis nemus, ferax arborum. vers.6.*

Et in hoc capite deliciæ virorum principum consistunt, ut suas habeant piscinas, seu piscium vivaria. Quin & delectentur rivulis, per viviridaria jucundo strepitu delabentibus, arboresque irrigantibus, ut perpetuò virescant, frondescant, succrescant, & fructus dent, *Sicut arbor*

arbor plantata secus rivorum aquarum, Psalm.1.3. Sic etiam de Rege *Ezechia* narratur, fecisse piscinam, 2.Reg.20.ℵ.20.

DOCTRINA I.

De Agricolatione.

Agricultura maximis laudibus semper celebrata est. *Xenophon* tres titulos ei defert, vocans agrorum cultum καλλιστον, ἀριστον, ἥδιστον, quibus & nos in ejus commendatione insistemus.

1. Primò enim agricultura est καλλίστη, h.e. *honestissima*, decentissima, pulcherrima, nobilissima, & Christiano homini convenientissima. Deus ipse illam homini injunxit, ceu medium unde se in hâc vitâ sustentet: Usque adeò ut prima sit & antiquissima victûs quærendi ratio. *Emisit Deus hominem ex horto Edenis adcolendam terram.* Genes.3.23. *Agricolatio à Deo creata.* Syr.7.14. Confer Psal.107.37. Prov.12.10. & 28.19. & cap.24.27. Promisit Deus agrorum fœcunditatem pijs, Levit.26.4. Deutr.28.3,4.

2. Secundò est ἀρίστη, *optima, utilissima*, summeque necessaria. Teste *Chrysost.* in Epist.2.ad Corinth. τῶν τεχνῶν πασῶν ἀναγκαιοτέρα ἐστὶν ἡ γεωργικὴ. Absque hâc enim nemo hominum, nulla inter eos Politia, civitas, status nullus consistere posset, quippe pane & victu destitutus. *Chrysost.* ibidem ait, sine vestibus aut calceis hominem vivere posse, sed non absque culturâ agri. Sicque hactenus cuncti alij mortalium ordines agricolationi cedere, eique primas deferre coguntur, si præsentis vitæ enutritionem & conservationem attendas. Adeoque justa fuit illa censura, quàm *Xenophon* memorat: olim agricolam bonum majore in pretio fuisse, quam præclarissimus fuerit miles; eò quòd is terram colat, ad proventus ex eâ faciendos; hic verò cuncta destruat, vastet, diræque famis sit author. Quàm verè; plus satis hodierna tempora, totque undequaque vastatæ pulcherrimæ regiones, tot hominum myriades fame enectæ, testantur.

Usus. Amandi igitur, fovendi, defendendi agricolæ, succurrendum ipsis pro viribus, & orandum pro ipsis, ut Deus ipsorum laboribus benedicat. Quod enim ipsi orando facere tenentur, idem & alij pro ipsis facere debent, maximè cùm omnium res agatur.

3. Tertiò est ἥδιστη, *suavissima*. Id quidem verum, duros esse rusticos.

sticos labores, & culturam agri gravem, ex Dei maledictione, quam in terram edixit, *In sudore vultus*, &c. Gen. 3. 19. *Oriente Sole egreditur homo ad opus suum, & ad culturam suam usque ad vesperam.* Psalm. 104. 23. Interim beatissima quoque vita rusticorum semper est judicata, quæ ab urbano strepitu, & ambitu, forique molestijs est remota, & ignara turbarum & calamitatum belli.

Hinc illud *Virgilij* 2. Geòrg.

O fortunatos nimium bona si sua norint
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis, &c.

Et *Horatij* libr. 2. od. 2.

Beatus ille, qui procul negotijs,
Ut prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.
Forumq; vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

Exstant exempla plurimorum præclarissimorum virorum, qui pòst exantlatos summos in juventute labores, vel in bello, aut Republicâ, aut literis, tandem exoptatæ quieti sese dedituri, in rus & prædium quoddam concesserunt, ut illo senium reliquosque vitæ dies suaviter & tranquillè transigere possent. Uti de M. *Varrone* homine apud Romanos doctissimo constat; qui 81. annum agens agricolatione adeò se oblectavit, ut insignem eâ de commentarium literis commendârit. Constat insupermultos è Principibus viris, aliosque majoris notæ, plurimum oblectamenti in hortorum, pomariorum, vinearum, &c. culturâ habuisse; Quod vel *Salomonis* nostri exemplo constat: adeò ut conjunctam cum utilitate recreationem in rure suavissimam ac delicioßissimam assecuti sint.

Cæterùm evanidum esse gaudium, quod in hortis, viridarijs, plantatione, &c. subsistit, præter universalem *Salomonis* censuram infra v. 11. vel inde liquet, quòd Scriptura hominis vanitatem & ματαιοτητα descripturâ, ipsum gramini floribusque agri confert passim, Esai. 40. 6. Psal. 90. 5. Job. 14. 2. qui nunc suaviter arrident, mox flaccescunt, arescunt, concidunt; suoque occasu aliquâ tristitiâ mentem adficiunt, ut *Jonæ* exemplo constat: indeque hyems tristis dicitur, quod omnia tum in hortis rigescant & horrescant, &c.

Usus,

Usus. Ergò plantarum, arborum, vitium, &c. sortem intuentes, mortalitatis nostræ meminerimus. Piéque omninò factum ab Arimathæensi *Iosepho*, quòd ad istam considerationem aspectu exstantis & horti, & monumenti in eo excitari voluit. Simul tamen & resurrectionis nostræ memoria nos erigat, quùm verno tempore cuncta suppullulare, virescere, frondescere cernimus: quò etiam Servator ducit: *Nisi granum frumenti lapsum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: sin verò mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joh.12.24. & *Paulus* 1.Cor.15.36. *Demens, quod seminas non vivificat, nisi mortuum fuerit.* Victores in secuturâ deinceps vitâ comesturi sunt de arbore vitæ, in medio Paradisi sitâ. Apoc.2.7. & 22.2. Vide de laudibus Agriculturæ plura, cumprimis ad primum membrum de honestate ejus, pertinentia. Hom.VI. in cap.V.

DOCTRINA II.

Spirituali Agricolatione.

Deus agricola est, Joh.15.1. Habet ille duplex arvum: *Primò* quidem Mundum, Matth.13.38. in quo triticum & zizania, boni malique permixti. *Secundò* Ecclesiam suam, quæ propria est Dei villa. Psalm.92.13.

1. Prospiciendum igitur nobis est primò, Ut simus bonum arvum, adeóque pars terræ fructiferæ: quæ, cujusmodi sit, è parabolâ seminis liquet, Matth.13.23.

2. Ut in horto & pomario Dei, simus arbores fructiferæ: Quarum tum descriptio, tum felicitas exprimitur Psalm.1.3.

4. Ut in vineâ Dei itidem vites & palmites simus generosi & uberes: quales Joh.15.2. &c. designantur.

Caveamus igitur, ne simus terra maledicta, Heb.6.v.8. Ficus infructuosæ, Matth.21.19. Vineæ palmitesque inutiles & aridi. Esai.5.2. Joh.15,6. Feramus ergò fructus condignos, &c. Matth.3.8. proficiamus, crescamus, &c.

CONCIO IV.

In eundem Textum.

De famulitio Salomonis.

(E) *Comparavi servos & ancillas, & vernæ, (aut unde vernæ) fuerunt mihi. vers. 7. a.*

HÆc de famulitio, & satellitio regio dicuntur. Servorum istorum duo genera indicantur: Fuerunt enim alij emptitij, alij vernæ, seu domi ex prioribus servis nati: De illis dicit, *Comparavi mihi*, scilicet precio venalitios, &c. cujusmodi servus fuit *Iosephus* in Ægyptum abductus, Genes. 39. 17. sic alij se emendos pro frumento *Pharaoni* prostituebant, Gen. 47. 19. Ista verò mancipia *Salomonis*, vel potuerunt esse barbara & peregrinæ gentis: Sic enim *Iosephus* lib. 8. Antiq. c. 2. enumerans ea, quæ ex navigatione afferebantur ad *Salomonem*, præter alias merces, meminit etiam servorum Æthiopicorum. De his verò sub appellatione *Vernarum* loquitur; qui vel ex peregrinis servis, aut ex Hebræis & indigenis nati erant servi: è quibus isti reliquis conservis eatenus præcellebant, quòd ejusdem cum Domino fuerunt Religionis, & quòd in familiâ censebantur. Varia porrò & distincta fuerunt servorum istorum officia: *Vel* enim ad rem rusticam & pecuariam, *vel* domesticam seu aulicam adhibiti sunt; uti eâ de re præmonuit populum *Samuel*, quùm importuniùs Regem petijsset: *Hæc erit ratio regis, qui regnabit super vos, filios vestros accipiet, ut sibi disponat in curribus suis, & in equitibus suis, & currant ante currum suum: Et ad disponendum sibi chiliarchos, & præfectos quinquagenis, & ad arandum; arva sua, & admetendum messem suam, & ad faciendum instrumenta bellica sua, & instrumenta currum suorum.* 1. Sam. 8. 9. &c.

De servis urbanis & aulicis illud accipiendum, quod legitur 1. Reg. cap. 10. 5. Admiratam Reginam Sabæ mensam *Salomonis*, & habitacula servorum, & ordinem ministrantium, & vestes eorum, &c. Horum enim *alij* mensæ regiæ, & apitandis convivijs præfecti erant, veluti Structores, Obsonatores, Prægustatores, Carptores, Coqui, Pocillatores, Analectæ, &c. *Alij* corporis & vestium Regis curam gerebant, ut Vesti-

fricij,

ſpici, Myrothecarij, Tonſores, aliíque omnis generis opifices, &c. *Alij* ad comitatum & cuſtodiam Regis erant deſtinati, veluti Apparitores, Anteambulones, Comites, Satellites, &c. *Alij* ad regiæ domûs cultum miniſtrabant, ut Oſtiarij, Atrienſes, Scoparij, &c. *Alij* alijs miniſterijs, equis, currubus, alijsq; vilioribus erant præfecti. Taceo, qui ſublimioribus regni & Reipublicæ adminiſtrandæ negotijs erant præfecti; & ſupra ſervos inferiores iſtos dominabantur, de quibus 1. Reg. 9. 23. quorum numerus dicitur fuiſſe 550. Reliquorum ſervorum numeroſiſſima fuit turba, uti id ex victu ordinario in ſingulos dies, colligere licet, de quo 1. Reg. 4. 22. Iſta ſervorum & mancipiorum copia numeroſiſſima, non tam ad neceſſitatem faciebat, quàm voluptatem, & magnificentiam regiumque ſplendorem oſtentandum, adeóque ſuperbiæ *Salomonis* luculentum eſt indicium, maximè quòd veſtitus politiſſimus & nitidiſſimus omnibus erat ad ſtuporem. Nec verò dubium eſt, hujus ipſius publicam hîc edere confeſſionem voluiſſe *Salomonem*, ut tantò evidentius, præſentis ſeculi vanitatem, & ſuperbiæ ſtultitiam traducere poſſet, quam certè videmus hodie affectari à multis, qui in comitatu aliquo ornamentum ſibi & ſplendorem conquirere ſatagunt.

QUÆSTIO.

Quæritur verò: an *iſta famulitij Salomonis innumera copia, adeoque magnificentia iſthæc ejus inaudita, probanda ſit an improbanda?*

Argumenta *affirmantis* ſunt:

1. Quia Deus *Salomoni* tantam magnificentiam addixit: jure igitur optimo eam uſurpare poterat.

2. Quia Rex erat maximus & ditiſſimus, ut potuerit ſine injuſtis exactionibus, eam habere.

3. Quia cultûs divini maximam habuit curam; Templum enim ædificavit ſumptuoſiſſimum, adeò ut non in faſtum modò ſuum fuerit intentus, atque omnia in illum impenderit.

4. Quia in bonum finem id egit, ut tantò evidentius præſentis ſeculi vanitatem, & ſuperbiæ ſtultitiam ac dementiam traducere poſſet.

Argumenta *negantis* ſunt:

1. Quia Deus in Lege ſuâ præcaverit nimium Regis faſtum: *Ne multiplicato ſibi equos*, Deutr. 17. 16. &c.

2. Quia nimia elatio in alijs Regibus à Deo severè est punita, veluti in *Pharaone, Nebukadnezare, Herode*, &c.

Respondetur ad posteriora argumenta:

Ad 1. *Salomonis* extraordinariam fuisse rationem, quia peculiarem idem ille accepit à Deo promissionem, sicque & sortem. Præterea-que typum gessit *Christi*, cujus regnum per *Salomonis* regnum fuit præfiguratum.

Ad 2. Illi Ethnici Deo ipsi fastuosè insultârunt, ideóque puniti: *Salomon* non ita præfractè Deo in faciem obstitit.

DOCTRINA

De *fastu vitæ*.

Sicuti diversa est hominum sors & conditio in hâc vitâ, dum alij in eminentiore statu sunt locati, veluti Reges, Principes, Dynastæ, alijque qui regendis alijs præfecti sunt; alij verò in humilore, veluti qui alijs subjecti sunt, homines privati: Ita alia alijs conveniunt, nec quod illis potentioribus licet, idem istos æmulari æquum est: Unde quod in illis excusationem meretur, in his meritò damnatur. Istam enim disparitatem in humano genere Deus esse voluit (sicuti pòst dicetur) ut alij sint Domini, alij Servi; alij Reges & Magistratus, alij subditi. Ut ergò illi cum decenti authoritate personam suam agere debent: sic & istos sese intra statûs sui cancellos continere æquum est.

1. Observandum igitur omnem fastum vitæ, in victu, amictu, hospitio, supellectile, famulitio, qui τὸ σφέτερον excedit, maximè Deo esse *invisum*: utpote qui Deus est ordinis, cui omnis confusio displicet. Ergò si ancillæ & servi Dominis, manufices mercatoribus aut in eminentiâ constitutis civibus, rustici nobilibus, mercatores aut nobiles dynastis Principibusque viris, vel æqualem, vel superiorem (ut fit) fastum exercent; non leve piaculum.

2. Detestabilis ille fastus, *qui ex inferiorum subditorum, pauperum*, sudore & sanguine, h.e. facultatibus per vim, exactiones, fœnora, fraudes coacervatis exercetur. *Principes priores qui antecesserant me prægravabant populum, accipientes ab eis de pane & vino, præter argenti siclos quadragenos, etiam pueri eorum dominabantur in populo: ego verò non feci ita propter reverentiam Jehova.* Nehem. 5. 15. Confer Esai. 5. 8, 9. Ezech. 34. 8. Habac. 3. 9.

3. Fastum

3. Fastum vitæ quemcunque esse delirium hominum mundanorum; φαντασίαν Actor.25.23. & vanitatem putidissimam, Teste *Salomone*, infrà ℣.11. Esai.40.6. *Fastus vitæ non est ex Patre, sed ex mundo: porrò mundus præterit & omnis cupiditas ejus.* 1. Joh.2.17. Neque igitur vera, certa, constans hominis felicitas in eo consistit; ne quidem ea, quæ quietam & pacatam reddat hominum vitam:

4. Præcipitat hominem, in hujus, & secuturi seculi exitium. Prov.16.18. *Ante confractionem superbia, & ante lapsum alti spiritus.* 1.Petr.5.5.

USUS. Deponamus igitur vitæ fastum, si sapimus; memores *mortalitatis* & ὑδρείας nostræ: *æternæ gloriæ*, ad quam non nisi humiles elevabuntur. Exemplo *Christi*, Philipp.2.6,7. cui conformari oportet in humilitate, qui eidem conformari volunt in gloriâ: Eadem enim capitis & membrorum ratio.2.Tim.2,12.

QUÆSTIO ET DOCTRINA.

De *servitute corporali.*

Quæritur, An *servitus* (dum videlicet homo homini subijcitur ad præstanda ejus opera & negotia expedienda) *legitima sit jure divino, seu Deo probetur?*

Ratio dubitandi, Quia omnium hominum eadem videtur esse ratio: sive Creationem & ortum; sive lapsum, Rom.3.23. sive redemptionem, Gal.3.28. spectes.

Respon. Distinguendus est status hominis integri & corrupti.

Ante lapsum, servitus locum non habebat, quia omni homini Creationis jure dominium datum erat in Dei creaturas sublunares, & bruta quævis animantia, non verò homini in hominem. Genes.1.26. Psalm.8.7.

Post lapsum verò miseria ista, præter alias, humanum genus invasit; ut alij alijs subjecti servirent; alij aliorum servitijs opus haberent, eorundemque non rarò negligentiâ, infidelitate, contemptu, affligerentur. Vid. *Augustin.* de C.D. lib.19. cap.15. & 16.

Hujus autem discriminis fundamentum Deus ipse *in naturâ hominis* extare voluit: dum videlicet alij alijs ingenio, probitateque præstant, ut regendis alijs meritò præficiantur: alij verò ingenio inferiores, addo & deteriores ac improbiores, atque in vitia procliviores, quorum con-

pescere perversitatem ab alijs, ijsque superioribus & melioribus æquum sit: Atque cùm isti qui sagacitate mentis destituuntur, corporis viribus plerunque prævaleant, ideò commodissimè ad servitia, & operas à Dominis adhibentur.

Usus 1. Quod observandum contra Anabaptistas. &c.

2. Servi proin in suo statu vivant, ut decet: id scientes à Deo se in eo locatos esse. Non sint ὀφθαλμοδουλοι Eph.6.6. sed fideliter serviant Heris suis, ut *Jacob* & *Joseph*. Neque medijs illegitimis tentent se immunes reddere à sorte ista humili. 1.Cor.7.20. Optima vita, quæ tota alijs inservit. Sanctis inservire non servitus, sed libertas est. *Hier.* Ep. ad Simp.3. Domini verò ne sint in servos nimis duri & austeri; agnoscentes Dei erga se gratiam, qui eos alijs prætulerit. 1.Cor..4.7. *Quis distinguit te?* memores item, habere *se Dominum in cœlis*, qui sævitiam in servos ulturus sit. Ephes.6.9.

DOCTRINA

De servitute spirituali.

Nec verò externam istam modò & civilem servitutem invexit peccatum in humanum genus, à quâ complures mortalium sunt exempti; sed *spiritualem* aliam, quâ omnes homines sine exceptione tenentur, eamque miserrimam summeque horrendam: quatenus scilicet humanum genus omne redactum est in servitutem peccati & consequenter Satanæ: Joh.8.34,44. 1.Joh.3.8.2.Tim.2.26.Colos.1.13.Rom.6.17.

Hæc verò spiritualis nostra servitus, non ejus est conditionis, quâ sunt servi conductitij, qui non diutius servire tenentur, quàm pacti sunt famulitium; indeque seipsos in libertatem vindicare possunt; sed qualis olim fuit vernarum, qui seipsos in libertatem asserere non poterant, sed à Dominis manumissi sunt: Ita nec nos, proprijs viribus, è peccati & Satanæ servitute & tyrannide vindicare in libertatem poteramus; nec verò Satanas, à quo captivi tenebamur, unquam nos manumittere cogitabat, sed æternum sibi mancipatos voluit: Unde miseriæ nostræ magnitudo conspicua fit. In V. T. quinquagesimo quoque anno servi Hebræorum manumittebantur, dicebatur is Jubilæus. Levit.25.39.&c. Jerem.34.14. Ejusmodi Jubilæum, frustrà renitente Satana, nobis obtinuit, & promulgavit, Dominus noste.

ſter Jeſus Chriſtus, Eſai. 61. 1, 2. Satana enim per ſuam crucem & mortem profligato, miſeros nos ex ejus ſervitute & captivitate redemit, eripuit, & in libertatem aſſeruit. Hebr. 2. 14, 15.

Usus. Benedictus ergo Deus, *qui nos eripuit à poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum lucis.* Coloſſ. 1. ℣. 12, 13. Geramus ergò nos porrò ut libertos, neque ampliùs ſerviamus peccato & Satanæ, ſed ei qui nos redemit Chriſto Domino, in verâ juſtitiâ & ſanctitate. Luc. 1. 14. Rom. 6. 12. & cap. 7. 1. &c.

De hac ſervitute plura aliâs.

CONCIO V.

In eundem Textum.

De pecuariâ Salomonis.

(F) *Poſſeſſio boum & pecorum multa fuit mihi præ omnibus, &c.*

DE ſervis ad rem pecuariam mox delabitur *Salomon*: Unde conijcere eſt, contemptim habuiſſe ſervos ſuos ac ancillas, nec multò pluris eos æſtimâſſe, quàm greges ſuos ac armenta. Quod ſi eſt, minus in ipſo probari debet. Neque enim ſervi ſunt alterius naturæ, ſed ejusdem cum Dominis. *Nomina enim iſta, Domini & ſervi, non natura, ſed peccatis ſunt. Auguſtin.* libr. 19. de C. D. cap. 15. *Eleganter Nyſſenus* in hunc locum: *Ex eo, qui eſt ſub manu tuâ, nihil aliud tibi video accedere præter nomen. Quid enim poteſtas adjecit naturæ? Non tempus, non ulla privilegia. Ex iisdem tibi eſt ortus; eodem modo à vobis degitur; ex æquo dominantur animi & corporis afflictiones; inte, qui es Dominus, & in illum qui eſt ſubjectus tuo domino; Mœror & animi alacritas; Lætitia & triſtitia; dolor & voluptas; ira & metus; morbus & mors. Eſt-ne in his aliquod diſcrimen inter ſervum & Dominum? Annon per anhelitum eundem trahunt aerem? Nonne ſimiliter ſolem intuentur? Non eâdem nutriendi adjectione ſuam conſervant naturam? Non eſt eadem viſcerum conſtructio? Annon ambo ſunt poſt mortem unus pulvis? Non unum eſt judicium? Non eſt commune regnum & gehenna communis?* Confer Jobi 31. 15.

Adde quod melior ſervi pars à ſervitute excepta eſt, Anima ſcilicet: Melior pars, id eſt *mens, ſua juris & libera eſt. Seneca* libr. 3. de Benef. cap. 20.

Denique,

Denique, cùm quis incidit in *servum bonum, nulla est possessio melior*: dicit *Menander* apud Stob. Serm. 60.

Quòd autem Salomonicas *in armentis & gregibus opes attinet*, ait: *Possessio boum & pecorum multa fuit mihi præ omnibus, qui fuerunt ante me in Ierusalaim: vers.* 7.b. Liquidum id fit ex ejus Historiâ. Narratur enim 1.Reg.4.26. *Salomonem* habuisse 40000. *præsepia equina*, & 12000. equites, qui sumptibus Regis alebantur. Plurima dein armenta & greges, oves & boves, ad sacrum sacrificiorum usum adhibuit: Sic ut Regina Sabæ itidem mirata sit holocausta quæ offerebat, 1.Reg.10.5. Tribus etiam vicibus, per annos singulos, offerebat holocausta & victimas pacificas. 1.Reg.6.25. ingenti numero. Celebratur *David*, quòd in transportatione arcæ è domo Obededom, passibus singulis, sex boves & arietem unum sacrificârit. 2.Sam.6.13. porroque alia holocausta & eucharistica obtulerit, *ỳ.17.* At *Salomon*, unâ tantum vice, mille hostias (hecatombem) obtulisse memoratur, 2.Chron.1.*ỳ.6.* Stupendum quod legitur 1.Reg.8.63. quòd sub Templi dedicationem, sacrificaverit Jehovæ, 22000. boves, & 120000. pecudes: quanquam verosimile sit, etiam sacrificia populi illo numero contineri. Sed & quotidianus ille familiæ regiæ victus, de quo ante dicebamus, ex 1.Reg.4. *ỳ.22,23.* qui in singulas septimanas 210. boves, & 700. oves, ferinis carnibus exceptis requirebat; eandem *Salomonis* in re pecuariâ opulentiam comprobat.

DOCTRINA

De re pecuariâ.

Quod de agricolatione dictum est antè, idem de pecuariâ repeti potest; *Utilissimam* & *innocentissimam* victûs acquirendi rationem, eâ comprehendi; quæ à mundi fuit origine, Deoque maximè probetur; à quâ proin nec ipsi Reges aborruerint: in Textu ex *Salomonis*.

Adamo, à quibusdam, applicatur illud Zach.13.5. *Vir agricola sum.* Sequutus *Abel*, ovium pastor, Genes.4.2. *Patriarchas* pastores fuisse liquet ex Genes.37.2.cap.46.32.cap.47.3. Huc respiciens Deus promisit & dedit quoque populo suo *regionem, affluentem lacte*, h.e. alendis pecoribus opportunam; & *melle*, propter innumera apum examina in sylvis mellificantium, Num.16.13. Deut.1.6.

Indo

Inde factum, quòd filij Israël egressi sunt ex Ægypto, assumptis ovibus & armentis, Exod. 12. 32. & 38. *Moses*, Israëlitarum Dux, itidem pastor erat. Exod. 3. 1. *Iobi* divitiæ in armentis & gregibus sitæ erant. *Saul* Rex, multos pastores habuisse dicitur, 1. Sam. 21. 7. inter quos *Doeg Idumeus* eminebat, qui illius mulas pascebat. *Davidem* de gregibus ad imperium vocatum constat; ex 1. Reg. 16. 11. & 17. 28. Psalm. 78. 70. &c. Isti ut ut divites fuerint pecoribus, omnes tamen, non plebeios modò, sed & Magnates quoque se Hierosolymis pecudum multitudine & possessione superâsse hîc testatur *Salomon*.

Usus. Videmus seculi præsentis perversitatem, quo pluribus fœtet & contemptui est illud vitæ genus, cujus quondam viros summos & sanctissimos non puduit. Ne contemnamus pecuarios, quorum cura & studium humano generi necessarium, utilissimumque: adde & simplicissimum, antiquissimum, Deoque probatissimum. Unde pijs & probis hominibus promisit, quòd pasturæ ipsorum benedicturus sit; *Benedictus fructus jumentorum tuorum; fœtus boum tuorum, & greges pecudum tuarum*. Deutr. 28. 4. Exemplum *Iacob* Genes. 30.

Talis benedictio non promittitur illis, qui turpe negociationis quodcunque genus exercent: Neque proin sciant, eam sibi obventuram: sed potiùs quæstum quem faciunt, sibi & posteris maledictum fore. Jer. 17. 11. Psalm. 69. 23.

GAZÆ SALOMONIS, &c.

(G) *Congessi mihi etiam argentum & aurum, & peculium Regum & provinciarum: vers. 9. 8.*

Ad inenarrabilem ejusmodi magnificentiam & luxum regalem, & voluptates quasque summas comparandas, auro argentoque opus erat, de quo nunc verba facit; In eum maximè finem, ut si quid voluptatis aut veræ felicitatis in immensis auri argentique acervis ac thesauris lateret, illud sibi minimè occultum futurum fuisse, omnibus constaret; quia incomparabiles possederit divitias, atque gazas auri & argenti, aliarumque rerum preciosissimarum.

Et tanta quidem opulentia ei à Deo promissa fuerat, quantam nemo uspiam Regum habiturus esset. 1. Reg. 3. 13. Præstitam abundè *Salomoni* istam promissionem liquet ex illo quod dicitur (licet hyperbolicè) 2. Chron. 1. 15. & 9. 20. *Et reddidit Rex Ieruschalaimis argentum & aurum*

 ut lapi-

ut lapides. Omnia vasa potoria Regis Salomonis erant aurea, & omnia vasa domus saltus Libani ex auro asservato, nihil inerat argenti, æstimabatur temporibus Salomonis nullius pretij. Unde patet, benedictione Dei, tantas ei affluxisse divitias; non autem per vim raptas, aut iniquis artibus corrasas fuisse. Testis locuples hujus rei est sacra historia.

1. Primò enim amplissima fuit ejus à *Davide* Parente acquisita *hæreditas:* Mortuus enim est *David* plenus divitijs. 1.Chron.30.28. ac nemo vel Hebræorum vel aliorum Regum tantas divitias hæredi reliquit, secundùm *Iosephum* 2.Antiq.cap.12.

2. Secundò, *ex navigationibus in Ophir*, ingentem auri vim recepit. 1.Reg.9.28.2.Chron.8.18. Servi Hiram & *Salomonis* dicuntur adportâsse 420.talenta auri, primâ navigatione. 1.Reg.9.28. Naves autem illi ternis annis semel ibant & redibant. 1.Reg.10.22. *Budæus* libr.4.de asse Talentum Hebraicum auri supputat ad 7700.Gall.Coron. *Iunius* Talentum vulgare 60. Librarum (sacrum 120.) libram 100.Coron.aur. Talentum ergò 6000.Coron.valebat.

3. Tertiò ex *annuis reditibus* ordinarijs, accepit 666.talenta auri: exceptis vectigalibus, quæ publicani redimebant, & quæ aromatarij pendebant. 1.Reg.10.14.

4. Multùm quoq; ex *tributis exterarum gentium*, quas subactas habebat & tributarias fecit, Syriâ cũprimis regione ditissimâ & amplissimâ. 2.Chron.8.7.8.1.Reg.4.21. (Fortasse hęc reditibus ordinarijs accensenda.)

5. Ex *donis* & *muneribus*, quanta nemo alius accepit. Munerum istorum alia fuerunt ei à Regibus oblata, hinc mentio fit in textu, *peculij*, (seu thesaurorum reconditorum res precioss. continentium) *regum ac provinciarum*, &c. Omnes Reges Arabiæ & Proceres ejus regionis afferebant aurum & argentum *Salomoni*. 2.Chron.9.14. Similiter Rex *Hiram* misit ad *Salomonem* 120.talenta auri, 1.Reg.9.14. Sabæ Regina totidem etiam dedit, 120.vid.talenta auri, aromata etiam & lapides preciosos. Alia à privatis offerebantur, qui undequaque ex omnibus, quasi terræ partibus confluebant ad sapientiam & gloriam *Salomonis* experiendam. 1.Reg.9.25.

6. Accesserunt *negociationes* quæstuosissimæ, nec Rege indignæ, nec alijs damnabiles; nec tam per avaritiam quàm sapientiam tractatæ, utpote quæ plurimùm ad commercia valet; *simplitudine sapientia tua in mercatura amplificasti facultates tuas*, &c. Ezech.28.5.

His

His omnibus ita collatis, liquidò constat, tales tantasque *Salomonem* possedisse divitias, quales nullus unquam Monarcha vel Respublica habuerit: Non dicam de hodiernis Regibus, qui vel habiti sunt, vel habentur nunc ditissimi, (quemadmodum de *Rege Sina* refertur, quòd annuos reditus habeat 120. millionum. *Boterus*, Part. 2. lib. 2.) Horum namque aut confictæ, aut multò minores sunt divitiæ; sed etiam de veteribus: 1. Reg. 10. 23. Licet enim non defuerint, qui vel *Alexandrum M.* vel Principes quosdam Romanos *Salomonem* divitijs antecelluisse putârint; diversum tamen ab alijs demonstratum: Vid. *Villalpand.* in Ezech. tom. 3. par. 2. disp. 3. cap. 49. & seqq. Adeò minimè fallax fuit divinum promissum. Cumque *Salomon typum gesserit Christi*, cujus & gloriam & divitias spirituales adumbrare debuit, utique mortalibus omnibus incorporalibus anteire debuit.

Ut ut ergò sumptus maximos fecerit *Salomon*, in ædificando, ut & in sustentandâ domo & familiâ suâ, quæ amplissima erat, uti ex quotidiano victûs demenso, colligere est; Attamen in eam rem ingentes à Patre reconditos thesauros accepit; nec verò milites, operarij, & familia *Salomonis* ex tributis & reditibus Regis, sed à populo & subditis alebantur, atque à præfectis ad id ordinatis 1. Reg. 4. 27. impensæ istæ fuerunt collectæ. Nec verò grave adeò id esse poterat subditis, cùm & tempora tum fuerint pacifica summè, quibus rem suam facere & locupletari erat ipsis perfacile: & subditorum numerus æquè tum erat immensus; *Jehuda & Israel multi ut arena quæ est ad mare, in multitudinem comedebant, bibebant, lætabantur.* 1. Reg. 4. 20, 25.

DOCTRINÆ

De Divitijs.

I. Divitias legitimis medijs acquirere, & possidere licet. Sunt enim Dei donum, ut mox audiemus, ex Prov. 10. 22. Promittuntur pijs: *Beatus quisquis reveretur Jehovam, qui præceptis ejus delectatur valdè. Opes & divitiæ in domo ejus erunt.* Psal. 112. 1, 3. *Longitudo vitæ in dextrâ ejus* (scilicet sapientiæ, cujus caput timor Domini) *in sinistrâ ejus divitiæ & honor.* Prov. 3. 16. *Armenta & greges tibi augebuntur, aurum & argentum tibi augebuntur.* Deutr. 8. 13. Sunt medium exercendæ beneficentiæ: *Nostra abundantia supplere potest, quod alijs deest.* 2. Cor. 8. 14. remedium adversus furta

& rapinas, Prov.30.8.9. Plures sancti ampliſſimas poſſedêre divitias, ut *Abraham, Loth, Iſaac, Iacob, Iob, David, Salomon, Ioſephus Arimathaenſis.* Hinc *Auguſtinus: Divitiæ ne putentur malæ, dantur & bonis; ne putentur ſummum bonum, dantur & malis.*

Iterum ex Evangelio de divite Epulone & *Lazaro* concludit: *Ideò Deum pauperem Lazarum in divitis Abrahæ gremium importari voluiſſe, ut tum pauperes, tum divites ſcirent ſervari ſe poſſe, modo utrique Deum rite venerentur.* Neque *Paulus* dicit, Nulli divites vocati, ſed *non multi*, 1.Cor.1.26. Agur divitias deprecatur non quòd in ſe malæ, ſed quia ſæpenumero noſtro vitio fiunt anſa & materia malefaciêdi, peccandi, ſuperbiendi, &c. Prov.30.9. Mandatum Juveni datum de vendendis omnibus, &c. perſonale erat. Matth.19.21. Verbis ſeqq. ℣.23. *Amen dico vobis, dives difficulter introibit in regnum cœlorum*, è regno cœlorum excluduntur divites non quicunque, ſed ij qui juxta avari, divitijsque ſuum apponunt cor. Pſal.62. ℣.11. Ita ſtudium diteſcendi improbatur ab Apoſtolo non quodcunque, ſed illud ſaltem, quod nimium, quod illegitimum, 1.Tim.6.9.

II. Divitiæ à Dei manant benedictione. Ita divitiæ *Salomonis* à Dei, qui promittebat, benedictione, profectæ. *Benedictio Iehovæ ipſa ditat.* Prov.10.22. *Dives & pauper inter ſe occurrunt, efficiente hos omnes Iehova.* Prov.22.2. Sine eâ labor, induſtria, prudentia omnis inutilis. *Fruſtra ſunt, qui ſummo diluculo ſurgunt*, &c. Pſalm.127.2. *Divitiæ non ſunt prudentum.* Eccleſ.9.13. Ubi vide plura.

Usus 1. Ne itaque hic *plagis noſtris ſacrificemus & ſuffitum faciamus retiaculo noſtro.* Habac.1.16. ſed potiùs pietatem *Iacobi* imitati, Deo quicquid acquirimus, quicquid poſſidemus, acceptum feramus. *Iehova Deus fecit, ut mihi obveniret, quod affero.* Geneſ.27.22. *Impar ſum omnibus his beneficijs, totique illi fidei quam præſtitiſti ſervo tuo: etenim cum baculo meo tranſiveram Jardenem iſtum, nunc autem in duas acies Dominus effectus ſum.* Geneſ.32.10.

Usus 2. ad *invit.* Quod de divitijs dictum, eas è fonte benedictionis divinæ manare, applicandum divitijs tantùm æquis, non injuſto Mammonæ; Impij & fœneratores etiam de benedictione Dei ſibi conceſſa multum gloriari ſolent, *Quisque eorum dicit; Benedictus Deus quod ditatus ſim.* Zach.11.5. Confer Pſalm.10.℣.3. Sed malè & cum Dei contumeliâ: quaſi verò Deus benedictione ſuâ furtis, fraudibus, circumventionibus, expilationibus proximi patrocinaretur. Igitur è maledictione

Dei

Dei ortæ sunt ipsorum divitiæ, & in eam desinent. Ut de *Rege*, quem populo suo dedit Deus, ipse testatur, quòd in *ira sua eum dederit, rursumq; in furore suo eundem subtracturus sit.* Hos. 13. 11. Idem de divitijs impiorum malè partis decrevisse sentiendum est.

QUÆSTIO. *Cur Deus cùm potuisset, non æque fecerit omnes divites, sed tale discrimen divitum & pauperum statuerit in genere humano.*

RESP. 1. Sapiens Prov. 22. 2. *Dives*, &c. q.d. *sic visum* Deo, cujus voluntas, quia sapientissima, nobis loco regulæ esse debet.

2. Scitè *August. Dives & pauper duo sibi sunt contraria, sed iterum duo sibi sunt necessarij. Dives propter pauperem factus est, & pauper propter divitem. Ergo ad mutuam inter homines societatem fovendam; facit hoc discrimen. Si enim omnes divites essent, nema laboraret: si omnes pauperes, nemo esset, qui alteri succurrere & opitulari valeret.*

3. Ad *utriusq; probationem:* Utraque enim & paupertas & opulentia sua habet gravamina & offendicula. Etenim paupertas facilè hominem ad impatientiam, diffidentiam, rapinam, & illicita media protrudit: Opulentia verò ad superbiam, securitatem, Numinis contemtum; judice Agure, Prov. 30. 8, 9. Hinc ergò Deus, cujusmodi intus sit homo probat, & manifestat. Ac in pijs quidem pauperibus prodit se eorundem patientia, erga Deum fiducia, ὑπομονὴ, constantia: In impijs eorundem impatientia, fremitus erga Deum, invidia, desperatio, ad rapinas, furta, fœnora, pessimasque lucrandi artes festinatio.

In pijs divitibus, prodit se eorundem humilitas, sobrietas, temperantia, pietatis erga Deum, quem ex suâ substantiâ honorant, ac beneficentiæ erga proximum studium: In impijs verò, superbia, luxus, intemperantia, petulantia, securitas, contemptus Dei & cultûs divini, proximi neglectio, & oppressio, avaritia, &c.

4. Quia Deus *præsentem vitam vult esse miseram & ærumnosam*, ut meliorem in cœlis quæramus: Etenim paupertas per se est Dei pœna, orta ex peccato, (cùm ante lapsum omni rerum affluentiâ abundâsset homo:) quæ ipsum nunc ad duros labores cogit. Opulentia verò adhuc paupertate est gravior, judice quidem sapientiss. *Salomone*. Eccles. 5. 2. ubi ostendit pauperes eatenus esse feliciores divitibus, quia hi, quod quęrunt, somnum scilicet ac vitam tranquilliorem non assequantur præ

multiplici curâ, quam ipsis facessant divitiæ: illi verò assequantur, ac placidè saltem dormiant. Quocunque igitur sit homo statu, vita miserrima deprehenditur.

III. Licitum est *Regibus & Magistratibus census & tributa à subditis exigere.*

Ex. *Salomon*, qui ex reditibus publicis gazas pro conservatione Reipublicæ conquisivit. *Hoc erit jus Regis, decimabit vineas vestras, greges vestros*, 1.Sam.8.15,17. eoque subditi illa pendere tenentur. Cedunt enim in eorum bonum, ut per quæ totum Reip. corpus conservatur: quo nutante, etiam singula membra pereunt.

Mandat. Date Cæsari, quæ Cæsaris, Matth.22.21. *Propter hoc ipsis etiam tributa solvitis: siquidem Ministri Dei sunt, in hoc incumbentes. Reddite igitur omnibus quod debetis, cui tributum debetur tributum, cui vectigal, vectigal*, &c. Rom.13.6,7. Ex. *Joseph & Maria*, Luc.2.1,2. *Christus* ipse Matt.17.25,27.

a. *Modice* tamen sint ejusmodi exactiones, & tolerabiles; Oves non deglubendæ, sed tondendæ. Subditis enim ad inopiam redactis, quomodo Princeps aut Respublica posset consistere? Unde qui facultates subditorum nimijs exactionibus exhauriunt, suas ipsorum vires & decus violant.

b. *Proportionate* porrò sint, ita ut plus dare teneatur, qui plus habet, neque ditissimis ab oneribus exemptis, pauperibus omnia incumbant. *Honore enim illi* (ut ait Cic. in Philipp.) *non immunitate præcedere debent.* Quod apud *Ventos* tam curiosè observatur, ut subinde primores Reipublicæ tributis se onerent, quibus eximunt plebem.

Phuli Regi Assyriæ invadenti Israelem *Menachem* dedit mille talenta: *Exegit autem istam pecuniam in Israele ab omnibus, qui valebant facultatibus.* 2.Reg.15.19,20. Ita cùm *Jehojakim* daret *Pharoni* mulctam regioni impositam, *taxabat habitatores terræ, & ab unoquoq; pro æstimatione suâ exigebat.* 2.Reg.23.35.

c. Non in *privatum luxum*, & delicias turpes aut in pompam aulicam *impendantur* profusiùs. Grave hoc peccatum, si, quæ subditi sudore suo tam difficulter acquisivêre, tam nefariam abliguriantur à Principibus; quorum est salutem potiùs publicam tributis istis procurare, & augere, gloriamque Dei in instaurando, conservando, propugnando vero cultu. Ex. *Davidis*, 1.Par.30.7. & *Joasi* 2.Paral.24.5. Neque Principes qui

qui modo prædicto tributis,& reditibus publicis abutuntur, judicium Dei effugiunt, adeò; ut vel ditionibus suis pulsi egeant ipsi: ut pluribus Germaniæ dynastis, non ita pridem accidit.

IV. Negotiatio, sive *Mercatura legitima licita est, opesque inde acquisitæ legitimæ.*

Salomon ipse ad augendas opes, negotiationes maritimas exercuit, atque cum Mercatoribus tractavit.

Negotiationem hîc intelligimus eam,quùm rem aliquis comparat eo animo, ut integram & non mutatam vendendo, aliquid ex eâ lucretur (non eam, cùm quis rem aliquam emit, quam arte suâ immutatam carius vendit: vendit enim cum re emptâ etiam operam suam; utsi faber ex ferro empto conficit ligonem.) Fuerunt qui negotiationem Christianis judicarint illicitam, hoc [illegible] primis argumento moti, quòd *Christus* ementes & vendentes è Templo ejecerit, [illegible] quos *Chrysost.* Hom.38.in Matth.

Sed enim nusquam legitur honestam mercaturam in Scripturâ prohibitam: quin certum est, utilem eam esse immò necessariam,nec enim *omnis fert omnia tellus*; Unde qui merces exoticas è longinquo, suis sumptibus,laboribus,periculis,asportant,in communem Patriæ usum,& publicam utilitatem,si quid lucelli inde reportent, tanquam justum & legitimum stipendium & compensatio industriæ & molestiæ periculique existimandum venit.

Abusus verò & vitia Mercaturæ damnantur meritò.

1. *Profanitas*, quùm posthabitâ Dei gloriâ, & utilitate proximi lucrum pro unico & summo fine sibi figunt Mercatores. Contra quos *Iacobus*: *Age nunc qui dicitis, Hodie vel cras proficiscemur in illam urbem,& agemus ibi unum annum,& mercabimur,& lucrabimur. Qui ignoratis quid sit postero die: qua enim est vita vestra? vapor enim est, ad exiguum apparens, & deinde disparens. Pro eo quod dicere debuistis, Si Dominus voluerit, & vivamus, faciemus hoc aut illud.* Jacob.4.13,14,15. Ubi enim finis hic modò obtinet, variæ sequuntur tentationes,& laquei. *Qui volunt ditescere,incidunt in tentationem & laqueum,*&c.1.Tim.6.9.

2. Cùm obtinet illud *Salviani* de gubernat.Dei l.3. *Quid aliud est cunctorum negotiantium vita, quàm fraus & perjurium,* eorum sc.*qui vitam hanc putant esse publicum mercatum quæstuosum,& oportere undecunq;,etiam ex malo acquirere.* Sapient,15.12, ubi scilicet obtinet statera, mensura dolosa,

losa, merces adulterinæ, nauci, Amos. 8. 6. precium iniquum; Ut enim *Salomon* de emptore dicit: *Pessimum est aut emptor, sed cùm digressus fuerit, tum se ipsum laudat.* Prov. 20. 14. Ita econtrà venditor laudat venalem quas vult extrudere mercem, ut eam pluris, quàm valet, vendat. *August.* libr. 13. de Trin. meminit cujusdam Mimi, qui cùm promisisset se in theatro quid in animo haberent, & quid vellent omnes, alijs ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum ingenti exspectatione solito major multitudo confluueret, suspensis & silentibus omnibus dixerit: *Vilia vultis emere, & carè vendere.* In quo dicto, inquit *Augustinus*, leviſſimi scenici, omnes conscientias invenerunt suas. Communis hæc inclinatio eorum qui lucro nimis inhiant. Horum autem omnium *Deus est vindex*, 1. Thess. 4. 6.

3. Cùm ex quæstu sæpè pergens nihil ad cultum Dei, & pauperum sublevationem erogatur, sed ad fastum & luxum cuncta trans-

Usus. Caveant igitur sibi Mercatores quique, moniti dicto illo *Syracidis* cap. 26. 37. *Mercatorem vix evitare delictum, & cauponem culpâ non vacare. Multos rei indifferentijs gratiâ peccare, & qui quærunt abundare, oculos suos avertere; atque ut inter compages lapideas pangitur clavus, ita inter emptionem & venditionem peccatum ultrò citroq; terit.* Laborent, *ut conscientia pura sit ipsis apud Deum*, cui aliquando rationem sunt reddituri, *& homines constanter.* Actor. 24. ℣. 16. Optima negotiatio, de quâ Servator. Matth. 13. 45, 46.

V. De *vero divitiarum usu.* Divitiæ impendendæ

A. Primò ad usus pios, Cultûs nimirum divini & Religionis promotionem & conservationem, &c. Ita *Salomon* ad Templi ædificationem, præter hæreditatem paternam, ingentem auri argentique vim impendit. Ex pecudibus item & gregibus, multa in sacrificia contulit. *Honora Deum de substantiâ tuâ*, Prov. 3. 9, 10. Luc. 21. 1, 2, 3, 4.

B. Ad Reipublicæ, & communis statûs conservationem. Quod tum Magistratus & Reges facere debent, nec in privatos modò usus conferre, publicos reditus: tum subditi, in erogandis & persolvendis tributis, vectigalibus, &c. Vide suprà.

C. Ad pauperum subventionem. Luc. 16. Ita *Salomon* opulentiâ suâ id effecit suo tempore, ut vix ulli essent pauperes; sed rerum omnium ingens esset copia & affluentia.

D. In

D. In necessarios vitæ usus. Prov.10.16. & familiæ sustentationem. De his omnibus fusius aliàs.

CONCIO VI.

In eundem Textum.

De Musicâ Salomonis.

(H) *Comparavi mihi Cantores & Cantatrices, denique delicias filiorum hominis, symphoniam, & quidem omnimodam. vers.9.* Heb. שִׁדָּה וְשִׁדוֹת *Symphoniam, & Symphonias*, i.e. omnis generis *Symphonias*.

NE quid deesset exquisitæ voluptati ac oblectationi, suam etiam habebat Musicam *Salomon*, quam utriusq; sexûs homines cùm voce, tum instrumentis quibusque musicis 1.Reg.10.12. exercebant, harmoniâ gratissimâ; inter epulas maximè: quâ etiam usum esse Patrem *Davidem* constat exinde, quòd octogenarius *Barzilai* ideo aulam adire recusavit, quòd sensus ipsius ex ætate essent hebetiores ad ejusmodi oblectamenta percipienda 2.Sam.19.35. *Davidem* ipsummet aliquando *Saulis* citharœdum fuisse, notum ex 1.Sam.18.

Symphoniam ejusmodi musicam, vocat *delicias filiorum hominis*, quasi diceret, apicem deliciarum humanarum in illis consistere; & mortua quasi sine illis esse convivia. *Syrac.*49.2. & cap.32.7,8. quibus indicatur, Musicam decoram, animum plus pascere, quàm corpus escas: *Plutarchus* 7.Sympos.Problem.7. monet, ansam præcidere verbis ociosis ac perniciosis, quæ sub id tempus licentius funduntur. Immò & ebrietati medetur. Summa, Symbolum exactæ lætitiæ est cantus ac Musica. Unde *Iacobus, Bono animo est quis, psallat.* cap.5.13.

Et ne quid vel Musicæ etiam oblectationi deesset, non viros saltem Cantores & Tibicines adhibuit *Salomon*, sed & Psaltrias, Cantatrices, Fidicinas, (more ab exteris Regibus, Persis cumprimis, adducto,) quæ in convivijs psallere, canere, saltare solebant; quod & in convivio *Herodis* factum, Matth.14.

DOCTRINA I.

De Musicâ.

Musicam tum vocalem, tum harmonicam ac organicam, *minimè Deo esse adversam, sed ut insigne rationis & orationis exercitium, ab eôdem profluere.*

A. Eminet *Musica sacra:*

a. Eaque seu *publica* in sacris cœtibus: Ita Rex *David* 24. classes Musicorum constituisse legitur. 1. Chron. 25. quorum alij voce, alij instrumentis varijs ac difformibus, Deum concelebrârunt. Similiter Rex *Iosaphat*, 2. Chron. 20. *Hiskias*, 2. Chron. 29. *Iosias*, 2. Chron. 35.

Hucque referenda sunt epinicia publica, in Dei laudem decantata, præcinente *Mose*, post suffocatum *Pharaonis* exercitum, Exod. 15. *Deborâ* & *Barak*, post profligatum Sisera. Jud. 5. *Christi* ipsius, post celebratum Pascha, & institutam sacram Cœnam, Matth. 26. 30. *Christiani* suo Christo Jesu antelucanos hymnos canere soliti. *Plin.* libr. 10. Epist. *Tertull.* in Apol.

b. Ad *privatos* cantus sacros, spectant Cantica *Zachariæ, Mariæ* Deiparæ, *Simeonis*, &c. Quæ exempla probant probari à Deo Psalmodiam Ecclesiasticam, ac sacram quamcunque. Idem stabiliunt mandata Apostolica: *Ne implemini vino, sed implemini Spiritu: Loquentes inter vos mutuò Psalmis & hymnis & cantionibus spiritualibus, canentes ac psallentes in corde vestro Domino.* Ephes. 5. 19. *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientiâ, docendo & admonendo vos mutuò psalmis, & hymnis, & cantionibus spiritualibus, cum gratiâ canendo in vestro corde Domino.* Col. 3. ℣. 16. Ita Jacob. 5. 13. Confer quoque 1. Cor. 14. 15.

Ratio congrua, ut tantò efficacius mens excitetur, & cor efferveſcat, ad celebrationem divini Nominis. Ex. *Elisæus*, qui ope Musicæ ad Prophetiam præparari voluit; *Adducite*, inquiebat, *mihi fidicinem, & fuit quùm pulsaret fidicen, ut adesset ei manus Jehova.* 2. Reg. 3. 15. Hinc Hebræorum proverbia: *Non requiescit Prophetia, neq; super tristem, neq; super pigrum: Non habitare Prophetiam, nisi in medio lætitiæ.* Quò spectavit quoque in Ecclesiâ Judaicâ usus organorum Musicorum, toties in Psalmis commendatus, Psalm. 33. & 81. & 150. Et quia non invitò & cum tædio, sed cum gaudio Deus celebrari vult à suis, Luc. 1. 47. talem certè cordis lætitiam testantur cantilenæ.

Cau-

CAUTIONES. Eâ tamen lege Cautio quæque verbis sacris concepta, Deo placet:

1. Si *non tam vox & lingua quàm cor cantillet.*

Non vox sed votum, non musica chordula, sed cor,
Non clangor sed amor, clangit in aure Dei,
Orat bis, qui corde canit.

Talis Cantor erat D. *Augustinus*, qui in Psalm. 31. ait: *Vox mea in ore nondum erat, & auris Dei in corde meo jam erat.*

Absurdum foret citharœdum aliam melodiam fidibus pulsare, aliam voce accinere: Ita certè non minùs absurdè agit, qui voce canorâ alia verba exprimit, alia interim corde meditatur. *Augustinus* alicubi à Deo veniam petit, quòd canendo plus ad melodiam, quàm verborum momenta attenderit.

USUS. Quod notandum contra plurimorum hominum oscitantiam, qui solâ harmoniæ dulcedine capiuntur, dum nulla subrepit cordis devotio, & accentus.

2. Si deinde *cantum etiam vita exprimat.*

Ut enim qui saltant, passus omnes & saltus metiuntur ac contemperant, ad fidium sonos: Ita totâ vitâ ambulandum juxta Psalmodiæ sacræ tenorem, &c. Secus gratius est Deo audire leones rugientes, asinos rudentes, porcos grunnientes, canes latrantes, &c. quàm homines canentes. Ergò, quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, operibus expleas, &c.

B. *Sed nec profana Musica*, h.e. quæ extra cultum Dei exercetur, Deo est invisa. Si *decora, modesta*, & in *fines aquos directa.*

a. Quales sunt, melancholiam & tristitiam cordis expellere, atque oblectationem honestam quærere. Jacob. 5. 13. Est enim melancholia, dicente *Chrysostomo* libr. de angore animi, *Balneum Diaboli.* Hinc apud Judæos tibiæ in luctu adhibitæ, Matth. 9. 23. *Plato*, Vinum & Musicam μαλακίνα miseriarum humanarum appellavit. Nec enim à Dei mente abhorret, gaudio & voluptate legitimâ cum tempore & modo, sese recreare: Secus Deus ipse non eundem in finem media indulsisset & creasset, sicuti de vino & oleo extat, Psalm. 104. 15. quod ipsum etiam de Musicâ capiendum.

Ita *David* absque piaculo, *Saulis* Regis citharœdum egit; spiritumque

tumque malum fidium ope ab eo propulsavit. 1. Sam. 16. 23. Itidemque *David* in aulâ suâ Cantores & Psaltrias habuit omnis generis, oblectationis ergò: 2. Sam. 19. 35. Itidemque alij Reges, ut *Joas* 2. Reg. 11. 14. *Principes tubæ aderant Regi*, &c.

b. Ad ebuccinandas & memoriæ servandas, res & facta memorabilia. Vide Psalm. 78. ab initio. c. Porrò ut oblectamenta alia turpia & inhonesta devitentur; qualia sunt sermones impudici & obscœni, certamina Jachica, &c.

)(Quæ tamen Musica, si ad lasciviam & libidinem accendendam ac fovendam, saltationes item ac choreas impudicas, nocturnas discursationes, &c. adhibeatur; si item fescennina, turpia, calumniosa, &c. decantentur; perinde Deo invisa, atque turpis, & maledica quævis oratio: Immò tantò abominabilior, quantò res adeò pulchra, in abusum adeò detestabilem trahitur. Eph. 4. 29. Matth. 12. 36. Diras legitur pœnas Deus interminari delicios ejusmodi, &c. Amos. 6. 5. Esai. 5. 12. Peccantque adeò graviter, qui seu in suum, seu aliorum usum, ac voluptatem indecoram, Harmonicam exercent.

Caveant, ne infernalem aliquando Musicam inviti cogantur decinere; quæ nimirum est fletus & stridor dentium. Luc. 6. 25. Satiusque est hîc cum afflictis & oppressis gemitus & suspiria exhalare, quæ promissionem habent gaudij & risûs in futurâ vitâ, Luc. 6. 21. quam cum profanis & voluptuarijs hujus seculi, delicias istas sectari.

C. *Cœlestis Musicæ, obscurum specimen* τὸ ἅγιον illud Angelorum, quos clamantes audivit *Esaias*, cap. 6. Hymnus item ille, *Christo* nascente, in nubibus auditus. Luc. 2. 13, 14. in Apocalypsi plura, cap. 4. cap. 5. 9. &c. cap. 7. 10. &c. cap. 15. 2. &c. cap. 19.

O delicias Olympicas incomprehensibiles, summè appetendas! *Auris non audivit*, &c. 1. Cor. 2. Tum verò, quùm & nos mixti choris Angelorum in æternum DEUM celebraturi sumus; implebitur illud Davidicum Psalm. 84. & 126.

Usus. ad ἀναγ. & παιδ. Apage ergò delicias impuras filiorum hominis, & momentaneas: nos has cœlestes, & æternas sectemur, verâ fide, resipiscentiâ sincerâ, ita ut ad *fistulam verbi Dei*, saltemus. Matt. 11. 17. Utinam verò, quod Poëtæ de Amphionis & Orphei lyrâ & cantu tradiderunt; (etsi fabulosè, ast Ethicè, &c.

Amphion cantus scopulos traxisse putatur,
Et potuisse Orpheus flectere voce feras, &c.)

Tan-

Tantum apud nos, plerosque saltem, divini verbi vox, quæ cantu quovis dulcior, effectum sortiretur! ut saxea & efferata corda emollire, flectere, & cicurare posset, ad obedientiam Deo præstandam. Bellicæ tubæ inflatæ id assequuntur, ut ad arma & in hostes, quasi novos spiritus adepti proruant milites: Id verò tuba verbi Dei iterum atque multoties intonata non efficit, ut mundicolæ & impij, ad pugnam contra mundum, carnem, peccatum, Satanam ineundam, excitentur. Nos, quùm seu Sinai (Legis) seu Sionis (Evangelij) tubam sonare audiverimus, meminerimus nos confestim ad istum conflictum vocari: Eoque mox depugnemus, verâ cordis & vitæ conversione & resipiscentiâ. Psalm. 94. Hodiè, &c. Ita olim Halelujah, canticumque illud novum, in cœlis Deo accinemus, &c.

Volupe sit nobis Davidicos Psalmos voce & corde repetere: Hæc enim Psalmodia verè in angustiâ & tristitiâ constitutos, exhilarabit, spiritum malum profligabit in tentationibus; denique in morte animosos faciet. Sunt enim Psalmi Davidici plenissimi consolationum, &c. Unde quos piget, vel pudet, cùm possent, cum Ecclesiâ psallendo Deum glorificare, hoc ipso indicant parum sibi sacra, spiritualia, & æterna cordi esse.

DOCTRINA II.

Gaudium corporale etiam mortalibus à Deo indultum, cum tempore & modo usurpandum. Text. *Delicias hominum.*

Sed hâc de re fusius aliâs.

CONCIO VII.

In eundem Textum.

Concludit tandem recensionem istam quâdam quasi ἀνακεφαλαιώσει, cui subnectit ἐπίκρισιν.

DE PRIMO.

quod ἀνακεφαλαίωσις.

I. *Primò* enim dicit se *gloriâ, divitijs, magnificentiâ,* antecelluisse omnes suos antecessores, qui Hierosolymis fuerint.

Ita magnus fui & auxi ista plus quàm ullus, qui fuerit ante me Ieruſchalaimis, &c. verſ. 9.

(Comparatio hæc ad omnes Reges terræ extenditur, 2. Chron. 9. 22. 1. Reg. 10. 23. quod ad omnia tempora & præterita & futura extenditur, 2. Chron. 1. 12.) Idque cum hâc appendice, *quòd & ſapientia penes ſe fuerit*, quâ ſcilicet non minùs quoque omnibus præcelluerit, uti diſertè teſtatus eſt ſuperiùs cap. 1. ℣. 16. & confirmatur, 1. Reg. 10. 23. 2. Chron. 9. 22. q.d. ſe inter ædificandi ſtudia, divitias, majeſtatem, delicias omnigenas, quæ aliâs efferare ſoleant mortales & animum adimere, non tamen inſolentem aut corruptum adeò evaſiſſe, ut ſapientiam ſuam perdiderit; ſed rebus iſtis omnibus decorè & ſapienter uſum; immò materiam ſibi præbuiſſe illa, ſapientiæ ſuæ exerendæ & exercendæ. Ergò ſimul omnia aſſuiſſe ſibi gloriatur *Salomon*, gloriam & majeſtatem, divitias, voluptates, & ſimul etiam ſapientiam; quæ in uno homine junctim in ſummo gradu viguiſſe non conſtat. *Sed hoc de principio modò capiendum eſt*, cum voluptatibus iſtis litare ceperat *Salomon*, ſapientiam ſuam ad tempus penes ſe perſtitiſſe, h. e. ſtudium religionis, & divini cultûs, & adminiſtrandæ dextrè, ſapienterque Reipublicæ; atque omnivaria rerum cognitio, & experientia, mentisque ſagacitas.

Verùm cùm delicijs illis carnalibus nimium indulſiſſet, atque ad impuras quasq; libidines turpiſſimè ſeſe projeciſſet, imminuta eſt ejus ſapientia, gloria, ac felicitas; & cumprimis divina illa Timoris Dei defecit ſapientia, cùm in gratiam ſuarum alienigenarum mulierum ad Idololatriam deflexiſſet; quæ certè ut impij, ſic animi minùs compoſiti & perſpicacis erat indicium: *Non enim iſta ſapientia ſuperne deſcendens, ſed terrena, animalis, damoniaca.* Jacob. 3. 15. Donec ſenio invaleſcente, morti vicinus, ad pœnitentiam & confeſſionem peccatorum reductus eſſet: Quo tempore etiam iſta ſcripſit.

II. Gloriâ, divitijs, ſapientiâ omnes ſe antecelluiſſe modò dixit *Salomon*. Eandem nunc perfectionem in *delicijs omnifarijs* aſſecutum ſe teſtatur:

Quùm autem quicquid expetiverant oculi mei, non ſepoſuiſſem ab eis: non cohibuiſſem animum meum ab ullâ lætitiâ, ſed animus meus lætaretur, ex omni labore meo, & hoc ceſſiſſet in partem meam ex omni labore meo. verſ. 10.

Nec

Nec deerant divitiæ, malorum irritamenta, ut explere concupiscentias omnes cordis sui posset: quippe pauper, cui nullæ facultates, nullam quoque facultatem haberet ad fovenda monstra illa, quæ D. *Iohannes*, 1. Ep. 2. ℣. 16. recenset, *concupiscentiam carnis, oculorum, fastum vitæ*. Sed nec bellicis tumultibus turbabatur illa *Salomonis* voluptuosa vita.

Hic ergò verè prodit & confitetur *Salomon* excessum illum, quem successu temporis in delicijs carnis exercuit; quòd ruere illam sivit quò vellet, laxatis quasi frænis, utpote quæ moderari, attrahereque ultrò noluerit. Caro & concupiscentia, rationi & sapientiæ *Salomonis* tum imperitabat.

Causam allegat cur id fecerit, sed absurdam atque præposteram, & indignam sapientissimo Rege, qualis initiò fuerat, antequam à Deo deficeret; & consequenter etiam Deus ab ipso: *quia videlicet judicârit, quòd hoc esset pars sua ex omni labore suo*; Perinde ut illi: *Agite fruamur præsentibus bonis & possessione hâc tanquam in juventute utamur strenuè. Vino pretioso & unguentis impleamur, ac ne pratereat nos jucundus aer: Coronemur rosarum calyculis, antequam marcescant: Nemo nostrum expers sit lascivia, ubiq; relinquamus symbola latitiæ: nam hæc est portio nostra, & sors hujusmodi.* Sap. 2. ℣. 6, 7, 8, 9. *Partis* appellatione hæreditas aut peculium indigitatur, sumptâ metaphorâ ab hæreditatum divisione, quâ sua cuiq; pars, sors seu portio obvenit. Num. 18. 20.

Partem ergò suam judicavit esse *Salomon*, omnimodis voluptatibus dies suos terere, seu cuncta illa quæ à Deo acceperat bona & dona, eminentiam, gloriam, divitias, sapientiam, ad carnis voluptates projicere, &c. præposterè certè: cùm ad Dei gloriam, Religionis cultum, Reipublicæ commoda, subditorum usum & ædificationem, exterarumque gentium informationem accommodare debuisset. Aliter Pater *David: Iehova pars portionis meæ*, &c. Psalm. 16. 5.

Hoc quidem in ipso non improbandum est, quòd usus est illis, quæ labore non parvo ædificavit & acquisivit; (stultissima enim est sordidorum conditio, qui divitijs suis, quas magno labore sibi collegerunt, uti fruique non audent, quibusque adeò tam id quod habent, deest; quàm quod non habent.) sed *abusus* tam ingens probari in ipso nec potest, nec debet: Nam ex geniali illâ & Sardanapalicâ consuetudine in securitatem & oblivionem Dei prolapsus est, indeque protinus in Idolatriam adeóque

Aposta-

Apostasiam horrendam. Sunt igitur verba ista *pœnitentis, confitentis, deprecantis*, cumprimis *monentis* & instituentis omnes quotquot ista audiunt, ut suo exemplo cautiores facti, minimè arbitrentur in carnalibus delicijs felicitatem hominis subsistere; sicuti ipse idem inferiùs testabitur.

DOCTRINA I.

De peccati actualis generatione.

I. Peccatum actuale *initium* sumit ut plurimum à *sensu oculorum*, quibus omnium maximè desiderium rei illicitæ accenditur. *Quùm quicquid expetiverant oculi mei, non sepossuissem ab eis*, &c. Text.

Nullus enim sensus spiritualiùs ac celeriùs operatur. Philo de special. legib. Ut verè dixerit *Siracides, Nequius oculo creatum esse nihil.* Eccles. 31. ℣. 15. licet ibi de invido propriè sit sermo. *Et hoc spectat illud: Oculus meus depredatus est animam meam, in cunctis filiabus urbis meæ.* Thren. 3. 51.

Hinc ad peccandum illecta est *Eva: Quùm videretur mulieri bonum esse fructum arboris illius in cibum, & gratissimam esse illam oculis, & desiderabilem esse arborem*, &c. Genes. 3. 6. *David, cùm surrexisset à somno, obambulans in tecto domûs regiæ, vidit mulierem lavantem se ex ipso tecto, quæ quidem mulier pulchra aspectu erat valdè.* 2. Sam. 11. 2. Taceo exempla hujus generis alia, ut *uxoris Potiphari*, Genes. 39. 7. *Holofernis* in Historia Judith. *Sennm* in Historia Susannæ.

Oculisque adeò & malignus cordis affectus proditur & exercetur, veluti *Superbia:* Hinc *oculi elati* dicuntur. Prov. 6. 17. Confer Job. 15. ℣. 12. Psalm. 18. 28. & 131. 1. *Iracundia, furor:* Job. 16. 9. *Hostis meus vibrat aciem oculorum in me.* Ex. *Cain.* Genes. 4. 6. *Cecidit vultus ejus*, &c. *Adulterium:* Hinc oculi dicuntur *pleni adulterij.* 2. Petr. 2. 14. & Matth. 5. 28. *Quicunq; aspicit mulierem ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo. Invidentia:* Hinc oculus dicitur *Nequam*, h. e. invidus seu malus. Matt. 20. 15. *Scandalum* quodcunque, h. e. peccatum, unde *scandalizantes* dicti sunt oculi, Matth. 5. 29.

Oculi cor animumque oblatâ eorum, quæ vident specie, ad peccandum alliciunt, & inflammant, sicque sunt instar fenestrarum, & januarum, per quas peccatum in hominem ingreditur. Jerem. 9. 21. Ubi cor semel inflammatum; porrò quasi folles sunt oculi, quibus concupiscentia interna magis accenditur, peccatumque fovetur & perficitur.

Usus.

Usus. Avertendi oculi ab ijs, quibus ad peccatum allici possemus. Sic festo azymorum omne fermentum amovendum erat, ne eo viso fortè ad edendum incitarentur Judæi. Exod. 22. 15. Et qui imprudenter alterum occidit, in una urbium refugij occludi debuit, ne eo viso vindex sanguinis incalesceret, eumque assequeretur & percuteret, Deut. 19. 6. Huc pertinet quod *Salomon* dicit: *Ne respicito vinum, quùm rubet cui*, &c. Prov. 23. 31. *Qui videt mulierem*, &c. Matth. 5. 28. Orandus Deus, *ut ipse avertat oculos, ne videant vanitatem.* Psalm. 119. 37. vel vanitatem oculis subtrahat, quemadmodum pueris & amentibus cultrum submovemus, ne eo abutantur, & ut *Tribunus, veritus ne Paulus à Judæis discerperetur, eum è medio ipsorum raptum, jussit ducere in castra.* Actor. 23. ℣. 10. Confer Hos. 2. 5, 6, 7. Cum oculis pueri, si assuetæ aspicere vanitates, *pangendum fœdus, ne videant virginem*, Job. 31. 1. Si fœdifragi nihilominus eò ferantur, coërcendi & eruendi: *Si oculus tuus dexter facit ut tu offendas, erue eum, & abjice abs te*, &c. Matth. 5. 19.

Facit hoc ad *correct.* eorum, qui oculis fræna laxant, seu cum *Salomone*, quicquid expetunt, jis indulgent.

II. Oculorum illecebras sequitur *cordis desiderium & concupiscentia* rei delectabilis carni. Hinc oculi proxenetæ peccati dicuntur, quia res externas cum corde uniunt, & componunt: prout proxenetæ emptores & venditores conciliare solent. Ideò *Salomon* in textu de oculis mox ad cor ejusque gaudium delabitur: *Cum autem quicquid expetiverant oculi mei non sepôsuissem ab eis, non cohibuissem animum ab ullâ lætitiâ, sed animus lætaretur.* Exempl. illustre in peccato primo ab *Eva* commisso; Vid. supra.

De hâc concupiscentiâ dicitur: *Vnusquisq; tentatur dum à propriâ cupiditate abstrahitur & inescatur.* Jacob. 1. 14. Hæc concupiscentia ut fons peccati actualis, sic ipsa per se peccatum. *Concupiscentiam non nossem esse peccatum, nisi Lex dixisset non concupisces.* Rom. 7. 7. In *Digest.* quidem l. 48. tit. de pœn. l. 18. dicitur, *cogitationis pœnam nemînem pati*: sed secundùm Dei Legem coramque tribunali ejus ne quidem cogitatio mala extra culpam.

Usus. Ne igitur malum istud æstimemus leve, & hinc curare negligamus, ut neglectus nos tandem perdat.

III. Tertium ad quod proximè peccatum sequitur, est non prohibere cor seu concupiscentiam ejus: h. e. *cupiditatibus non resistere.*

Verba in Textu porrò ita habent: *Non cohibuiſſem animum ab ullâ lætitiâ, &c. Concupiſcentia ubi concepit parit peccatum, peccatum peractum gignit mortem.* Jac.1.15.

Usus. Cupiditatibus itaque nequaquam indulgeamus, quod *concupiſcit caro nequaquam perficiamus.* Gal.5.16. *Mortificemus contra membra hæc terreſtria.* Col.3.5. *veterem hominem crucifigamus.* Rom.6.6. renitamur ita, ut ne prima quidem initia negligamus, ſed in herbâ, quod aiunt, ſuffocemus; immò ne herbaſcant, curemus. Uti in corporis, ſic & animi ægritudinibus principijs obſtandum, antequàm per longas moras mala invaleſcant. *Allidendi ad petram* cupiditatum *parvuli*, ne adoleſcant. Pſalm.137.9. ſuper quæ verba ita *Hieronym.* ad Euſtachium de cuſtodiâ Virg. *Noli ſinas cogitationem creſcere. Nihil in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat. Dum parvus eſt hoſtis interfice, nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine. Audi Pſalmiſtam dicentem: Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuit tibi retributionem tuam. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos ad petram. Quia enim impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram: petra autem Chriſtus.*

DOCTRINA II.

Res ſecundæ inflant, atque in ſecuritatem & ἀσέλγειαν abducunt, quæſtultitia eſt extrema. Ideò velut miraculum recenſet hîc *Salomon*, quòd in tantâ felicitate quâ uſus eſt, ſapientia tamen ejus penes ipſum permanſerit, h.e. quòd Timorem Dei non perdiderit: primis (ut dictum) annis. De hâc doctrinâ fuſiùs alibi.

DE SECVNDO.

quod ἐπιζήτησις.

Reſpexi ego ad omnia opera, quæ fecerant manus meæ, & ad laborem quem laboriosè feceram, ecce autem iſta omnia ſunt vanitas & afflictio ſpiritus. verſ.11.

Salomon tandem animo ſecum attentè evolvit & conſideravit, quem uſum aut fructum haberet, ex cunctis iſtis tum operibus quæ fecerat ædificando, plantando, &c. tum laboribus, quos in conquirendis divitijs, &c.

divitijs,&c.regaliqúe ſplendore & magnificentiâ ſtabiliendâ impendit; tum etiam delicijs & voluptatibus, quibus indulſit: anne certam aliquam & veram felicitatem animíque tranquillitatem & beatitudinem ſolidam per illa acquiſiviſſet? Quid ergò? Deprehendit ſe multum laboris & curarum impendiſſe; contra recepiſſe aut lucratum eſſe nihil, præter vanitatem,& Nihil; immò afflictionem veriùs animi pro lucro reportâſſe: ſumma Nihil ſub ſole.

Sim. Ut feras cum labore periculoque venamur; & captarum quoque ſolicita poſſeſſio eſt, (ſæpè enim laniant Dominos): ita habentes magnas voluptates, in magnum malum evaſêre. *Senec.* de vitâ beatâ cap. 14. Confer quæ diximus *Conc.* 2. & 3. in cap. I.

HOMILIA VIII.

TEXTVS. ℣.12.-16.

Quamobrem converti me ego ut aſpicerem ſapientiam, & omnem inſaniam ac ſtoliditatem : (quid enim facturus eſſet homo, qui ſequeretur eum regem? Id quod iam factum eſt) Vidi quidem ego eſſe emolumentum ſapientiæ præ ſtoliditate, ut eſt emolumentum lucis præ tenebris : Sapientem ipſum ut cui ſunt oculi in capite; ſtolidum autem in tenebris ambulare: Sed agnovi ſimiliter ego, eventum eundem evenire omnibus iſtis. Propterea dixi ego

cum animo meo, secundum eventum stolidi etiam mihi, mihi eventurum est, cur ergo sapuero ego tum amplius? & dixi cum animo meo hoc quoq; esse vanitatem. Nam non erit memoria tum sapientis, tum stolidi in seculum; quandoquidem quæ iam sunt, diebus adventuris, ea omnia oblivioni traduntur: at quî moritur sapiens ipse cum stolido?

OStendit *primâ* Capitis hujus parte Ecclesiastes, summum hominis bonum & veram felicitatem, minimè in Voluptatibus Carnis consistere; Utcunque plurimorum, *tum* olim inter Ethnicos ea fuerit sententia, Epicuræorum scilicet: *tum* ejusdem hodieque mentis adhuc sint voluptuarii & mundicolæ. Testatus est autem Salomon, nec impuras illas & inhonestas voluptates, quæ luxu & crapulâ quæruntur, vitam reddere beatam: nec etiam oblectamenta alia honestiora, idem posse præstare; ne quidem ea, qualia Reges ipsi insectentur; qui, vel magnificis suis basilicis, aut hortis ac viridariis amœnissimis, aut famulitij frequentiâ & splendore, aut divitiis ampliſſimis, aut Musicâ suavissimâ &c. gaudii humani fastigium videntur assecuti, & beatissimo vivere statu existimantur: Cuncta enim & ista se deprehendisse meram esse anxietatem, vanitatem, Nihil.

Nunc ergò *secundâ* capitis parte aliorsum flexisse cogitationes suas; atque institutum suum, de summâ hominis felicitate explorandâ, ad alia convertisse se, innuit Salomon, nimirum *ad Sapientiam & Intelligentiam*.

Hic verò exponendâ tum *Transitio*, vs. 12, 13. tum *initiorum* seu Judicium Salomonis de sapientiæ studio.

DE

DE PRIMO, quod

Transitio, vers. 12. 13.

Indicat autem, tum *ad Quid*, tum *Cur* sese converterit.

A. *Ad Quid?* Text. ℣. 12. *Rursum conversi me ad considerandam sapientiam & insaniam & stultitiam.* Distinguendum hic inter sapientiam *Theoricam & Practicam*: Illa circa cognitionem veri, adeoque rerum pariter humanarum & naturalium versatur: Hæc verò circa actionem boni & laudabilis in vitâ humanâ. Ad illam animum jam adjecerat, uti cap. 1. 13. &c. liquet. Nunc ad *Practicam* istam exquirendam similiter animum appulit, quæ scilicet in rebus quibusque dextrè agendis & instituendis occupata est. Quum verò contraria juxta se posita clariùs eluceſcant; non satis habuit Salomon advertere, quæ sapientiæ essent commoda vel incommoda; sed etiam quæ stultitiæ esset ratio, quidve de ipsâ esset statuendum. Vide ad ℣. 17. cap. 1.

B. *Cur?* Hebraicè de verbo ad verbum. *Nam quid homo qui venturus est post Regem, quod (vel quem) iam fecerunt ipsum?* (Scopulus hic, quo vexantur mirè Interpretes.) Sententia convenientissima videtur esse hæc: Ideò Salomonem discrimen sapientiæ & stultitiæ perquirere, suumque de illo judicium publicare instituisse, quia ipse Rex exquisitâ à Deo sapientiâ donatus, omnium optimè id præstare, & posteros ea de re commonefacere posset; cùm post ipsum Salomonem, quem jam fecerunt Regem, vix Rex alius, aut etiam privatus surrecturus sit, qui ipsum sapientiâ & judicii acrimoniâ sit æquaturus. Nec proin ipsum Salomonem hoc negotium præterire, aut posteris reliquum facere voluisse: q. d. Quis scit, qui vel quales sunt futuri, qui post Regem (loquitur de se Salomon) surrecturi sunt; an commodè adeò, & ex rerum naturâ & usu, sentire & pronunciare de sapientiâ & stultitiâ poterunt; sicut Ego. Hoc verò non ambitiosiùs à Rege dictum videri debet: tum, quia incomparabilis sapientiæ promissionem à Deo acceperat; tum, quia facultatibus & mediis omnigenis pollebat, ad res quasque experiundas.

DOCTRINA I.

Sic versandum est in hoc mundo, *ut actiones humanas observando, & eventus notando* (Weltlauff) *sapientiam discamus*, quomodo quæque ritè, congruè, utiliter tractanda sint; écontrà stultitiam devitemus, quæ in rebus gerendis hallucinatur. Ephes.5.15. Ps.32.9. Vide supra Conc.8.in Cap.1.

Non πολυπραγμωσύνη injungitur, quæ privatas singulorum actiones studiosè perquirit: Hæc enim pudenda & noxia est curiositas:

Nec etiam judicium temerarium de Proximo: Ne *judicate*, Luc. 6.37. Cùm tamen Deus judicavit, advertenda sunt ejus judicia, & improborum finis attendendus, Ps.73.17. Ut cavere discas, & de pietatis utilitate rectè sentire. Itaque de communi vitâ sermo est, ut observatis rerum eventis, sapere discamus. Experientia enim ut artes, sic sapientiam producit, quæ propterea penes senes esse dicitur.

DOCTRINA II.

Decèt unumquemque dona sibi à Deo concessa, animi cumprimis & ingenij, ad usum transferre, & publicam aliorum institutionem.

Id Salomon egit, qui cùm se sapientiæ dono instructum noverat, voluit de eâ quoque alios erudire. 1.Petr.4.10. Rom.12.6.&c. secus, qui talentum defodit. Matth.25. Vide supra Conc. 8.in cap.1. Cumprimis posteritatis eatenus habenda est ratio, ut benè inventa, explorata, usuq; comperta ad eam transmittantur. Ex *Salomonis* hîc. *Asaphi*, Ps.78.4.&c. *Petri*, 2. Petr.1.15. *Studebo ut subinde vos possitis post exitum meum horum mentionem facere.* Theodosij Imperatoris, de quo *Ambrosius: Dilexi Virum, quòd cùm anima à corpore solveretur, magis solicitus erat de Ecclesia, quàm de se ipso.* Agendum id Magistratibus, ut gubernationem laudatam; Pastoribus, ut sanam doctrinam; Præceptoribus & Parentibus, ut salutaria monita, aliaque commoda ad vitam & pietatem posteris relinquant.

DE SECVNDO

quod ἐπίκρισις.

Judicium suum de sapientiâ humanâ practicâ, sic fert Ecclesiastes, ut

I. Ejus Dignitatem & Vtilitatem commendet:

II. Ejusdem Defectus & Vanitatem designet.

I. Digni-

I. Dignitatem & Vtilitatem Sapientiæ commendat Salomon quasi per concessionem, ne videatur eam omninò respuere, aversari aut contemnere: Idque per comparationem cum oppositâ stultitiâ, quâ discrimen inter utramque exprimit. Et hoc quidem duplici similitudine facit:

A. Prior *Similitudo* est *v.13. Vidi quidem ego emolumentum sapientiæ præ stoliditate, ut est emolumentum lucis præ tenebris: Sapientiam luci, stultitiam tenebris confert, &c.* Confer Sap.6.13.23.cap.7.26. Aptissimè quidem: Ut enim lumen res quasque illustrat & conspicuas facit, ut sic à se invicem discerni possint, & dignoscere liceat, quid unumquodque sit: tenebræ contrà aspectui cuncta subducunt, resque inter se quasi confundunt: Ita sapientia in mente res quasque dignoscit ut sunt, & distinguit ab invicem, sc. vera à falsis, bona à malis, pulcra à turpibus, &c. Stultitia verò nihil horum præstat; sed bona & vera pro malis & falsis, ac vicissim, amplectitur. Ingens porrò inter lucem & tenebras est discrimen, adeò ut vix major usquam sit contrarietas.

Primò statim Deus lucem creavit, eamque à tenebris divisit, Gen. 1.4. In hunc sensum Paulus, *Quæ societas lucis ad tenebras?* 2.Cor.6.14. Habet enim lux rationem summi boni; Tenebræ, extremi mali: Unde Deus ipse luci assimilatur: *Deus Lux est, nec tenebræ in eo ullæ*, 1.Joh. 1.5. dicitur que *inhabitare lucem inaccessam*, 1.Tim.6.16. ipsaque adeò æterna in cœlis fœlicitas *luci* confertur; sicuti vicissim æterni damnatorum cruciatus *extimæ tenebræ* dicuntur, ipseque Satan *tenebrarum princeps* appellatur:

Unde sapientiæ excellentia, illiusque præ stultitiâ dignitas & utilitas patescit: si enim tantum differt sapientia à stultitiâ, quantum lux à tenebris, tum certè tanta erit differentia inter utramque, quanta est inter bonum eximium & nocentissimum malum. Malè proin agunt, qui confundunt, quæ Deus separata voluit, lucem & tenebras, bonum & malum. Jes.5.19. Hinc illa sapientiæ commendatio: *Beatus homo, qui consequitur sapientiam, &c.* Prov.3.13,14,15,16,17,18. quâ cunctis aliis rebus etiam bonis, & optabilibus eam præcellere innuitur.

DOCTRINA

Hæc verò longè verissima sunt, de *Sapientiâ Divinâ*, quæ in Te-

mere

more Dei consistit; si conferatur ad stultitiam impietatis: vera enim illa lux, hæc verò meræ tenebræ: Illa ad lucem æternam ducit, hæc ad extimas tenebras protrudit.

Sunt igitur pij verè sapientes, licèt mundo fatui videantur: Improbi verè stulti, Ps. 14. 1. utcunque callidissimi. Atque ut lux cum tenebris misceri nequit: ita nec sapientia illa divina, cum stultitiâ, h.e. vitiis & peccatis consistit. Ut perperam sentiant, qui Deum cum Mammona, Christum cum Belial, mensam Domini cum mensâ Diabolorum combinare satagunt.

B. Altera *Similitudo* extat v. 14. *Sapientem ipsum, cui sunt oculi in capite, stolidum autem in tenebris ambulare:* Sapiens comparatur *homini oculos in capite habenti*, h.e. oculato: Stultus *ambulanti in tenebris* h.e. cœco: Cœci enim etiam mediâ luce, velut in tenebris palpant. Equidem omnes homines naturaliter oculos habent in capite, non tamen perinde omnibus visus est adeò acutus, ut in longinquum prospiciant; sed quidam sic ambulant, quasi oculos haberent in calcaneis, ut nihil videant, nisi quæ ante pedes jacent.

Sensus igitur est, *Sapientes actutum videre & eminùs*: h.e. res quasque accuratè animo vòlvere & perpendere; nec modò præsentem rerum statum considerare, sed in futurum prospicere, quæ vel commoda aut incommoda, instituta sua quæque sint subsequutura. Summa, providos & perspicaces esse in rebus gerendis, atque de eventu sollicitos; ut si malus metuendus sit, maturè præveniant.

Alia stultorum ratio, qui cœcorum instar in tenebris palpant, ruunt inconsultò quò ipsos affectus impellunt, minùs curiosi de futuro eventu: Hinc est quòd impingant, Joh. 11. 10. Cœptaque eorum infelicem sortiantur exitum. Inde discrimen notatur Prov. 14. 16. *Fatuus credit omnibus rebus, astutus autem advertit ad gressum suum. Sapiens timet & recedit à malo; stolidus verò infert se, adeò præfidens est.* Rectèque *Graci* Διπλῶν ὀφθαλμοὶ τὰ χαίμματα μαθηταί. Liquent ista exemp. *Nabalis & Abigaelis* 1. Sam. 25.

DOCTRINA.

Hæc verò cumprimis certa sunt de iis, qui in Deo sapiunt, h.e. *piis*, & qui stulti sunt in divinis, h.e. *impiis* & profanis, &c.

a. Verè

a. Verè enim *pij oculos habent in capite:* Quia spectant ea, quæ sursum sunt, cœlestia & æterna, Coloss.3.1,2. Cùm & natura homini caput erectum dederit (*Impij* contrà brutorum instar oculos in terram defigunt, terrenis & caducis inhiantes, tanquam si in pedibus oculos haberent) Quia dein futura prospiciunt : ultrà præsens hoc ævum, ambientes futuram in cœlis gloriam, fide & pietate verâ; præcaventes futurum exitium condemnationis, scelera & peccata aversati, 2. Cor.4.18.

b. *Impij contrà verè in tenebris palpant errorum & ignorantiæ*, quia cœci sunt, nec oculos habent luce verbi Dei illuminatos, suâ culpâ, ut qui verbum Dei fastidiant. 2. Cor.4.3. Lucernam pedũ, Ps.119.105. *Vitiorum & Impietatis :* Hæc enim propriè sunt *opera tenebrarum.* Rom.13.12. Ephes.5.11. Joh.3.20. *Quisquis enim qua mala sunt agit, odit lucem, nec venit in lucem, ne arguantur opera ipsius.*

Itaque sicut cœci qui in tenebris ambulant, impingunt, cadunt, nec sciunt ubi sint, nisi manibus palpent, quæ oculorum ipsis sunt loco: Ita impij impingunt peccando, ut in exitium seipsos præcipitent; quod securi non priùs advertunt, quàm ad manus quasi venerit.

Usus. Ut ergò qui humanitùs sapiunt, omni laude digni sunt atque imitandi, quippe humano generi utilissimi : Ita qui divinitùs sapiunt, &c. Si enim Sapientiæ humanæ magna est in hâc vitâ dignitas ac utilitas: sic divina illa sapientia, & hujus & futuræ vitæ promissiones habet, 1.Tim.4.8.

CONCIO IX.

In eundem Textum.

(II.) COmmendavit hactenus Ecclesiastes Sapientiam maximopere, eamque quasi ad astra extulit: sed quia in hoc argumento versatur, ut demonstret rerum & actionum humanarum vanitatem, probetque nihil in illis, quæcunque demum sint, veræ, perfectæ, & constantis residere felicitatis, quæ hominem in hâc vitâ verè beatum reddere possit; Ideò nunc quoque ad vituperium sapientiæ humanæ dela-

delabitur; Ubi tamen obſervandum, Eccleſiaſten non tam ſapientiam ipſam, h.e. multiplicem rerum cognitionem, atq; in rebus agendis dexteritatem & prudentiam ſuggillare, quàm

(1.) *Curioſitatem*, & nimiam ſciendi ſolicitudinem, & laborioſam indagationem.

(2.) *Fiduciam* in ſapientia, & opinionem ſummi boni in vitâ humanâ, quaſi in illâ hoc ſubſideret.

Negat ergò Salomon, ſummum hominis bonum in ſapientiâ (ut dixi) practicâ ſubſiſtere, perſtans in cœptâ ejus cum ſtultitiâ comparatione. Confirmat id, Tum generaliter, Tum ſpecialiter.

(A) *Generaliter, verſ. 14. b. & 15. Sed agnovi ſimiliter ego eventum eundem evenire omnibus iſtis : Propterea dixi ego cum animo meo, ſecundùm eventum ſtolidi etiam mihi, mihi eventurum eſt, cur ergò ſapuero ego tum amplius ? Et dixi cum animo meo, hoc quoque eſſe vanitatem.* Præſupponit quòd ſtultitia hominem felicem minimè reddere poſſit, cùm illa mera ſit cœcitas & tenebræ: Jam ſubſumit, nihilò ſapientiam antecellere ſtultitiam, *ſi humanos caſus, ærumnas, & adverſitates conſideres*; quippe à quibus ſapientes ſapientia ipſorum tutos reddere non poſſit; quin iisdem quoque, ut ſtulti viliſſimi & putidiſſimi, involvantur. Nec abludit præſentis vitæ ſtatus & experientia: Aequè enim ſapientes ac ſtulti affliguntur morbis, paupertate, contemptu, &c. experiuntur rerum ſuarum ſucceſſum & eventum infelicem; habent ſuas in œconomiâ, conjugio, liberis, &c. ærumnas; incidunt in varia diſcrimina & infortunia: quin immò quæ ſtulti impetu agunt, melius nonnunquam ipſis cedunt; quàm quæ ſapientes deliberato conſilio inceperunt, novercante ipſis fortunâ. Unde liquet, ſapientiam ex ſe ipsâ minimè felicem in hâc vitâ hominem reddere poſſe. Hinc illa Salomonis *conſectaria, ꝙ. 15.*

(a.) *Cur ergò ſapuero*, vel: *Quorſum ego tantopere ſapientiæ operam dedi?* q.d. Quid mihi prodeſt, quòd tanto labore & ſtudio in ſapientiâ me exercuerim, aut exerceam, ſi per illam nihilò ad beatiorem & deliciosiorem vitæ conditionem pertingere poſſim, quàm ſtultus deſes; neque illa me humanis ærumnis & diſcriminibus eripit ?

(b.) *Hoc quoq; vanum eſſe* : Nempe laborioſum ſapientiæ ſtudium, ut per eam verè beatus reddiare in hâc vitâ.

Quòd

Quòd autem sapientes æquè ac stulti communibus vitæ hujus malis implicentur; inde est, quòd æquè peccato utrique corrupti sunt: nec rarò majores sunt sapientum lapsus, & scelera graviora, quàm plebis insulsi. Atqui Deus non est respector personarum, &c.

DOCTRINA.

Eadem pronunciare licet *de pijs & impijs*, quorum illi verè sapientes, hi verè stulti: Eadem utriusque in hoc mundo sors: *Facit enim Pater cœlestis, ut Sol suus oriatur super malos & bonos, & pluit super justos & injustos.* Matth. 5. 45. Et *pios* quidem variis calamitatibus & persequutionibus obnoxios, totamque adeò ipsorum societatem, h. e. Ecclesiam, Scriptura testatur passim. *Omnes qui piè, &c.* 2. Tim. 3. 12. *Oportet nos per multas afflictiones ingredi in regnum Dei,* Act. 14. 22. *Causæ* sunt variæ: *Quia* adhuc peccato inquinati, ut illud agnoscant: *Quia* conformari debent filio Dei, Rom. 8. 17, 29. *Ut* in fide, patientiâ, &c. proficiant: *Ut* ad preces incalescant: *Ut* mundi hujus tædio afficiantur, &c. Immò deterior piorum in hoc ævo sors, quàm impiorum: Ps. 73. 12, 13. Job. 21. 7. & seqq. Jerem. 12. 2. &c. Hi enim pluribus corporalibus à Deo beneficiis afficiuntur; *Ut* ad Deum amandum & colendum impellantur: *Ignoras ne benignitatem te ad resipiscentiam ducere?* Rom. 2. 4. *Ut* bonitatem Dei gustent in hâc vitâ: *Recepisti bona tua in vitâ tuâ,* ait *Abraham* Epuloni, Luc. 16. 25, *Ut* mensuram peccatorum expleant: *Implete mensuram patrum vestrorum,* &c. Matth. 23. 32. *Ut* pij intelligant, quanta ipsos maneant Dei beneficia: Esaj. 65. 11, 12, 13, 14. Interim non desunt *impijs* suæ afflictiones & mala ingentia, etiam in hâc vitâ: Maledicti enim sunt peccatores, Ps. 5. 6. Ps. 32. 10.

Magnum tamen inter passiones piorum & impiorum discrimen: quod compendio venustè *Augustinus* libr. 1. de Civ. Dei cap. 8. exponit his verbis: *Sicut* (inquit) *in uno igne aurum rutilat, & palea fumat; sub eâdemq; tribulâ stipula comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideò cum oleo amurca confunditur, quia eodem prali pondere exprimitur: ità una eademq; vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat & exterminat: unde in eâdem afflictione mali Deum detestantur atq; blasphemant, boni autem precantur & laudant.* Summa pijs omnia in bonum, malis in malum; *Cum benigno benignum te exhibes; cum viro integro integrum te exhibes; cum puro purum te prabes; at cum perverso eluctaris.* Ps. 18. 26, 27. Undè

minimè piorum afflictionibus offendi debemus ; atque pietatis ſtudium,& timoris Dei (quæ ſumma ſapientia eſt,) exercitium , ut inutile repudiare non convenit.

Quod ante dixi *de causâ parilitatis* ſapientum ac ſtultorum, in malis hujus vitæ utrisque communibus ; eadem valet de *piorum & impiorum* communi ſorte in hâc vitâ; de quo non minus eleganter *Origenes*, Hom.16.in Geneſ. *Movet quoſdam quòd ſit nobis cum cæteris mortalitas iſta communis. Quid enim in hoc mundo non commune cum cæteris, quandiu adhuc ſecundum legem primæ nativitatis manet caro iſta communis ? Quoad usq; iſthic in mundo ſumus , cum genere humano carnis æqualitate conjungimur , ſpiritu ſeparamur. Itaq; donec corruptivum iſtud induat incorruptionem,& mortale hoc accipiat immortalitatem, & Spiritus nos perducat ad Deum Patrem, quacunq; ſunt carnis incommoda , ſunt nobis cum humano genere communia. Sic cum flatu ſterili terra jejuna eſt , neminem fames ſeparat: ſic cùm incurſione hoſtili civitas aliqua obſeſſa eſt, omnes ſimul captivitas vaſtat. Et quando imbres nubila ſerena longe ſuſpendunt , omnibus ſiccitas una eſt; & cùm navem ſcopuloſa ſaxa confringunt , navigantibus naufragium ſine exceptione commune. Et oculorum dolor , & impetus febrium , & omnium valetudo membrorum, cùm cæteris communis eſt nobis, quandiu portatur in ſeculo caro iſta communis. Quin imò ſi quâ conditione , ſi quâ lege credideris Chriſtianus , noſcat , teneat & ſciat, plus ſibi quàm cæteris in ſeculo laborandum. Nam quod juſtis eſt exercitium virtutis , hoc injuſtis pœna peccati eſt.* Hactenus *Origenes*.

(B) Porrò *ſpecialius* iſta perſequitur Salomon , quæ dixerat univerſalius, eandem eſſe ſapientis ac ſtulti in hâc vitâ ſortem.

1. Primò quidem allegando duo mala , quæ utrisque ſunt communia, (a) *Oblivionem* & (b) *mortem*.
2. Commemorando *effectum* hujus conſiderationis, nempe communis miſeriæ & vanitatis, &c.

(a) Ait ergò *primò : Nam non erit memoria ſapientis , verſ* 17.a. Confer cap.1.11.

Tacitè occurrit *Objectioni Salomon*; Eſto enim , dixerit quiſpiam, ut eaſdem cogatur experiri ærumnas ſapiens in hâc vitâ , quas ſtultus: Quandiu tamen vivit eſt in precio: & poſt mortem , æterna ejus viget memoria apud poſteros, & fragrantiſſimus famæ odor permanet: quod de ſtul-

de stulto dici non potest. Hoc verò negat *Salomon*, tandemque etiam sapientis memoriam evanescere contendit: saltem non ulterius perdurare ac stulti, de quibus etiam apud posteros non rarò mentio occurrat. *Sepulcrum* in genere terra *oblivionis dicitur*, Ps.88.13. Scitè hâc de re *Marcus Antoninus Imperator*: *Qui* (inquit) *fama post mortem cupiditate ducitur, non cogitat quemlibet eorum, qui ipsius mentionem sunt facturi, mox ipsum etiam moriturum: deinde itidem eum, qui huic succedit, idq; eò usque, dum omnis memoria per attonitos inani fama, extinctosq; homines propagata aboleatur.* Adhibet longè pòst in exemplum Vespasianum, Trajanum & Adrianum Augustum, aliosque, qui ad miraculum usque claruerunt; qui (inquit) nunc quodammodo gloslæ sunt, sicut usitata quondam vocabula, nunc interpretationis loco. Jubet etiam reputare Medicos mortuos, Mathematicos, Philosophos, Bellatores, Tyrannos, urbes ipsas, quæ & ipsæ quodammodo-mortuæ sunt. *lib.3.* vitæ suæ.

Hæc ut verissima sunt de illis, quorum virtutes, doctrina, sapientia, res præclarè gestæ in literas & historias relata non sunt; quorum exactè memoria perijt; Ita de illis etiam, quorum historiæ meminerunt, non minus valent. Pauci sunt illi: historiæ à paucis leguntur: qui legunt, mox obliviscuntur, mera allegantur nomina, quasi per somnium occurrissent; atque hæc ipsorum memoria ipsis demortuis ne hilum prodest. Præterea illorum dicta & facta, quæ olim summo in precio erant, fastidiuntur tanquam obsoleta, levia, putida, præ novis; quæ præsens seculum admiratur, & veteribus illis longè præfert, tanquam accuratius inventa, dicta, facta, gesta, &c. Nec id quandoque præter rationem. Adde quòd & stultorum & improborum dicta & facta, in scripta relata, in posterorum vigeant memoriâ: hactenus igitur nulla sapientum est prærogativa præ stultis.

Quæ tamen omnia, (ut antè monui) de sapientiâ *humanâ* accipienda sunt, aut ijs, qui secundùm præsens ævum sapiunt. Alia enim piorum, qui post Deum sapiunt ratio: quorum memoria æterna est, & in benedictione; uti suprà ad ℣.11. cap.1. dictum. Impiorum verò fluxa, fœtida, ac maledicta. [Vide Conc.N.6.in cap.1.Ecclesiast.]

(b) *Secundò* communem habent *Mortem*, sapiens & stultus, immò etiam pius & impius, si mortem naturalem & corporalem spectes: ità ut sicut sapientia secularis ac mundana possessorem suum

à morte vindicare non poteſt; ſic nec ipſa pietas, pios. Omnibus eadem lex lata, mori. Mors pulſat æquo pede pauperum tabernas regumque turres. Sic æquè moritur ſapiens *Salomon*, ac ſtultus *Nabal*. Mortui ſunt Ethnicorum ſapientes ac Philoſophi: mortui ſunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, &c. qui divinâ ſapientiâ erant inſtructi. Sic mortui ſunt etiam pij quique, Abel, Abraham, Moſes, David, Paulus, Petrus: mortui & impii, Cain, Cam, Saul, Antiochus, Herodes, &c. Summa, eſt mors via omnis carnis. 1. Reg. 2. Pſ. 89. Hebr. 9. Vide Conc. in cap. 1.

Usus. Non igitur in ſapientiâ humanâ *confidendum*, gloriandumque. Eſt quidem illa eximium Dei donum, humanoque generi ſaluberrimum: ipſa tamen quoque vanitas: utpote quæ cultores ſuos nec à præſentis vitæ caſibus, nec oblivione, multoque minus morte vindicare. Jerem. 9. 21. Neque perenne, firmum, verumque gaudium ac felicitatem ei conciliare poſſit; ſed quandoque magnis potiùs malis involvat; ut *Achitophelis* exemplo conſtat. 2. Sam 17. Nempe ſi ſapientes rectam viam non ſequuntur, ſed ſapientiâ ſuâ abutuntur ad mala conſilia, facinora & inſtituta, &c. Malum enim conſilium, conſultori peſſimum.

Quod *pios* attinet, etſi & ipſis moriendum, magna tamen ipſorum ab impijs differentia *tum in morte*, quia cum patientiâ, fide, ſpe, ſolatio, gaudio hinc decedunt: Impij verò terroribus conſumuntur: Pſ. 73. 19. *tum poſt mortem*: quia poſt mortem corporalem verè demum vivere incipiunt, unde non mortui ſed vivi dicuntur, Matth. 22. 32. Impij verò catenis tenebrarum alligati retinentur ad judicium & condemnationem æternam, &c.

2. De *effectu* hujus conſiderationis, Vide Conc. ſeq.

HOMILIA X.

Pſ. 17.—23.

Itaq; odi hanc vitam, quia malum videtur mihi hoc opus quod fit ſub Sole: nam hæc omnia ſunt vanitas & afflictio ſpiritus.

Odi

Odi etiam ego omnem laborem meum, quem ego laboro ſub ſole, quod relicturus ſum eum homini, qui futurus eſt poſt me: Et quis ſcit utrum ſapiens futurus ſit an ſtolidus, qui dominaturus eſt in omnem laborem meum, quem elaboravero, & quem ſapienter comparavero ſub Sole: etiam hoc vanitas eſt. Quapropter ego averti me, deſtituendo ſpe animum meum: de iſto omni labore quem elaboravi ſub Sole: Si quidem eſt homo cuius labor confectus ſit ſapientiâ, ſcientiâq; & æquitate: homini autem qui non laboraverit in illo, traditurum eſſe illum in partem ipſius, hoc quoq; vanitas eſt, & malũ magnum. Nam quid ſupereſt illi homini ex omni labore ſuo & ex afflictione animi ſui, quâ ille laboravit ſub Sole? Quum omnibus diebus illius dolores & indignatio occupaverint eum, ne nocte quidem quieverit animus eius? etiam hoc vanitas eſt.

Magna

MAGNA sapientiæ laus, non modò *divina*, utpote quæ vitæ hujus & futuræ promissiones habet, 1. Tim. 4. 8. sed etiam *humana*, sicuti in præcedenti illud duplici similitudine asseruit Rex sapientissimus. Nec tamen in hâc veram & perfectam hominis felicitatem subsistere idem fusè comprobat; institutâ sapientum cum stultis comparatione, quibus eadem hoc in ævo fata esse, ipsâ experientiâ, docet, cumprimis Oblivionem & mortem. Ad quod evidentiùs demonstrandum, quos ista consideratio apud se pepererit effectus, porrò Salomon edisserit:

Tædium scilicet duplex

I. *Vitæ*
II. *Laboris*
} *ulterioris.*

DE PRIMO.

De primo *vers.* 17. *Itaque odi hanc vitam, quia malum videtur mihi hoc opus quod fit sub sole: nam hæc omnia sunt vanitas & afflictio spiritûs*, q. d. Meritò vitæ hujus tædere me cœpit, in quâ sapientis præ stulto nullam esse prærogativam perspexi, sed utriusque communes casus & exitum eundem esse: quod enim gaudium accedere possit sapienti ex suâ sapientiâ, si nihilo sors ejus melior exinde evadit? Nemo enim vel eruditus, vel spectatæ authoritatis homo, libenter versatur inter colluviem hominum sordidorum, à quibus nihili habetur: sicuti pius quisque tædio afficitur ex consortio hominum profanorum, &c.

DOCTRINA.

Iustum est vitæ præsentis tædium, plures ob causas:

1. Propter *peccatum*, quod nobis adhæret, quandiu hîc vivimus. Grave enim est piis, non posse prorsus peccato carere, nec omninò cavere vuò minùs Deum offendant. Hinc illud D. Pauli votum: *Cerno aliam Legem in membris meis, belligerantem adversus legem mentis meæ, & capti-*

captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Æruminosus ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis. Rom.7.23.24.

2. Propter *mixturam* impiorum, inter quos vivendum, & quorum scelera & impietatem pij coguntur videre & experiri. Quia *mundus in malo jacet*, 1.Joh.5.19. Et nisi velimus aliquatenus vivere *inter scortatores, avaros, rapaces & idololatras, è mundo exire debemus*. 1.Cor.5.10. Confer Eccles.4.1,2,3. Sic de *Lotho* dicitur, *quòd justus ille quum habitaret inter Sodomitas, indies animam justam sceleratis illorum factis & videndo & audiendo exercitavit*, 2.Per.2.8. Ità *Rebecca* dicit *Isaco: Tædet me vitæ meæ propter Chitæas*. Gen.27.48. Ita *David: Heu mihi, quia peregrinor tam diu in Mesech, habito inter tentoria Kedar: Plurimum habitasse videtur sibi anima mea, apud osorem pacis*, Ps.120.5.6.

3. Ut *impyi ansa & occasio peccati adimatur*, dum videlicet pios persequuntur, religionemque veram impugnant: His enim è medio sublatis, qui veræ religioni fuerunt addicti, eamque propugnarunt, cessare in tantum cogitur impiorum rabies & malitia, atque conflatum in ipsos odium conquiescere. Ità Jonas ad tranquillandum mare, in illud ejici voluit.

4. *Desiderio melioris vitæ, æternæ* scilicet & cœlestis, quâ Dei, quem intensissimè diligunt, aspectu & communione fruûtur. *Domine moriar, ut te videam*, dicebat *Augustinus. Paulus: Dissolvi cupio, ut sim cum Christo*, Phil.1.23.

5. Propter miseriam & vanitatem hujus vitæ, quæ tota mœroribus, laboribus, angustijs oppleta: nec enim propterea tædio hujus vitæ affici, & meliorem illam anhelare, quæ finem miserijs omnibus imponet, à pietate sanctorum alienum esse censeri debet: contemptus enim hujus vitæ, & desiderium futuræ in sanctis laudabile. Est is crucis scopus. Apostolus in genere de fidelibus ait: *In hoc suspiramus expetentes domicilio nostro, quod e cœlo est, superindui*. 2.Cor.5.3. Ita *Job: Fastidit anima mea vitam meam*, &c.c.10.1. Ita *Elias: Satis est nunc Jehova accipe animam meam, non enim melior sum majoribus meis*, 1.Reg.19.4. Huc referendum illud *Salomonis* tædiû: Ut & *Augustini* cùm ejus obsideretur civitas. Possidon. in Vitâ.

Istud verò tædium vitæ distingui debet, (1.) *à præposterâ maledictione diei natalis*: vel voto eorum, qui se nunquam natos fuisse præoptarent: quia vita Dei donum, &c. Exemp. Iob. cap.3.1. Jerem. cap.20.14. &c.

Optimum non nasci. Adagium præposterum Græcorum, commendatum quidem ab Ausonio, Eydill. 7. refutatum à Lactantio, lib. 3. c. 18. Vide Conc. 1. in cap. 4. Eccles.

(2.) Itemque ab *inconsideratâ mortis invocatione*, ex impatientiâ, & sensu dolorum præsentium profectâ, saltem ut illos effugias. Quo nomine notari potest Jonas, qui ob cucurbitam marcescentem mortem expetijt, dicens: *Præstat mori me, quàm vivere.* c. 4. 8.

Usus 1. Quæ multorum est præceps & temeraria in adversis imprecatio, quam in seipsos stringunt, eo saltem fine, ut à malis liberentur, quocunque demùm eventu. Quæ certè Deo exosa est, quia ejus voluntati adversatur: quia Deo tempus definit: quia desperationi vicina; quòd non aliud malorum levamen speret, nisi quod est per mortem: cùm tamen Deus mille habeat eripiendi modos. Usus 2. Sancto igitur cædio hujus vitæ, non præpostero isto, ducamur. Mortem ne metuamus.

Stolidi sunt, qui tanti faciunt præsentem vitam, ut nihil magis habeant in votis, omniaque studia sua eò conferant, ut illam prorogent. Hoc enim quid aliud, quàm perennem optare captivitatem? aversari serum diei & laboris finem? portum? requiem? *Nulli potest vita secura contingere, qui de producendâ nimis cogitat.* Seneca. Cumprimis illi, qui ità tenaciter hujus vitæ amore ducuntur, ut ad eam retinendam diutius ad unum vel alterum momentum, vitam secularem & æternam prostituant: quod faciunt Apostatæ. Matth. 10.

DE SECVNDO.

Alter effectus, quem consideratio vanitatis rerum omnium & cumprimis Sapientiæ practicæ in *Salomone* peperit, est *tædium laboris*: Sic enim v. 18. a.

1. *Odi* (contempsi, nihili feci) *omnem laborem meum, quo laboravi sub sole.* Loquitur de laboribus illis & curis arduis, quas in condendis ædificijs, plantandis hortis, congerendis thesauris ac divitijs immensis, alijsque rebus impendit: de quibus suprà v. 4. & seqq. In quibus ergò felicitatem maximam olim quærebat, ea nunc se fastidire, contemnere, odisse, tantique in illa impensi laboris pœnitere protestatur.

2. Rursum ergò v. 20. ait: *Converti me, ut renunciarem in corde meo*

meo omni labori, quo laboraveram sub sole: q. d. mutatâ mente destiti & supersedi ab illis laboribus, tanquam vanis ac inutilibus.

Ratio principalis est v. 18. b. Scilicet quòd cuncta tandem deserere cogatur, mobilia & immobilia, in morte; alijque relinquere. *Quod relicturus sum eum homini, qui futurus est post me.*

Hoc verò quàm sit durum ac pessimum, porrò exaggerat, tum ex consideratione (A.) personæ ejus *cui illa cedunt:* (B.) tum ejus, *qui illa relinquit.*

A. Dum respicit personam *successuri in* laborem & opes suas, confirmatur *Salomon*, quòd inaniter curis animum suum distraxerit, in comparandis sibi ædificijs, viridarijs, thesauris & divitijs tam illustribus.

a. *Partim*, quòd *incertum* sit, cui cuncta illa sua sit relicturus, an hæredi naturali & consanguineo; an verò extraneo; Rursumq; an is sapiens futurus sit, ut rectè rebus suis sciat uti; an stultus, qui congruenter illis uti vel nesciat, vel temerè sit deperditurus. v. 19. *Et quis scit, utrum sapiens futurus sit an stolidus, qui dominaturus est in omnem laborem meum, &c.* Et certè sapienter ista prævidit, immò præsagiebat Salomon Rex: Etenim de Roboami seu Rechabeami, successoris & hæredis ejus stultitiâ constat, per quam majorem regni paterni partem amisit. 1. Reg. 12. 20. Nec minus regios illos & paternos thesauros. 1. Reg. 14. 25. 26. Hinc ejus in administratione regni fatuitas traducitur, Eccles. 47. 28. Et fortè jam Salomon expertus fuerat filij Rechabeami vecordiam & stultitiam, quâ se paternâ hæreditate redditurus erat indignum, quamobrem in Salomone fastidium illud labores suos continuandi, auctum est.

b. *Partim*, quòd *certum* sit, in labores suos, eosque sapientissimè institutos, & prudentiæ eminentissimæ testes, successurum alium, qui de suo in illos nihil prorsus contulerit; adeoque cui velut in somno obventura sint, quæ sibi insomnes reddiderint plures noctes. v. 21. *Si quidem est homo, cujus labor, &c.* Aut: *Quia est homo, cujus labor sit in sapientiâ, & in scientiâ, atque in animi rectitudine: homini tamen qui non laboravit in eo, dabit partem suam, etiam hoc est vanitas, & malum magnum.*

Ista verò non dicit *Salomon per invidiam*: (Quid enim magis sapientiæ tanti Regis adversum, quàm præconcipere invidiam erga eos, quibus ipso in vivis non amplius existente, caduca felicitas obventura esset.) Sed ad innuendam saltem vanitatem & miseriam illam, quæ invitâ humanâ cernitur, dum alij laborant, alij fructus alienorum laborum percipiant.

Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis fertis aratra boves, &c.

B. Dum verò respicit personam eorum, *Salomon, qui sua alijs relinquunt*, evidentissimè rursum vanitas studiorum humanorum, quæ in congerendis facultatibus impendunt sese prodit: quia, dicit, tales ex Labore suo nihil aliud lucrari, *quàm dolores*, angustias, luctus, noctes insomnes & irrequietas. v. 22. 23. *Nam quid superest illi homini ex omni labore suo, & ex afflictione animi sui, quam ille laboravit sub Sole. Quum omnibus diebus illius dolores, & indignatio occupaverint eum, ne nocte quidem quieverit animus ejus? etiam hoc vanitas est.*

DOCTRINA.

Hic nobis *de stultitiâ & vanitate thesaurizantium* dicendum est; prius tamen expedienda *Quæstio* hæc est:

An minus conveniat laborare, divitias acquirere, posteris hæreditates relinquere?

R. Integrum stat omninò *patribus filijs thesaurizare*, 2. Cor. 12. 14. & suorum *maximè domesticorum* curam gerere. 1. Tim. 5. 8. & pro re natâ convenientem eis hæreditatem relinquere. Debent hi quoque, quibus Deus sapientiam, scientiam, artes concessit, hæc non per invidiam secum supprimere, sed quà dicto, quà scripto superfuturis patefacere & communicare. Reprehenditur nimium; dum scilicet pro scopo sibi figit homo, ditescere; atque ad eum assequendum laborem anxium & improbum impendit: præsertim ubi fraudes & nefas intercurrunt, & neglectus rerum meliorum, quæ ad veram animi tranquillitatem, & æternorum bonorum impetrationem faciunt.

Cæterùm *stoliditas* illa thesaurizantium aliquos argumentis in textu hoc Salomonico exprimitur.

1. Quòd

(1.) Quòd suas illas *opes deserere tandem cogantur*, in morte, ita ut sicut nudi in mundum venerunt, sic nudis rursum decedendum sit. 1.Tim.6.7. *Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus.* Quod de *Iobo* mutuatus est Apostolus, Job.1.21. *Nudus exivi ex utero matris meæ: nudus redibo illuc.* Ita Psal.49.18. de divite: *Non in morte suâ assumpturus est quicquam, non descendet cum eo gloria ejus.* Saladinus interulam, quâ cadaver suum indui testamento mandavit, voluit ut lanceâ sublimem servus circumferens per compita vicosq; clamaret: Saladinum Imperatorem nihil aliud ex tantis secum opibus auferre. Blondus Decad.2.lib.6. Ita verò ingens soliditas, vitâ totâ coacervare ad usq; mortem, quod eâ tamen instante relinquere cogaris. Uti quidem venustè concludit Eccl.c.5.v.14.15.16.

(2.) Quòd *hæredum & successorum sint incerti*, adeoque nesciant cui thesaurizent & congregent. *Congregat quispiam, sed nescit, quis receptaturus sit ea*, Ps.39.7. *Quæ parasti cujus erunt*, dicit vox cœlestis fatuo, Luc. 12.20. Cumprimis incerti hîc ἄτεκνοι, qui alijs sæpè avariores, tandem sua bona hæredibus plaudentibus relinquunt. Iob.27.23.

Parentes id quidem agunt, ut suis liberis relinquant, eosq; in optimum statum locent & elocent: hæcque potissima est multorum avaritiæ causa, & laboris in eam rem indefessi; tum verò sapientissimi videri volunt, & de posteris optimè meriti.

Sed [1.] nesciunt, an liberis suis ipsorum bona sint in manus deventura: quia fraudari illis antè possunt, quàm occupent vel possideant: Exemp. *Rechabeam*. Posteritas *Saulis*. Ita infidi curatores suis quandoque pupillis bona ipsorum ad se rapiunt, aut perdunt.

[2.] Posito, quod liberis ipsorum in manus deveniant, testatur experientia, cujusmodi sint ditiorum filij, plerunque degeneres, juxta adagium, *Heroum filij noxæ*: quia enim facultatibus parentum ad se devolvendis confidunt; inde fit, ut turpi otio & voluptatibus se dedant, omnemq; honestum laborem refugiant, & supervacuum judicent quicquam addiscere, ut certâ vocatione Deo & proximo serviant. Quibus tandem paternæ hæreditates sub manibus colliquescunt, & velut alas adeptæ avolant, ipsiq; ad stipem miseram contemptumq; rediguntur: ut obtigit prodigo: Luc.16. Semperq; amplissima decoctorum ejusmodi messis extitit.

Si verò impij sint, ad scelera parentum hæreditatibus abutuntur, sic

ut thesauris parentum sibi thesaurizent gehennam, satiusque foret, ne obolum quidem à parentibus habuisse; tum enim honesto labore ad panem quærendum adigerentur, atque à turpi & flagitioso Satanæ pulvinari, otio, depellerentur.

Et certè, quia Deus parentum peccàta in filiis punire solet, hoc ei solenne est, ut patrum avaritiam plectat ita, ut filios ipsis perversos, prodigos, sceleratos sufficiat, qui non modò paterna bona malè parta abliguriunt, sed & se unà cum illis perdant, & exitio devoveant. Pulchra malè thesaurizantium merces! Stat enim inconcussum: *Malè parta, malè dilabuntur. Substantia ex vanitate diminuetur.* Prov. 13. 11. *Item, de malè quæsitis non gaudet tertius hæres.*

Usus. Rectius acturi parentes, si 1. *sibi ipsis thesauros cumularent in futurum, &c.* 1. Tim. 6. 19. *Cupis hæreditatem bonam filijs relinquere, eleemosynam relinque.* Chrysost. Hom. 9. de pœnit.

2. Si thesaurizarent filiis Dei benedictionem, quæ *sola ditat*, Prov. 10. 22. ipsaque per se ampliſſima gaza. Ps. 23. 1. Precando pro ipsis; Educando ipsos in timore Domini, Ephes. 6. 4. Assuefaciendo ad honestos labores. (Id enim si fecerint, non opus habebunt liberi ampliori-bus gazis.) Arcendo à vitijs accuratiore disciplinâ, &c. Majus est solatium parentibus in morte, pios & gnaros, quàm divites liberos post se relinquere.

(3.) Quod de labore suo, quem in thesauris congerendis impenderunt, *nihil lucri habent, quàm angustiam*, curam, solicitudinem totâ vitâ, &c. v. 22. 23. Notissimæ sunt avarorum calamitates, & vita continuo tormento & supplicio similis. Ideò Christus divitias *spinis* assimilavit, Matth. 13. v. 22. quæ incessanter cor hominis dispungunt. Salomon verò Eccles. cap. 5. 12. divitem somnum capere posse negat, præ solicitudine, ægroti instar, quem corporis dolores dormire non sinunt. Insomnes agens noctes, non Creatoris aut Servatoris sui meminit, sed Mammonæ; neque id cum gaudio, sed angore, &c. Diros enim labores in congerendo subit, vitam sibi inquietissimam & periculis plenam reddens: curas ingentes fovet, dum parta fovere & augere vult: horrendos denique cruciatus sentit, dum jacturam bonorum suorum patitur. *Sudat* (inquit *Bernard.* Serm. de Obed. & Patient. & Serm. de miseriâ hum.) *pauper in opere foris, sed nunquid minùs anxiè dives intus in ipsâ suâ cogitatione laborat?* Item; *Beatus qui post id non abijt, quod possessum one-*

rat,

rat amatum inquinat, amissum cruciat. Idem *Bernard.* Epist. 103. Multa in eam rem profani scriptores: Venustè *Propertius*, lib. 3. Eleg. 7.

Ergò solicitæ tu causa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitys hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Piè verò *D. Augustinus*, Tract. 9. in 1. Joan. *O homo, qui laboras amando avaritiam, cum labore amatur, quod amas: sine labore amatur Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, tristitias, tribulationes, & obtemperaturus es. Quo fine? ut habeas, quo impleas arcam, & perdas securitatem, securior fortè eras antequam haberes, quàm cùm habere cœpisti. Ecce quid tibi jussit avaritia. Implesti domum, timentur latrones: acquisivisti aurum, perdidisti somnum. Deus sine labore cum amatur, acquiritur, tenetur.*

Ista verò solicitudo & angustia, quæ avaros detinet, non solùm ipsos miserè cruciat & affligit; sed aliam curam longè præstabiliorem & sanctiorem & utiliorem fugat & pellit: Eam scilicet, quæ est de animæ æternâ salute. *Quantò enim* (ait *Bernard.* loc. cit. Serm.) *magis in temporalibus est solicitus, tantò magis est mendicus in spiritualibus: quantò magis in his, quæ foris sunt, vagaris; magis intus evacuaris: quantò magis extra lucraris; tantò magis intus perdis.*

Hinc est, quòd Servator ægrè divitem introiturum dixit in regnum cœlorum. Matth. 19. 23. *Paulus* verò ijsdem damnationem minatur. 1. Cor. 6. 9. Ut sic dolores, quos in hac vitâ sibi ipsis cumulant, in gehennâ consummentur.

HOMILIA XI.

TEXTVS. ℣. 24. 25. 26.

Non est bonum penes hominem: ut comedat, bibat, efficiatq; ut animus suus fruatur bo-

no ex

no ex labore ſuo: etiam hoc vidi ego à manu Dei ipſius eſſe. Nam quis eſſet fruiturus eo, & quis confeſtim fruiturus præterquam ego? Homini enim, qui bonus videtur in conſpectu ipſius, Deus dat ſapientiam & ſcientiam cum latitiâ: peccatori autem dat occupationem ad congerendum, ut tradat ei, qui bonus videbitur in conſpectu ſuo. Etiam illud vanitas eſt & afflictio ſpiritûs.

QUOD in rebus humanis & terrenis, ſummum hominis bonum, ſeu vera, perfecta, & conſtans felicitas non ſubſiſtat, etiam naturæ lumine viderunt quondam Ethnicorum Philoſophi. Idipſum verò *Salomon* divinâ Sapientiâ Rex inſtructiſſimus, peculiari Concione, hoc libro Eccleſiaſtæ contentâ, ſibi probandum propoſuit: argumento potiſſimùm à vanitate rerum mundanarum omnium petito, quam ipſe Rex ut ſapientiſſimus, ſic opulentiſſimus, ex multiplici experientiâ & exquiſitâ indagatione rerum & negociorum omnium humanorum, deprehenderit.

Proximè verò in præcedentibus inaniter cumprimis ſatagere avaros theſaurizantes innuit, qui in theſauris, divitijs, ac poſſeſſionibus omnigenis, multo labore & curis conquiſitis, apicem felicitatis ponunt. Quum ergò in hoc mundo, & præſenti ſeculo, ſummum bonum adipiſci ἀδύνατον ſit, ſed labor omnis in eam rem impenſus, inanis ſit: eoq; à tali cogitatione & propoſito jure abſtinendum: quâ tamen in re, optimum vitæ præſentis genus ſubſiſtat, & quæ beatiſſima vita cenſeri debeat, nunc ediſſerit. Ἀναγνωσιν ergò excipit κατάσκευη, quâ docet:

I. Quæ beatiſſima ſit in præſenti ſeculo, vita.

II. Vnde illa?

DE

DE PRIMO.

De I.v.24. *scilicet edere, bibere, lætari ex labore suo*, h.e. labore partis facultatibus. *Non est bonum penes hominem, ut comedat, &c.* Vel: *Non est igitur bonum in homine, nisi quòd edat, bibat, & ostendat animæ suæ bonum ex labore suo.* Minimè censeri debet Ecclesiastes Sardanapalicam vivendi rationem, luxu & voluptatibus, gaudijsque profanis diffluentem, commendare velle; seu Epicureismum illum tueri, qualem impij ex Judæis insectati leguntur, Esaj.22.13. *Ecce lætitiam & gaudium, occidendo boves, jugulando pecudes, comedendo carnes, & bibendo vinum, &c.* Hunc enim suprà v.1.2.3. damnavit ac rejecit, ac nullatenus in ejusmodi vivendi genere, vitam verè beatam subsistere docuit. Sed modicum ac frugalem, decentem rerum terrenarum ac divitiarum usum commendat: qui opponitur anxijs illis avarorum curis & laboribus, dum acerbam sibi reddunt vitam, non nisi ampliandis divitijs intenti; gaudium verò nullum ex illarum usu ac fruitione percipiunt. Præstat enim partis bonis frui ex munere Dei, quàm his parcendo conficere seipsum angoribus & curis. Ideò comparatè loquitur, & vitam beatam locat in corporis curâ, pastu, & animi oblectatione decorâ. Observandæ *Cautiones*:

[1.] Ut id fiat servatâ *mediocritate: Carnis curam ne habeas ad explendas cupiditates.* Rom.13.14. Ne ad excessum, & turpem ingluviem ac luxum deflectat ista corporis cura.

[2.] Ut fiat ex *tuo labore*, ex bonis scilicet labore honesto acquisitis, non fœnore & defraudatione proximi corrasis, eoque alienis: vix enim cum verâ animi lætitiâ & conscientiæ tranquillitate illis frui possunt.

[3.] Ut sincerus *Dei timor & amor, invocatio, gratiarum actio* superveniat: quippe è *cujus manu* cuncta illa bona nobis accedant. *Deus vivus præbet nobis omnia copiosè ad fruendum.* 1.Tim.6.17. Deus nobis hæc otia fecit. Ideò sæpè in hoc libro interspergit præcepta de Timore Dei, ut appareat, eum loqui nõ de securitate & voluptate impiorum, sed de securitate piâ, & suavi instituto vitæ, quod cum timore Dei sit conjunctum.

[4.] Ut *cum tempore & modo* ista oblectatio suscipiatur, ne videlicet vota vita in illâ consumatur; sed insuper vocationis labores &

munia diligenter præstentur, ad Dei gloriam, Reipublicæ & Ecclesiæ, & proximi cujusque commodum. Secus fatuus Luc. 12.19. qui quieti insuper se totum dedere voluit.

Interpone tuis interdum gaudia curis.

[5.] Ut accedat tandem ἀδιάφορον, adeò ut si non genialiter aut jucundè vivere homini contingat, boni tamen consulat, Deoque omnia committat, ejus dispensatione contentissimus.

Usus I. Nihil igitur sermo iste Salomonicus patrocinatur

(1.) *Porcis Epicureis*, gulosis, luxuriosis, gnathonibus; qualis fuit Epulo ille Luc. 16.19. quorum vivere est bibere & comessari, quibusque non benè est, nisi sint ebrij, &c. De *Bonoso bibacissimo* Aurelianus dixit: Non ut vivat natus est, sed ut bibat.

(2.) *Non fœneratoribus & usurarijs, nisi quissimis*, quos quidem non pœnitet facultatibus suis ad luxum & fastum, & protervas quasque delicias abuti, quod tamen cum ingenti proximi sit injuriâ, quem expilarunt, circumvenerunt, fraudarunt; sic ut ipsis deliciantibus, diram cum suis famem & pauperiem experiri cogatur. Gaudia hæc sunt infelicissima, infelicissimum exitum habentia: *Florent, ut dissipentur in æternum*, Ps. 92.8. *Suavis est ipsis cibus falsitatis, sed postea implebitur os eorum scrupis.* Prov. 20.17. Pyrallium instar.

(3.) *Non profanis* & atheis, qui in suis symposiis ne quidem vel meminisse Dei solent, sed turpibus & impijs colloquijs tempus inter pocula consumunt. Sicuti de Judæis Prophetæ conqueruntur: *Væ surgentibus summo mane, &c.* Esaj. 5.11,12,13. Quibus propterea pœnæ graves denunciantur. Ita sine Deo fatuus ille dives saginare se statuerat. Luc. 12.19.

(4.) *Non otiosis*, qui unicum hoc agunt, ut corpus sagiant, de nullâ aliâ re, vel functione honestâ soliciti, adversum quos illud *Pauli*, 2. Thess. 3.11,12.

Usus II. Rectissimè faciunt, qui frugali corporis curâ, ac moderatâ animi oblectatione ex rectè partis, junctâ pietate, fruuntur. Illa enim licita, ut demonstratum aliâs. Calcar addit pijs, ad agnoscendam Dei bonitatem & beneficentiam ejus deprædicandam, eumque ut benefactorem tam largum amandum ac reverendum.

Usus III. Miserrimi sunt, qui rerum mundanarum curis nimium sese defatigant ac excruciant: avari cumprimis, qui multo labore

partis

partis uti nec sciunt nec volunt: quibus proin tam deest quod habent, quàm quod non habent. Similes *Tantalo*, quibus abundant, carent, quum nesciant uti. *Midæ*, qui aurum pro escâ nactus, fame perire coactus est, dignus asininis auribus. *Asinis onerariis*, qui acervos auri & argenti portant, fœno tamen pascuntur. Seneca Epist. 108. ait:

Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia.
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Quò spectat sapiens *Publij Mimi* dictum: *Avarus nisi cum moritur nihil recte facit. Si suis vivens rebus uteretur, rectè faceret: moriens facit, quia relinquit alijs.* Confer *Ambrosium* in Psalm. 1. Nihil ergò miserius sordidis istis. Confer de materiâ primâ hac parte pertractatâ, Conc. 9. & 13. in c. 3 Conc. 10. in c. 5. Conc. ult. in c. 8.

DE SECVNDO.

Unde verò beatissima ista vivendi ratio, quæ in usu legitimo rectè partorum consistit? Respondet Text. *Deprehendi hoc ipsum de manu Dei esse. Manus Dei*, est hîc ejus gratiosa beneficentia: Sicuti in Psal. 104. 28. & 145. 16. Sensus est, non modò bonorum affluentia, sed & frugalis eorum usus desuper provenit à Dei solius gratiâ. Confer cap. 3. 12, 13. & 22. cap. 5. 19.

Confirmat hoc *Salomon:*

[1.] A *proprio suo exemplo*, velut *in hypothesi.*
[2.] *In thesi, ab usitatâ Dei dispensatione.*

[1.] *Quis esset fruiturus, &c.* vel: *Quis enim comedit & delicijs exundavit ut ego?* Præsupponit *Salomon*, velut quod est in confesso, Deum sibi gratiosum & munificum fuisse: & jure quidem: quia Deus se talem Salomoni addixerat, etiamque præstitit, ipsum mirificâ sapientiâ, authoritate, & divitijs inexhaustis donando. Ex hoc eodem gratiæ divinæ fonte & hoc beneficij se hausisse dicit, quòd nemo ipso vixerit sumptuosior, delicatior, liberalior. Testatur id Regum historia, de ejus quotidiano victu & sumptu in servos, cujus admiratione capta fuit Arabiæ Regina, 1. Reg. 10. 5. q. d. sicut ego opulentiam incomparabilem è manu Dei accepi, sic & divitiarum illarum usum liberalissimum. In me Deus utriusque exemplum extare voluit; & divitias esse ex ejus manu, & earundem usum frugalem.

[2.] Idem porrò indefinitè & in thesi confirmat, usitatam Deo bonorum suorum dispensationem, explicando quâ alijs concedi innuit, quod alijs negatur. v.26. *Homini, qui bonus est coram eo, dat, &c.*

Commendat his verbis Salomon,

1. Dei ἐξουσίαν, in cujus manu sint omnia, ut possit ea dare & communicare; sapientiam, prudentiam, gaudium, addè divitias & earum usum, ut ex seq. liquet: *Divitiæ & gloria à facie tua sunt, & tu dominium habes in omnia, &c.* 1. Chron. 29. 11, 12.

Usus. Ergò ab eo solo petenda & expectanda. Jac. 1.

2. *Libertatem absolutam & ἀνυπεύθυνον*, juxta quam pro lubitu bona sua potest dispensare, & dare cui vult, negare cui vult. *An non licet mihi quod volo facere in rebus meis?* Matth. 20. 5.

Usus. Ergo ἀνθαρσίας simus memores. Nemini quidquam debet. Nec invidi erga eos, qui plura acceperunt, simus.

3. *Bonitatem erga bonos. Homini, qui bonus est coram eo, dat sapientiam, prudentiam, gaudium*, &c. *Boni* non intelliguntur, naturâ boni, vel perfectè boni, tales enim nulli; sed qui à Deo ipso per ejus Spiritum, bonitatis (h.e. pietatis, fidei & sanctimoniæ) acceperunt primitias & initia, atque sensim in illâ magis magisque proficiunt.

Object. At, inquis, perrarum hoc in bonis, eos gaudio & bonorum corporalium donis affici à Deo in hâc vitâ: Nam & Scriptura Evangelica fideles passim ad crucem subeundam vocat, & experientia ipsa testatur, lautiorem esse malorum, quàm bonorum hoc in ævo sortem.

R. Pijs omnia sunt bona, quæcunque è manu Dei accipiunt, quia à Deo impensè diliguntur, qui nihil mali eis immittit, quin bonum eminentius subsit. Rom. 8. 28. Ideò pro gaudio habent etiam adversitates, & de illis gloriantur. Rom. 5. 3. Jac. 1. 2. Hebr. 10. 34.

Usus. Pij, quibus Deus opes & earum usum concedit, non suo merito se hęc accepisse statuant; sed ex Dei miserentis manu: eoq; grates ipsi referant, & rectè utantur, &c.

4. *Justitiam & duritiem erga malos & impios. Peccatori autem dat occupationem ad congregandum & ad congerendum, ut tradat* (scilicet quod coacervavit) *bono coram Deo.* Quales enim se homines præstant erga Deum, talem se Deus præstat erga ipsos. Ps. 19. 26, 27. Cæterùm

rùm de peculiari pœnâ Dei loquitur *Salomon*, quâ impios afficiat. Nempe ut ingentem laborem impendant in congerendis opibus, quarum tamen ipsis non concedit usum; sed quæ ab improbis congesta, ad alios transmittantur, qui cum gaudio illis fruantur.

DOCTRINA I.

Sinit ergò Deus impios, avaros, bona & divitias congerere: unde fit, ut impij non rarò opulentissimi sint, & evadant. (Unde divitiæ non sunt certa nota gratiæ & favoris Dei) sed id non eorum bono concedit Deus, sed in ipsorum pœnam & exitium. RATIO. Quia immensis curis & laboribus sese excarnificant, dum illa quærunt: ubi simul hominum odia, contemptum, maledicta colligunt; varijs se implicant jurgijs, contentionibus, insuperque malam conscientiam imprudentes sibi thesaurizant, quæ suo tempore experrecta, lamentabiliter eos sit afflictura. Dum contra sine labore & angustiâ Deus suis velut per somnum necessaria largitur: *Benedictio Jehovæ ipsa ditat, nec trahit molestiam secum*, Prov. 10. 22. *Frustrà vobis maturantibus surgere, &c. Deus dilecto suo dat somnum*. Ps. 127. 2.

DOCTRINA II.

Deus usum divitiarum impijs negat, vel immaturâ morte eos hinc evocando: *Ut perdix colligit ova, sed non excludit; ita comparans divitias, sed injustè, medijs diebus suis derelinquet eas*, Jer. 17. 11. vel sorditie eos percutiendo: *Non est in manu eorum, bonum eorum*, Job. 21. 16. Vide infra Eccles. 6. 1. 2. sic ut eorum non sint Domini sed servi, & otiosi custodes: Sanè reperias opulentissimos, sed sordidos, qui vix audent edere ad satietatem, citius proprios oculos læsuri, quàm modicum impensuri in frugale & decorum gaudium: quanquam hoc non sit omnium, sed quorundam tandem injustorum pœna: nam (ut dictum) reperiens, qui malè partis nimiò malè & luxuriosè uti noverint. Quòd si quæras, unde illorum sordities? R. A Deo ceu justo judice, qui hoc pacto illudit & maledicit ipsorum avaritiæ. Perperam igitur quidam dicunt: ego si haberem hujus tenacis divitias, scirem uti illis, & exinde me recreare. Erras, nec & tu posses id sine Deo. Hinc Paulus utrumque Deo tribuit, implere alimentis, & lætitiam inde suppeditare, Act. 14. ℣. 17.

DOCTRINA III.

Deus parta ab impijs transfert ad pios, aut quoscunq; qui ipsi placent, hisque eorundem usum & fructum concedit, qui in illis conquirendis nihil laborarunt, & ne gratias quidem acquisitoribus agunt, qui quandoque pauperes sunt, aliàs jam divites, de quibus etiam impletur illud, *Habenti dabitur. Testim. Deves tubas, quum nihildum interversum est, ubi oculos suos aperit, nihil adest.* Job. 27. 19. *Recondita iusto sunt opes peccatoris*, Prov. 13. 22. *Qui auget substantiam suam usurâ & fœnore, gratiosè largituro tenuibus congregaverit eam.* cap. 28. 8. Sic Israelitis obtigerunt *Ægyptiorum* utensilia, Exod. 12. 35. Ijsdem Cananæorum regiones & opes. Davidi *Saulis* imperium, 1. Sam. 31. 2. Sam. 5. Eidem *Nabalis* opes, per conjugium Abigaelis, 1. Sam. 25. 42. *Hamanis* bona ad Estheram & Mardocchæum devoluta. Esth. 8. 9. Sic multi succedunt in aliorum bona, quorum aggestio nihilo laboris ipsos constitit; idque vel jure belli ut vocant, vel per connubia, vel testamenta & hæreditates. &c. Contrà, *Bonus possessionem tradit nepotibus.* Prov. 13. 22. Quod si non fiat, (nam & pij sæpè facultatibus suis orbantur) piorum sit bono, ne cor illis affigant, sed superna anhelare discant. Hebr. 10.

Usus. Videmus hinc ergò, quàm sit avaritia Deo invisa & exosa, quòd tot tantisque malis afficiat avaros, dum in colligendis opibus sunt occupatissimi: adeò ut dum sibi felicitatem acquirere videntur, miseriam colligant; dum opes, paupertatem; dum gaudium, tristitiam & mœrorem assequantur. Nunquid satius pauperem esse? Immò solentur se hinc pauperes, & agnoscant Deum sibi favere. Qui verò mediocres habent opes, justè partas, quibus Deus earundem frugalem concessit usum, agnoscant Dei erga se gratiam & favorem, omnique modo ad eum retinendum allaborent, precibus, pietate vitæ, εὐλαβείᾳ, integritate, beneficentiâ erga egenos, &c. Sic olim æternas illas in cœlis gazas assequentur.

Gloria & Gratia Tibi Domine IESV.

IN

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT III.

HOMILIA I.

TEXTUS vv. 1.

Cuiq; sua est tempestas, & tempus cuiq; voluntati sub Cœlis.

SCOPUS præsentis vitæ nostræ esse debet, ad cœlestem & æternam vitam contendere, *Quærite primò regnum Dei*, Matth. 6. 33. Luc. 10. 42. & 13. 24. Hebr. 13. 14. Studium hoc vehementer in nobis promovebit attenta & sedula vanitatis hujus mundi & rerum mundanarum consideratio: quantò enim ista magis fastidium præsentis seculi in nobis pariet, tantò plus desiderium futuræ in cœlo felicitatis crescet. Hujus verò considerationis pientissimæ manuductorem nobis agit Salomon in hoc suo Ecclesiaste, quo fusè & graviter vanitatem hujus seculi persequitur.

Et hactenus quidem duobus prioribus capitibus argumento propriæ experientiæ evicit, in rebus sublunaribus, qualescunque demum sint illæ, veram, perfectam & constantem felicitatem minimè extare: eoque

eoque nihil aliud lucrari, qui istam in hoc ævo quærant, quàm laborem & solicitudinem inanem. Hoc igitur omnium maximè consultum se reperisse, ut missis curis & laboribus illis, quibus mortales in acquisitione rerum terrenarum & caducarum fatigantur, quisque tranquillitatem potiùs vitæ consectetur, colendo pietatem, faciendo officium, terrenis facultatibus cum moderatâ & decorâ animi lætitiâ fruendo, cætera Deo permittendo.

Idem argumentum persequitur hoc cap. 3. *Salomon*: exponit enim novum quoddam genus vanitatis in rebus & actionibus humanis, quo se ipsos affligunt & emacerant miseri mortales, dum nempe rerum suarum sunt incerti, in consiliis & deliberationibus suis fluctuant, in actionibus & institutis variant, de fine & eventis dubitant: summa, quid agant, nesciunt. Huic confusioni & inconstantiæ, quæ in rebus humanis cernitur, opponit Salomon divinæ providentiæ certitudinem & sapientiam solidissimam, suum quodque rempus rebus præfinientis, & eventum definientis, quem nullo modo quisquam prævertere, invertere aut evertere possit. Itaque hortatur iterum ad vitam tranquillam, & multiplices curas, ut inanes & præposteras, nimisque serotinas abjiciendas, & agendum prout tempus & occasio tulerit. Protenditur ista commonefactio ad vers. usque 16. Quibus *Salomon* duo docet:

I. Omnibus rebus & actionibus humanis, (quæ quidem variæ sunt, ac subinde contrariæ) suum esse Tempus, quo oriantur aut incipiant, ac desinant seu finiantur.

II. Hanc ipsam doctrinam dein applicat, ad scopum suum, quem hoc libello intendit.

Primum à vers. 1. ad 8. usque inclusivè extenditur.

Hujus verò doctrinæ de Tempore consideratio triplex est:

1. *Pri-*

1. *Primò* enim illâ indicare vult *Salomon*, *humani ingenij inconstantiam*: sicque varietatem & contrarietatem humanarum rerum & actionum, utpote quæ cum tempore, cui subsunt, in singulas quasi horas, mutentur; eoque vanitati sint subjectæ.

2. *Secundo* asserere simul vult, *Divinæ providentiæ certitudinem*, ut à quâ cuncta dependeant & regantur, & juxta quam cunctis rebus ac actionibus humanis suum Tempus sit ab æterno definitum, quo fieri, durare, perire debeant.

3. *Tertio*, eâdem operâ, *commendare* instituit Salomon *prudentiam ac perspicacitatem*; nempe ut in rebus suis gerendis ac instituendis opportunitatem temporis dispiciant mortales. Atque juxta triplicem hanc normam, singuli isti aphorismi de Tempore examinandi & considerandi nobis veniunt.

Est autem Doctrina hæc seu Discursus *Salomonis* de Tempore bimembris: Constat enim

I. Generali Propositione.

II. Inductione specialium exemplorum.

DE PROPOSITIONE.

Suum cuique rei tempus est, & tempus cuique voluntati sub cœlis. Tempus hîc *Ævo* vel *Æternitati* opponitur, in quâ nulla est mutatio, seu prioris & posterioris distinctio, ut in tempore præteritum & futurum distinguuntur, sed ipsa semper est idem, & tota simul: Itaque Deus, quia æternus est carens initio & fine, est quoque immutabilis. Jacob. 1. Contrà, quæ tempori subjecta sunt, eo ipso quoque & mutationi & interitui sunt obnoxia, immò & oblivioni, cap. 1. 11. quia tempus in continuâ est successione, ac ne minimum quidem persistat. Hinc rectè dictum

Tempora mutantur & nos mutamur in illis.
Tempus edax rerum. &c.

Jam verò tempori subjecta esse humana cuncta, seu quæ *sunt sub cœlo*, (Deus enim supra cœlum) Salomon fatetur, tum res, tum actiones, tum operas, &c. Sive (ut alij distinguunt) res tum naturales, tum civiles, tum artificiosas: quod perinde est ac si dixisset, adhærere omnibus in-

re capitis parte capillis hirsuta, posteriore glabra, ut illâ facilè prehendi queat, hâc nequaquam. Hinc vulgatum illud

Fronte capillatâ est, post hæc occasio calva.

Ideò *Ausonius* Epigr. 12. *Metanœam* (den Reuen) comitem eidem adjungit, de quâ sic occasio

——— ——— *Si quando volavi,*
Has manet, hanc retinent, quos ego præterij.

Si verò temporis opportunitas arripienda est usquam, tum certè in negotijs pietatis apprimè observanda: monente Apostolo, *Redimite tempus opportunum*, Ephes. 5. 16. *Ne insumamus negotijs secularibus sed potius precium demus jacturam illorum, ut emamus occasionem vacandi Deo*, inquit *Augustin.* Homil. 24. de verb. Apost.

HOMILIA II.

TEXTVS. ℣. 2.

Tempus pariendi, & tempus moriendi, tempus plantandi, & tempus exstirpandi quod fuit plantatum.

DE INDUCTIONE.

PROVIDENTIA Dei omnes hominum res & actiones ac eventus gubernari, in confesso est inter Christianos. Huic verò axiomati adversari videtur id, quòd tanta sit in humanis actionibus varietas, inconstantia, & contrarietas: quod pugnare videtur cum Dei Providentiâ, siquidem is sit immutabilis. Indicat verò *Salomon* omnes hominum actiones, utcunque illæ sint contrariæ, leves, & contingentes, Dei immotæ providentiæ, non minus tamen subesse. Id verò *Salomon* asserit inductione plurimorum specialium exemplorum; quorum eventibus & sua a Deo

destinata

destinata esse tempora affirmat, eoque & ipsius gubernationi esse inclusa: non quòd omnia Deus approbet, aut legitima sint, quæ fiunt; sed quia nihil invito Deo fiat, quicquid evenit.

Scopus Inductionis hujus geminus esse potest :

1. Ut ostenderet *Salomon* rerum humanarum & actionum vanitatem: utpote cùm *homines sibi non constent*, sed modò hoc, modò illud ; & prioribus planè contrarium occipiant : Proinde in rebus & actionibus, aut operibus humanis, nullam constantem & perfectam subsidere felicitatem posse.

2. Ut ostenderet, quàm vanæ sint hominum curæ & consultationes, quibus *incassum sese* interdum fatigant in suis actionibus; *cùm tamen cuncta à Dei voluntate, non hominum, dependeant*; nec aliter evenire possint, quàm Deus ipse statuit ac decrevit.

Appositè Catalogum incipit ab hominis nativitate & morte, quibus utrisque à Deo suum quoque tempus definitum esse affirmat. Si enim & initium & finis vitæ humanæ à Deo dependet, tum certè & medium, totusque ejus decursus ab ipso regetur. Si vitam ipsam hominis mors tandem excipit ; quid mirum, si, quæ sunt hominis, vanitati quoque sint obnoxia? Vivere nostrum perpetuum est mori; quia quantum vivitur, tantum de vitâ decedit. Videamus utrumque,

Dei videlicet Providentiam circa hominis

I. Nativitatem.
II. Mortem.

DE PRIMO.

Tempus nascendi vel pariendi. h. e. Deus cuique homini tempus destinavit, quo in utero materno concipi, vitam recipere, ac in hanc lucem nasci debeat: totaque adeò hominis formatio, generatio, partus ac nativitas, Dei providentiâ gubernatur. Inde fit, ut appetente nativitatis tempore, infirmissimus infans, magnâ tamen & stupendâ vi, ex utero materno erumpat. Et sicut ante tempus nativitatem infantis nemo promovere potuisset, cùm tempus adest, eam nemo impedire possit. De Isaaci nativitate verba ita habent : *Certè* (ait Angelus fœderis Abraha-

[2.] Idem porrò indefinitè & in thesi confirmat, usitatam Deo bonorum suorum dispensationem, explicando: quâ alijs concedi innuit, quod alijs negatur. v.26. *Homini, qui bonus est coram eo, dat, &c.*

Commendat his verbis Salomon,

1. Dei ἐξουσίαν, in cujus manu sint omnia, ut possit ea dare & communicare; sapientiam, prudentiam, gaudium, addedivitias & earum usum, ut ex seq. liquet: *Divitiæ & gloria à facie tua sunt, & tu dominium habes in omnia, &c.* 1. Chron. 29. 11, 12.

Usus. Ergò ab eo solo petenda & expectanda. Jac. 1.

2. *Libertatem absolutam & ἀνυπεύθυνον*, juxta quam pro lubitu bona sua potest dispensare, & dare cui vult, negare cui vult. *An non licet mihi quod volo facere in rebus meis?* Matth. 20. 5.

Usus. Ergo ἀυλαξείας simus memores. Nemini quidquam debet. Nec invidi erga eos, qui plura acceperunt, simus.

3. *Bonitatem erga bonos. Homini, qui bonus est coram eo, dat sapientiam, prudentiam, gaudium*, &c. *Boni* non intelliguntur, naturâ boni, vel perfectè boni, tales enim nulli; sed qui à Deo ipso per ejus Spiritum, bonitatis (h.e. pietatis, fidei & sanctimoniæ) acceperunt primitias & initia, atque sensim in illâ magis magisque proficiunt.

Object. At, inquis, perrarum hoc in bonis, eos gaudio & bonorum corporalium donis affici à Deo in hâc vitâ: Nam & Scriptura Evangelica fideles passim ad crucem subeundam vocat, & experientia ipsa testatur, lautiorem esse malorum, quàm bonorum hoc in ævo sortem.

R. Pijs omnia sunt bona, quæcunque è manu Dei accipiunt; quia à Deo impensè diliguntur, qui nihil mali eis immittit, quin bonum eminentius subsit. Rom. 8. 28. Ideò pro gaudio habent etiam adversitates, & de illis gloriantur. Rom. 5. 3. Jac. 1. 2. Hebr. 10. 34.

Usus. Pij, quibus Deus opes & earum usum concedit, non suo merito se hęc accepisse statuant; sed ex Dei miserentis manu: eoq; grates ipsi referant, & rectè utantur, &c.

4. *Justitiam & duritiem erga malos & impios. Peccatori autem dat occupationem ad congregandum & ad congerendum, ut tradat* (scilicet quod coacervavit) *bono coram Deo.* Quales enim se homines præstant erga Deum, talem se Deus præstat erga ipsos. Ps. 19. 26, 27. Cæterum

rùm de peculiari pœnâ Dei loquitur *Salomon*, quâ impios afficiat. Nempe ait ingentem laborem impendant in congerendis opibus, quarum tamen ipsis non conceditur usum; sed quæ ab improbis congestę, ad alios transmittantur, qui cum gaudio illis fruantur.

DOCTRINA I.

Sinit ergò Deus impios, avaros, bona & divitias congerere: unde fit, ut impij non rarò opulentissimi sint, & evadant. (Unde divitiæ non sunt certa nota gratiæ & favoris Dei) sed id non eorum bono concedit Deus, sed in ipsorum pœnam & exitium. RATIO. Quia immensis curis & laboribus sese excarnificant, dum illa quærunt: ubi simul hominum odia, contemptum, maledicta colligunt; varijs se implicant jurgijs, contentionibus, insuperque malam conscientiam imprudentes sibi thesaurizant, quæ suo tempore experrecta, lamentabiliter eos sit afflictura. Dum contra sine labore & angustiâ Deus suis velut per somnum necessaria largitur, *Benedictio Jehovæ ipsa ditat, nec trahit molestiam secum*, Prov. 10. 22. *Frustrà vobis maturantibus surgere, &c. Deus dilecto suo dat somnum*. Ps. 127. 2.

DOCTRINA II.

Deus usum divitiarum impijs negat, vel immaturâ morte eos hinc evocando: *Ut perdix colligit ova, sed non excludit; ita comparans divitias, sed injustè, medijs diebus suis derelinquet eas*, Jer. 17. 11. vel sorditie eos percutiendo: *Non est in manu eorum bonum eorum*, Job. 21. 16. Vide infra Eccles. 6. 1. 2. sic ut eorum non sint Domini sed servi, & otiosi custodes: Sanè reperias opulentissimos, sed sordidos, qui vix audent edere ad satietatem, citius proprios oculos læsuri, quàm modicum impensuri in frugale & decorum gaudium: quanquam hoc non sit omnium, sed quorundam tandem injustorum pœna: nam (ut dictum) repereris, qui malè partis nimiò malè & luxuriosè uti noverint. Quòd si quæras, unde illorum sordities? R. A Deo ceu justo judice, qui hoc pacto illudit & maledicit ipsorum avaritiæ. Perperam igitur quidam dicunt: ego si haberem hujus tenacis divitias, scirem uti illis, & exinde me recreare. Erras, nec & tu posses id sine Deo. Hinc Paulus utrumque Deo tribuit, implere alimentis, & lætitiam inde suppeditare, Act. 14. v. 17.

DOCTRINA III.

Deus parta ab impijs transfert ad pios, aut quoscunq; qui ipsi placent, hisque eorundem usum & fructum concedit, qui in illis conquirendis nihil laborarunt, & ne gratias quidem acquisitoribus agunt, qui quandoque pauperes sunt, aliàs jam divites, de quibus etiam impletur illud, *Habenti dabitur.* *Testim.* *Deus rubat, quum nihildum interversum est, ubi oculos suos aperit, nihil adest.* Job.27.19. *Recondita iusto sunt opes peccatoris,* Prov.13.22. *Qui auget substantiam suam usurâ & fœnore, gratiosè largituro tenuibus congregaverit eam.* cap.28.8. Sic Israelitis obtigerunt *Ægyptiorum* utensilia, Exod.12.35. Ijsdem Cananæorum regiones & opes. Davidi *Saulis* imperium, 1.Sam.31. 2.Sam.5. Eidem *Nabalis* opes, per conjugium Abigaelis, 1.Sam.25.42. *Hamanis* bona ad Estheram & Mardocchæum devoluta. Esth.8.9. Sic multi succedunt in aliorum bona, quorum aggestio nihilo laboris ipsos constitit; idque vel jure belli ut vocant, vel per connubia, vel testamenta & hæreditates. &c. Contrà, *Bonus possessionem tradit nepotibus.* Prov.13.22. Quod si non fiat, (nam & pij sæpè facultatibus suis orbantur) piorum sit bono, ne cor illis affigant, sed superna anhelare discant. Hebr.10.

Usus. Videmus hinc ergò, quàm sit avaritia Deo invisa & exosa, quòd tot tantisque malis afficiat avaros, dum in colligendis opibus sunt occupatissimi: adeò ut dum sibi felicitatem acquirere videntur, miseriam colligant; dum opes, paupertatem; dum gaudium, tristitiam & mœrorem assequantur. Nunquid satius pauperem esse? Immò solentur se hinc pauperes, & agnoscant Deum sibi favere. Qui verò mediocres habent opes, justè partas, quibus Deus earundem frugalem concessit usum, agnoscant Dei erga se gratiam & favorem, omniquo modo ad eum retinendum allaborent, precibus, pietate vitæ, ἀϋλαρκείᾳ, integritate, beneficentiâ erga egenos, &c. Sic olim æternas illas in cœlis gazas assequentur.

Gloria & Gratia Tibi Domine IESV.

IN

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS,

CAPVT III.

HOMILIA I.

TEXTUS v.1.

Cuiq; sua est tempestas, & tempus cuiq; voluntati sub Cœlis.

SCOPUS præsentis vitæ nostræ esse debet, ad cœlestem & æternam vitam contendere, *Quærite primò regnum Dei*, Matth.6.33. Luc.10. 42.& 13.24. Hebr.13.14. Studium hoc vehementer in nobis promovebit attenta & sedula vanitatis hujus mundi & rerum mundanarum consideratio: quantò enim ista magis fastidium præsentis seculi in nobis pariet, tantò plus desiderium futuræ in cœlo felicitatis crescet. Hujus verò considerationis pientissimæ manuductorem nobis agit Salomon in hoc suo Ecclesiaste, quo fusè & graviter vanitatem hujus seculi persequitur.

Et hactenus quidem duobus prioribus capitibus argumento propriæ experientiæ evicit, in rebus sublunaribus, qualescunque demum sint illæ, veram, perfectam & constantem felicitatem minimè extare:

eoque

eoque nihil aliud lucrari, qui istam in hoc ævo quærant, quàm laborem & solicitudinem inanem. Hoc igitur omnium maximè consultum se reperisse, ut missis curis & laboribus illis, quibus mortales in acquisitione rerum terrenarum & caducarum fatigantur, quisque tranquillitatem potiùs vitæ consectetur, colendo pietatem, faciendo officium, terrenis facultatibus cum moderatâ & decorâ animi lætitiâ fruendo, cætera Deo permittendo.

Idem argumentum persequitur hoc cap. 3. *Salomon*: exponit enim novum quoddam genus vanitatis in rebus & actionibus humanis, quo se ipsos affligunt & emacerant miseri mortales, dum nempe rerum suarum sunt incerti, in consiliis & deliberationibus suis fluctuant, in actionibus & institutis variant, de fine & eventis dubitant: summa, quid agant, nesciunt. Huic confusioni & inconstantiæ, quæ in rebus humanis cernitur, opponit Salomon divinæ providentiæ certitudinem & sapientiam solidissimam, suum quodque tempus rebus præfinientis, & eventum definientis, quem nullo modo quisquam prævertere, invertere aut evertere possit. Itaque hortatur iterum ad vitam tranquillam, & multiplices curas, ut inanes & præposteras, nimisque serotinas abiiciendas, & agendum prout tempus & occasio tulerit. Protenditur ista commonefactio ad vers. usque 16. Quibus *Salomon* duo docet:

I. Omnibus rebus & actionibus humanis, (quæ quidem variæ sunt, ac subinde contrariæ) suum esse Tempus, quo oriantur aut incipiant, ac desinant seu finiantur.

II. Hanc ipsam doctrinam dein applicat, ad scopum suum, quem hoc libello intendit.

Primum à vers. 1. ad 8. usque inclusivè extenditur.

Hujus verò doctrinæ de Tempore consideratio triplex est:

1. Pri-

1. *Primò* enim illâ indicare vult *Salomon*, *humani ingenij inconstantiam*: sicque varietatem & contrarietatem humanarum rerum & actionum, utpote quæ cum tempore, cui subsunt, in singulas quasi horas, mutentur; eoque vanitati sint subjectæ.

2. *Secundò* asseterè simul vult, *Divinæ providentiæ certitudinem*, ut à quâ cuncta dependeant & regantur, & juxta quam cunctis rebus ac actionibus humanis suum Tempus sit ab æterno definitum, quo fieri, durare, perire debeant.

3. *Tertiò*, eâdem operâ, *commendare* instituit Salomon *prudentiam ac perspicacitatem*; nempe ut in rebus suis gerendis ac instituendis opportunitatem temporis dispiciant mortales. Atque juxta triplicem hanc normam, singuli isti aphorismi de Tempore examinandi & considerandi nobis veniunt.

Est autem Doctrina hæc seu Discursus *Salomonis* de Tempore bimembris: Constat enim

I. Generali Propositione.

II. Inductione specialium exemplorum.

DE PROPOSITIONE.

Suum cuique rei tempus est, & tempus cuique voluntati sub cœlis. *Tempus* hîc *Ævo* vel *Æternitati* opponitur, in quâ nulla est mutatio, seu prioris & posterioris distinctio, ut in tempore præteritum & futurum distinguuntur, sed ipsa semper est idem, & tota simul: Itaque Deus, quia æternus est carens initio & fine, est quoque immutabilis. Jacob. 1. Contrà, quæ tempori subjecta sunt, eo ipso quoque & mutationi & interitui sunt obnoxia, immò & oblivioni, cap. 1. 11. quia tempus in continuâ est successione, ac ne minimum quidem persistat. Hinc rectè dictum

Tempora mutantur & nos mutamur in illis.
Tempus edax rerum. &c.

Jam verò tempori subjecta esse humana cuncta, seu quæ *sunt sub cœlo*, (Deus enim supra cœlum) Salomon fatetur, tum res, tum actiones, tum operas, &c. Sive (ut alij distinguunt) res tum naturales, tum civiles, tum artificiosas: quod perinde est ac si dixisset, adhærere omnibus in-

ſtabilitatem, deceſſum, finem, vanitatem : eaque propter labores & curas non nimias in illas eſſe impendendas, ad extorquendam ex illis firmam & certam aliquam felicitatem. Fatuus enim ſit, qui quærit æternitatem in tempore; beatitudinem, quæ conſtans eſt ac perennis, in perpetuò fluentibus rebus; ut qui meſſem in hyeme, aves in aquis, piſces in aëre ſublimi captare volet.

Sed ſententia iſta, duas alias, præter hanc, fert interpretationes pertutiles, pro diverſâ ſignificatione vocabuli *Tempus*, quod vel pro periodis rerum, vel pro occaſione aut opportunitate uſurpatur : ſenſus ille Deum, iſte hominem ſpectat.

(1.) *Prior* igitur eſt : *Deum rebus & actionibus hominum cunctis certas periodos & metas fixiſſe, initij, medij, finis, &c. quibus incipere & deſinere, & quandiu durare debeant* : & has quidem inviolabiles, quas nemo anticipare, mutare, prolongare aut convellere valeat, aut qui id tentet, oleum perdat. Atque in hoc ipſo providentia Dei conſiſtit; quod illâ non modò omnium rerum eventus ſunt præordinati, adeò ut quicquid evenit olim, aut nunc fit, aut inpoſterum eventurum eſt, decretum ita ſit à Deo; ſed etiam circumſtantiæ quibus eveniunt, & *culmprimis temporis*, quo quæque fiunt, per eandem Dei providentiam regantur & determinentur. *Tempora & opportunitates in ſuâ ipſius auctoritate ſtatuit*, Act. 1. 7. *Fecit ex uno ſanguine totam gentem hominum, ut habitaret ſuper univerſâ ſuperficie terræ, definitis præſtitutis temporibus, & poſitis terminis habitationis eorum*, Act. 17. 26. Et ut temporis author Deus, utpote à quo Principium illud, de quo Gen. 1. 1. Joh. 1. 1. qui lucem & tenebras diſtinxit, quæ prima temporis alternatio: qui ſolem, lunam, &c. condidit, ut ſint temporis diſtinguendi organa: ita Deus quoque temporis Moderator, qui rebus, actionibus & eventis omnibus tempus ſuum aſſignavit. Definitum hoc à Deo tempus immutare, prorogare, aut retardare velle, perinde eſt, ac ſi quis conaretur hyemali tempore facere, ut efflorescant arbores, aliaque terræ naſcentia fructum producant.

Usus I. Ut *media inconvenientia*, præpoſtera, turpia vel injuſta, maturandi aut differendi actionem quamcunque *negligamus*, & mediis ordinarijs contenti ſimus : nihil enim illis conſequemur aliud, quàm ut iram & maledictionem Dei in nos concitemus, & conſcientiam gravemus : eventus ſequetur tum, quum Deus volet. Et in ijs, quæ ſuo tempore idoneo, juxtà Dei voluntatem fieri debent, media idonea ultrò ſe-

ſe offe-

se offerent: Wann was geschehen soll/ so muß sich alles schicken/ zuvor wird nichts drauß. Et huc quoque tendit Ecclesiastæ consilium; ne, in consiliis & deliberationibus nimium nos torqueamus; sed agamus prout tempus & occasio tulerit, eventum Deo committentes.

Usus II. Ut *tempus à Deo definitum* quocunque casu patienter *expectemus*; idemque quum appetit æquanimes acceptemus, Deique voluntati & directioni subscribamus, *non ut ego, sed ut tu, &c.* Matth. 26. 39. Idque *non solùm in secundis*: hæc enim instar fructuum sunt immaturorum & acerborum, si ante tempus & ætatem obtingant, quia in sui perniciem illis abuti potest homo; veluti conjugia, honores, divitiæ, &c. Sat citò, si sat benè. *Sed & in adversis*, ut non ante tempus à Deo destinatum inde liberari petamus, sed tempus à Deo definitum patienter præstolemur. *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium*, Heb. 4. 16. *Veniet enim Deus & non tardabit*, sed tempore opportuno. *Tempore placito, accepto exaudivi te*, 2. Cor. 6. 2.

Usus III. Ne turbemur adversis successibus, ex re intempestivius cæptâ vel actâ; memores illo ipso tempore agenda fuisse, ex Dei ordinatione: eoque nos ejus voluntati subjiciamus: cum populo dicentes, *omnia benè fecit*. Marc. 7. 37.

Usus IV. Quum tempus non in nostrâ sit potestate, ne temerè de futuro quicquam apud nos definiamus. *Ne glorieris de crastino, &c.* Prov. 27. 1. *Age nunc, qui dicitis, hodie vel cras proficiscemur in illam urbem, &c.* Jac. 4. 13.

(2.) *Posterior* interpretatio *hominem* concernit: Nempe, *ut actiones quascunque justo, ordinario, congruoque tempore instituamus & expediamus: seu ut temporis opportunitatem in rebus agendis observemus, & occasiones commodas provide apprehendamus.* Maxima enim pars prudentiæ, artis, & omnis facultatis consistit in opportunitate. Rectè; in hunc sensum canit *Ovid.* libr. 1. de remed. amor.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Tritumque illud *Pittaci*, Γνῶθι καιρόν, h.e. occasionem. Finxit antiquitas *Deum* τὸν καιρὸν, & effinxit volubili rotæ pennatis insistentem pedibus, vertigine quàm citissimâ sese in orbem circumagentem, prio-

re capitis parte capillis hirsuta, posteriore glabra, ut illâ facilè prehendi queat, hâc nequaquam. Hinc vulgatum illud

Fronte capillata est, post hac occasio calva.

Ideò *Ausonius* Epigr. 12. *Metanœam* (den Reuen) comitem eidem adjungit, de quâ sic occasio

——— ——— *Si quando volavi,*
Has manet, hanc retinent, quos ego præterij.

Si verò temporis opportunitas arripienda est ulquam, tum certò in negotijs pietatis apprimè observanda: monente Apostolo, *Redimite tempus opportunum*, Ephes. 5. 16. *Ne insumamus negotijs secularibus sed potius precium damus jacturam illorum, ut emamus occasionem vacandi Deo*, inquit *Augustin.* Homil. 24. de verb. Apost.

HOMILIA II.

TEXTVS. ℣. 2.

Tempus pariendi, & tempus moriendi, tempus plantandi, & tempus exstirpandi quod fuit plantatum.

DE INDUCTIONE.

PROVIDENTIA Dei omnes hominum res & actiones ac eventus gubernari, in confesso est inter Christianos. Huic verò axiomati adversari videtur id, quòd tanta sit in humanis actionibus varietas, inconstantia, & contrarietas: quod pugnare videtur cum Dei Providentiâ, siquidem is sit immutabilis. Indicat verò *Salomon* omnes hominum actiones, uteunque illæ sint contrariæ, leves, & contingentes, Deiimmotæ providentiæ, non minus tamen subesse. Id verò *Salomon* asserit inductione plurimorum specialium exemplorum; quorum eventibus & sua a Deo destinata

destinata esse tempora affirmat, eoque & ipsius gubernationi esse inclusa: non quòd omnia Deus approbet, aut legitima sint, quæ fiunt; sed quia nihil invito Deo fiat, quicquid evenit.

Scopus Inductionis hujus geminus esse potest :

1. Ut ostenderet *Salomon* rerum humanarum & actionum vanitatem: utpote cùm *homines sibi non constent*, sed modò hoc, modò illud ; & prioribus planè contrarium occipiant : Proinde in rebus & actionibus, aut operibus humanis, nullam constantem & perfectam subsidere felicitatem posse.

2. Ut ostenderet, quàm vanæ sint hominum curæ & consultationes, quibus *incassum sese* interdum fatigant in suis actionibus ; *cùm tamen cuncta à Dei voluntate, non hominum, dependeant*; nec aliter evenire possint, quàm Deus ipse statuit ac decrevit.

Appositè Catalogum incipit ab hominis nativitate & morte, quibus utrisque à Deo suum quoque tempus definitum esse affirmat. Si enim & initium & finis vitæ humanæ à Deo dependet, tum certè & medium, totusque ejus decursus ab ipso regetur. Si vitam ipsam hominis mors tandem excipit ; quid mirum, si, quæ sunt hominis, vanitati quoque sint obnoxia? Vivere nostrum perpetuum est mori; quia quantum vivitur, tantum de vitâ decedit. Videamus utrumque,

Dei videlicet Providentiam circa hominis

I. Nativitatem.
II. Mortem.

DE PRIMO.

Tempus nascendi vel pariendi. h. e. Deus cuique homini tempus destinavit, quo in utero materno concipi, vitam recipere, ac in hanc lucem nasci debeat: totaque adeò hominis formatio, generatio, partus ac nativitas, Dei providentiâ gubernatur. Inde fit, ut appetente nativitatis tempore, infirmissimus infans, magnâ tamen & stupendâ vi, ex utero materno erumpat. Et sicut ante tempus nativitatem infantis nemo promovere potuisset, cùm tempus adest, eam nemo impedire potest. De Isaaci nativitate verba ita habent : *Certè* (ait Angelus fœderis Abraha-

mo) *revertar ad te cùm vigebit hoc ipsum tempus, ecce autem filius erit uxori tuæ.* Gen. 18. 10. Et c. 21. 2. *Concepit & peperit Sara filium senectuti ejus, eâ ipsâ tempestate quam dixerat Deus.* Ita *David* de suâ conceptione & nativitate dicit: *Massam meam viderunt oculi tui: ac si in libro tuo universa scripta fuissent, licet diebus multis membra formata sint, & nec unum ex ijs existaret,* Ps. 139. 16. Sic nativitati Christi certum tempus à Deo statutum, Gen. 49. 10. *Quod cùm implerum, misit Deus filium factum ex muliere, &c.* Gal. 4. 4.

Usus. 1. Consideratio hæc facit ad *fiduciam* nostram in Deum stabiliendam & suffulciendam. Si enim Deus tempus nativitati fixit, de nobis solicitus fuit, antequam essemus; hinc *David* loco citato: *Quàm pretiosæ sunt cogitationes tuæ, ô Deus, quàm multiplicatæ sunt summa earum,* Ps. 139. 17. Hinc colligendum cum *Augustino: Qui habuit curam tui, antequam esses, quomodo non habebit cùm jam es, quod voluit, ut esses.* Et sicut Deus tempus nativitati statuit, ita tempore statuto partu felici in lucem istum prodire jussit, à cunis nos conservavit, tuitus est, direxit. Bonitatem auxiliumque Dei tam abundè experti, in periculis, angustiis, providentiæ ipsius nos committamus, omnemque nostram fiduciam in eum locemus. Sic argumentatus *David: Domine Jehova, fiducia mea ab adolescentia, Tibi innixus sum ab utero, è visceribus matris meæ tu extractor meus es: de te laus semper.* Ps. 71. 5, 6. Et Christus ipse: *Tu eductor meus es ab utero, confidere faciis me super ubera matris meæ, super te projectus sum à vulva: de ventre matris meæ Deus meus es tu. Ne elonges te à me. &c.* Psal. 22. v. 10. 11. 12.

2. Ad *patientiam*, Conjugibus, qui adhuc ἄτεκνοι, ut benedictionem istam Dei patienter expectent, cùm fuerit ipsi visum eâ illos donare: Hâc uti oportebat, *Saram, Rachel, Elisabetham, Hannam, &c.* Quòd si nunquam liberos susceperint, Deo deferant, ejusque voluntati annuant, suoque id bono fieri credant: satiùs enim sine liberis mori, quàm impios post se relinquere. Syr. 16. 4. quin & magnis curis, & quandoq; ærumnis levantur, quas alij ob liberorum malitiam experiri coguntur; uti exemplis *Jacobi*, propter *Dinam, Ruben, Josephum. &c. David* propter liberorum cædes & incestus, *Absalonis* cumprimis seditionem & mortem, &c. *Eve* propter *Cainum*, &c. & aliorum liquet, quibus satius fuisset nullos, quàm tales habuisse. Ad patientiam item serviat gravidis, ut patienter pariendi tempus expectent, & gravamina illa sufferant, precibusque Deo rem suam commendent,

APPLI-

APPLICATIO ALLEG.

Ut verò non est in hominis arbitrio nasci, sed infallibiliter nascitur homo suo tempore à Deo præscripto; sic nec *renasci*, aut sese ad Deum convertere dependet vel ab hominis viribus, vel ab ejus voluntate & assensu; sed in solidum opus est Dei, tum gratiosum, qui miseretur quorum vult. Rom. 9. tum potentissimum, quo Deus parem efficaciam exserit, atque in creatione aut formatione hominis; aut exserturus est in ejus futurâ resuscitatione: juxta dicta, quibus gratiæ divinæ in conversione operatio, vocatur *Creatio*, Ps. 51. 12. 2. Cor. 5. 17. Eph. 2. 10. & 4. 24. *Regeneratio*, Joh. 3. 3. 5. Jac. 1. 18. 1. Petr. 1. 23. *Vivificatio*, Joh. 5. 21. Eph. 2. 5. *è mortuis excitatio*, Col. 2. 12.

Usus. Efficacissimum argumentum ad refutandos liberi arbitrij Patronos, qui penes hominem stare dicunt, *gratiam* (quam in merâ oblatione verbi, aut suasione morali figunt; non virtute efficaciter operante) *convertentem Dei* acceptare vel repudiare: eundemque Deo cooperari in suâ conversione, &c.

DE SECVNDO.

Statutum est omnibus hominibus, ut semel moriantur. Hebr. 9. 27. Tempus mortis cuiq; homini perinde à Deo fixum, ut & tempus nativitatis. Cùm enim Deus tempora & opportunitates in potestate sua habeat, cur non æquè statuisset tempus & diem, quo quisque mori debeat, ac cuique suum fixit diem natalem. Text. *Tempus moriendi*, scilicet à Deo, summo vitæ necisque arbitro, occulto & immutabili consilio constitutum. Ita Job: *Definita sunt dies hominis, numerus mensium ejus penes te est, determinationes ejus fecisti, quas non transgredietur.* Job. 14. 5. Absurdum est locum hunc explicare de prædefinitione tali, quæ vel ex certâ prævisione Divina, quomodo quisque nostrûm se gesturus sit, vel saltem ex hypothesi boni vel mali usûs liberi arbitrij nostri, facta sit aut fiat; cùm Deus nihil nisi quod decreverit efficere aut tantùm permittere, præviderit, & sæpè vitæ humanæ finis aliunde quàm ex hominum gestis pendeat, ut patet in tot infantibus præmaturâ morte obeuntibus & tersæ tantummodo velut monstratis. Evincunt id alia

quoque

quoque Scripturæ dicta: *Domine, fac me scire finem meum & quæ sit mensura dierum meorum, ecce palmares dispositisti dies meos.* Ps.39.5.6. *Omnes dies mei in libro tuo erant consignati, antequam formarentur, cùm nec unus quidem illorum existaret.* Ps.139.16. Item; *Nonne duo passerculi assario veneunt, & unus ex vs non cadet in terram sine patre vestro, vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt,* Matth.10,29.30. Si enim ne quidem passerculus in terram cadit sine speciali Dei consilio, quantò minus homines ad terram *matrem omnium* Syr. 40. 1. reverti censendi sunt? Utpote quorum mors pretiosior casu passerculorum, Ps.116.15. Et si omnes capilli numerati, quantò magis dies vitæ nostræ? Præterea juxta stylum S. Scripturæ dicitur appropinquare dies ad moriendum, i. e. meta à Deo prædefinita, ejus, qui jam morti proximus, Gen.47.29. Deut 31.14. 1. Reg. 2.1. Perinde ut & Christus non semel in Evangelio suam *horam* appellat, tempus Dei consilio morti suæ definitum, tam certò, & infallibiliter ut etiamsi Johan.7. vers.30. & 8. vers.20. adversarij illum capere, voluerint, tamen nemo manus in illum injecerit, *quia nondum venerat hora ejus.* Et cùm maxima pars eventuum vitæ humanæ ex mortibus hominum dependeat, nihil esset certi in rebus humanis, sed omnia fortuita, nisi mortis dies esset consilio Dei prædefinitus. Immò ipsum decretum electionis eludi posset, si is, qui conversus est in senectute, potuisset occidi in juventute.

OBJICITUR exemplum Regis *Hiskiæ*, cui Deus XV. annos addiderit, Esa.38.

RL. Anni isti superadditi non ad terminum; quem præfixit Deus, sed ad tempus quo versabatur in extremo mortis periculo, si vis & natura morbi attendatur (utpote qui lethalis erat) & constitutio causarum secundarum. *Secundum aliquas causas inferiores* (ait *Augustinus*) *tum vitam finierat, secundum illas autem, quæ sunt in voluntate Dei, & præscientia, qui ex æternitate noverat, quid illo tempore facturus erat, tunc erat vitam finiturus, quando vitam finivit,* l.6. de gen. ad litt. c.16. Sic dici posset aliquot adhuc annos vitæ eorum adjectos, quos è præsentissimo mortis periculo eripit Dominus, ut Jonam è ventre Ceti, Socios Danielis è fornace ignita, Danielem è specu Leonum, Paulum & socios è naufragio Melitensi, &c. quia humanitùs perijssent, nisi singulari Dei gratiâ fuissent sustentati: nec tamen metam à Deo definitam excesserunt.

Cæterùm quod nuncio mortis (ipsi ratione causarum secundarum immi-

imminentis) Deus Hiskiam terruit, fecit ideò, ut tantò illustrius divinam erga se gratiam & potentiam Rex pius animadverteret: ut qui ex morte præsentissima erutus sit, indeque fiduciâ in Deum, precum ardore, patientiâ, constantiâ, amplius proficeret, reliquumque vitæ tempus gloriæ Dei promovendæ impenderet.

2. OBJICITUR Exod. 20.12. & 23.25. Deut. 4. 40. & 30. 19, 20. Psal. 91.16. 2. Reg 3.14. Prov. 10.27. Psal. 55.24. & alia hujusmodi Scripturæ loca, quibus dies pijs dicuntur *prolongari*, & impijs *abbreviari*.

R. 1. His locis intelligitur longæ vitas *absoluta*, quâ Deus pietatem ex gratiâ compensando sua dona cõronat, & mors præcox, quâ scelera punit: non prorogatio aut abbreviatio vitæ *ratione termini à Deo positi*. 2. Abbreviantur dies impiorum, non respectu illius vitæ termini, quem Deus *singulorum* vitæ arcano suo cõsilio præfinivit, sed ratione termini *vitæ aut ætatis humanæ communis*, qui Mosis tempore erat annus septuagesimus, Ps. 90.10. quem annum impij ex justo Dei judicio non assequuntur, sed morte præcoci obeunt. Exemp. *Ger & Onan*, Gen. 38.7.8. Filij Eli *Hophni & Pinehas*, 1. Sam 4.11. *Absalon*, 2. Sam. 18.19. Huc pertinent & illi, qui vel curis hujus vitæ, aut nimijs vigilijs & laboribus se emacerant: aut qui crapulâ & intemperantiâ morbos sibi lethales attrahunt, qui & ipsi, eo quo dictum modo, vitæ cursum ad dimidium usque modò provehunt, ex justo Dei judicio, qui ita ebrietatem punit. 3. Abbreviantur dies hominum quorundam, quoad ipsorum vel vota vel expectationem, Job. 15.32. Jer. 17.11. Conf. Ps. 27.13. dum multi citiùs, quàm sibi persuadeant aut optarent, è medio tolluntur: sicut vice versâ nonnullis evenit diutiùs vivere, quàm sperabatur ab hominibus, vel ipsimet crediderant.

3. OBJ. Ægri complures medicamentorum & curationis defectu, mori videntur dum alij ijsdem malis affecti convalescunt, mediis usi, quæ si & illis adhibita fuissent, & ipsi fortassis diutius vitam protraxissent.

R. Tenendum nobis firmiter, omnes eventus divinâ providentiâ gubernari, adeò, ut & illi, qui fame pereunt, qui humanitùs loquendo cibo suggesto conservari potuissent, imò qui sibi ipsis violenter manus inferunt, eodem illo tempore diem suum obeant, quod fixum ab æterno. Qui mediis salubribus usi vitam prorogant, nondum vitæ terminum attigere, secus nec isti à morte præservari potuissent.

4. Obj. Perinde igitur fuerit, dices, seu medijs & pharmacis utar in morbo, seu non: quando enim hora ab æterno mihi definita affuerit, morituras sum certò certius. Nihili igitur illa sunt facienda.

Rſ. Qui ita loquuntur, detegunt animum profanum: pij aliter ratiocinantur: cùm Deus determinârit dies, mihi tamen ignotum voluerit esse terminum, ita ut nefas sit de eo inquirere, providentiæ ejus (qui me certò ad eum quem proposuit finem producturus est) ita acquiesco, ut omnia, quæ eò faciunt corporis sustentandi & curandi media, dum tempus suppetit, procurem, paratus semper ad januæ apertionem, cùm sponsus pulsabit. Terminus enim vitæ à Deo fixus nos latet. Illius præterea certitudo & immutabilitas media non excludit, sed includit. Ità *Ezekias*, ut ut de prolongatione vitæ certus ex Dei promissione, emplastrum tamen ficulneum adhibuit, Esaj. 38. 21. Paulus certissimus de vita ex Dei revelatione, & tamen cùm nautæ vellent demissâ scaphâ se subducere, dicebat Apostolus Centurioni & militibus: *nisi isti in navi manserint, vos servari non potestis*, Actor. 27. 24, 31.

Usus I. Ad *Redargut.* eorum, qui omnem corporis curam, præservativa & medicamenta contemnunt & eludunt: quia, dicunt, si tueri me volet Deus, poterit id, si maximè nullis utar medicamentis, non moriar ante diem: hic si affuerit, transilire non potero: Ita solent ea, quæ de fiduciâ in Dei gratiam & potentiam dicuntur, in impaim ejusmodi temeritatem convertere: putant sermones hos suos esse fiduciæ & magnanimitâtis plenos, quibus tamen Deum tentant & insigniter offendunt. Similes isti Turcis, de quibus *Busbequius*, quòd vestes & lintea in quibus peste ægri animum exhalarunt, etiamnum à sudore mortifero madentes, contrectent, imò perfricent frontem: Si Deo, inquientes, visum ut sic moriar, fieri necesse est, sin minus, obesse non poterit; sic contagioni latum patefieri aditum, totasq; interdum familias ad unum emori. Quæ de definito dierum numero dicta, nos non debent facere temerarios, ut hoc prætextu vel nulla subterfugiamus pericula, *Qui enim ea amat, peribit in illis*, Syrac. 13. 27. vel nulla adhibeamus media: his enim ut maximè Deus nequaquam alligatus sit, nos tamen sine dubio alligavit. *Honorandus* (doctrinâ hac non obstante, imò jubente) *etiaq; Medicus*. Et *cùm sanitas videatur de fato, debetur etiam Medico, quia ad nos beneficium fati, per hujus manus venit*. Sen. l. 2. nat. quæst. c. 28.

Usus II. Ad *correctionem* eorum, qui nimium tribuunt medijs, hincque

hincque queruntur, mortem fortè declinari potuisse, si hoc vel illud factum aut intermissum esset.

Usus III. Ad *Admonitionem & Consolationem* Ministrorum, Medicorum in peste; militum, architectorum, nautarum, quos in suâ vocatione impavidos & industrios esse convenit, etiam, cùm mortis videtur subesse periculum. Cogitent pilos cunctos capitis sui numeratos: dies omnes vitæ suæ cœlestibus tabulis descriptos: nec propterea quidquam sibi obventurum, præter id, quod ab æterno decretum: depositam esse vitam halitumque suum in manibus Creatoris, se non citius morituros, quàm ejus ferat voluntas, nec etiam mortem declinaturos ullo modo, si metam attigerint: Stolidè igitur se acturos, si præposterâ mortis formidine, aut desererent vocationem, aut remissiùs eâ defungi vellent; immò hoc nihil aliud fore, quàm Dei Providentiam, sicque Deum ipsum negare. Constat plures à Deo mirabiliter in periculis custoditos. Exemp. *Aaronis*, qui stabat medius inter mortuos & vivos, Num. 16. 48. Confer Ps. 91. 7. *Christi*, sæpiùs elapsi è manibus hostium, quia hora ejus nondum aderat, Luc. 4. 30. Joh. 8. 59. *Petri*, Act. 12. 7. *Pauli*, Act. 14. 19. & 26. 22. *Epaphroditi*, Phil. 2. 27.

Usus IV. Ad *Admonitionem* in genere. Vitam, cujus terminum Deus fixit, summus propterea vitæ mortisq; Dominus, cujus unius arbitrio stamus & cadimus, consecremus Deo: Casus & funera nostrorum patienter feramus, cùm nemo ante diem suum abeat: Nescij præterea termini hujus, quem solus novit qui fixit, quemlibet diem supremum arbitremur, quò tantò paratiores revera ultimus nos deprehendat, quem si adesse sentiamus, non respiciamus cum Uxore Lothi, sed alacriter & altrò Deum sequamur.

HOMILIA III.

TEXTUS *v.* 2. b. & 3.

Tempus plantandi, & tempus exstirpandi

quod fuit plantatum: Tempus occidendi, & tempus curandi: Tempus rumpendi, & tempus ædificandi.

QUANDO Ecclesiastes ab initio hujus libri omnia Vanitatis damnat, non id modò de μακροκόσμῳ intelligi vult; nempe quòd varijs mutationibus, ijsque continuis, ille obnoxius sit, sicuti vers. 4. 5. 6. 7. cap. 1. planum facit: sed etiam de μικροκόσμῳ, h. e. homine. Ista verò hominis vanitas, vel corpus ejus spectat, quod constat suâ naturâ mutationibus varijs & corruptioni esse obnoxium: vel animum; nam & instituta ac cogitata hominis inconstantissima sunt; dum ea vel ipse homo mutat, quodque modò statuit & fixit, tollit & refigit: vel à Deo evertuntur & annihilantur, Ps. 33. 10. 15. donec in ejus morte protinus evanescant. Ps. 146. 4. Et hoc ipsum Ecclesiastes primâ hujus Capitis parte persequitur, scilicet consiliorum, cogitationum ac actionum humanarum inconstantiam, vanitatemque, qui nunc hoc agant, nunc mente mutatâ illud idem negligant, destruant, & contrarium ejus occeptent: fatuos igitur esse, si nimium curæ & solicitudinis in res suas impendant. Istas verò mutationes divino consilio regi innuit, qui singulis sua tempora destinârit: eoque sapienter facturum hominem, si Deum velut imitatus, cunctis rebus agendis opportuna tempora deligat.

Persequitur tractationem istam Ecclesiastes per inductionem aliquot oppositorum in quibus ista humanarum rerum inconstantia sese exhibet; initio facto ab ejusmodi oppositorum genere, quod in hominis voluntate non consistit; sed simpliciter à Dei pendet arbitrio: Tempus, ait, nascendi; tempus moriendi: de quo hactenus.

Reliquorum oppositorum ea est ratio, ut divinâ quidem regantur providentiâ, quippe à quâ omnia dependent: sic tamen ut circa illa homini sua relicta sit deliberatio, & agendi arbitrium. Dicit ergò porrò:

Tempus plantandi, tempus extirpandi quod fuit plantatum.

(A.) Si

(A.) Si *hominem* respicimus, omninò penes istum in hoc actionis genere conspicitur inconstantia: Nunc enim homo plantat, serit, colit, arbores, herbas, agros, vineas; nunc evellit, transplantat, quod plantatum, si ullo modo displicet, sicut colonus ille jussit ficum infrugiferam excindi, Luc.13.7. aut quum ad pastum apta & matura sunt, colligit; sicque tellurem suis proventibus spoliat.

(B.) Si *Deum*, regit is culturam agri, ut suum cuique operæ tempus destinarit: Vere etenim & autumno tempus serendi est & plantandi; æstate rursum aut metendi, & colligendi fructus. Plantat item Deus, dando incrementum & pluvias, Psal.65. v.10.11. Evellit, detinendo pluvias, grandine, pruinâ, insectis perdendo, hostium prædæ exponendo fruges omnivarias.

Sensu *Allegorico*, Deus plantat gentes, populos, civitates, regiones; easdem rursum evellit & perdit, si frugi non sint, sed eum peccatis suis offendant. *Vitem ex Ægypto traduxisti, ejecisti Gentes, & plantasti eam, &c.* Ps. 80. 9. *Ecce quod ædificaveram ego destruo, & quod plantaveram, ego evello, denique totam hanc terram*, Jer.45.4. *Quo momento eloquar contra gentem, & contra regnum, me convulsurum & demoliturum & perditurum esse: Si convertatur gens illa à malo suo, contra quam loquutus fuero, pœnitebit quoque me ejus mali, quod cogitaveram facere ei*, Jer.18.7,8.

Apelio. Et nos Deus plantavit hoc solo, quod pace mediocri incolendum hactenus indulsit, sicque tempus plantandi hucusque penes nos fuit; metuendum ne evellendi tempus succedat, dum nullas veræ pœnitentiæ fructus edimus: *Videtur enim securis radicibus admota, &c.* Matt.3.10.

Plantat item Deus vineas, h.e. Ecclesias, ijs locis, quibus ipsi placet; sed & easdem evellit & hostibus dissipandas tradit; si minus condignè vixerint pro ratione verbi & Evangelij sui, cujus annunciationem ipsi indulsit. Experti Judæi, Esa.5. Orientales Ecclesiæ, sub Turcarum jugum & Machometi redactæ: Evangelicæ complures, hodieque in Germaniâ, Palatinatu, Bohemiâ, Silesiâ, sub Papatum, &c. Quòd si maximè non integras Ecclesias Deus suis sedibus evellat, spuria tamen ejus membra, lolium & zizania magnâ illâ mundi messe evellentur. Matth.13.41. Genuina verò è seminario terreno in cœlestem Paradisum transportabuntur. *Plantati in domo Jehovæ, in atriis Dei nostri florebunt*, Ps. 92.14. Beati tales. Ps.1.3. Jer.17.8.

(C.) Sin denique ad *opportunitatem* ista referas, monemur, ut, qui-

qui agricolationi ſtudent, tempeſtivè peragant cuncta: ſuum enim cuique tempus: ſationi, plantationi, paſtinationi, fœniſecio, meſſi, vindemiæ: quin & ſemina quædam citiùs, alia ſeriùs terræ mandari volunt: prætereaque ſyderum conſtitutio, Lunæ præſertim φάσεις, ejusque per dodecatemoria curſus notari meretur; quia notabiles illa habet in terræ naſcentia influxus & operationes, uti per experientiam conſtat. Sicque culpat Eccleſiaſtes illos, qui talia cuncta intempeſtivè agunt, vel ex pigritiâ, aut incuriâ; cùm & in hoc actionum genere tempus ſit irreparabile: quod Oeconomis & agricolis ignavis & ſtolidis dictum.

APPLICATIO.

Similiter in excolendo animo virtutibus Chriſtianis ſua eſt tempeſtivitas, quæ minimè prætereunda. Neglexerunt illa Phariſæi, non obſervantes ſigna temporum, quorum aliâs ductu ad fidem & agnitionem Chriſti pervenire poterant. Matth. 16. 3. Ita multi dum valido ſunt corpore ſacros negligunt cœtus, verbi auditum, ſacramentorum uſum; quos in grabatum mortualem conjectos negligentiæ pœnitet. Ambulemus ergò in luce, dum illam habemus. Joh. 12. 35.

Tempus occidendi, & tempus curandi, vel ſanandi.

[A.] Si ad *hominem* iſta referuntur, magna in affectibus ejus inconſtantia & viciſſitudo comperitur, ut nunc irâ, odio, vindictæ cupiditate ferveſcat, unde in vulnera & necem proximi quandoque prorumpit: alio tempore, charitate, manſuetudine, commiſeratione delibutus ad ſanandos ſaucios, benefaciendum ægrotis & afflictis feratur: ſumma, nunc ad nocendum, nunc ad benefaciendum proximo inclinet, prout à ſuis affectibus inſtigatur, qui vento ſunt mutabiliores. Non quòd Eccleſiaſtæ mens ſit, furioſorum patrocinari injurijs, quibus inſontes quandoque afficiunt, lædunt que; ſed ut ingenij humani vanitatem coarguat, qui ex feris in homines, ex lupis in oves, prout ferunt tempora, ſeſe transformant.

Usus I. Vix ergò de ullius hominis reconciliatione deſperandum,

dum. Vix homo sit, nedum Christianus; qui redire in gratiam nolit, aut offensis parcere. Defluat cuique vulnerandi tempus, redeat sanandi. Si Deus, qui justitia ipsa, eaque infinita, nos filios iræ recepit in gratiam, cum proprij filij prostitutione in mortem: cur tam ferreus sit ullus mortalium, qui emolliri se non patiatur. Matth. 18. 35. Eph. 4. 26.

Usus II. Sed nec cujusquam hominis amori & favori, tutò secureque nimis confidendum. Sit nunc tempus sanandi; homo, qui in omnes horas mutari potest, brevi in occisorem mutari potest ac persecutorem. Omnis homo mendax, levitas ipsa. Perfidiæ exempla infinita, etiam conjunctissimorum: conjugum, patrum, filiorum, fratrum, amicorum, &c.

[B.] Ad *Deum* relata, pendet ab ejus Numine & regimine, Occidere & Sanare. Occidere habet tempus; si à Deo definitum, hunc vel illum, tali alióve tempore & occasione occidendum: secus nemo occidi potest, ac ne vulnerari quidem. Inculcavit idem Christus discipulis Joh. 11. 9. q.d. ante horam XII. h.e. ultimam diei, h.e. ante periodum vitæ cuique homini à Deo fixam, nemo perit: tutò itaque interdiu (h.e. dum vocatione legitimè fungitur) liceat cuique ambulare, præ insidiatorum metu. Extremas necis insidias habuêre: *Joseph, Moses, David, Daniel, Elias, Jeremias, &c. Christus, Petrus, Paulus, &c.* nemo tamen ex illis prehensus, ante metam; quia tempus occidendi in Dei manu.

Usus. Ergò insidiatorum metu frustra nos emaceraverimus, si vitam nostram certâ fiduciâ deposuerimus in manum Dei, fungentes ritè vocatione; cùm tempus occidendi sit penes ipsum: quod & de cunctis alijs casibus accipi potest. Ps. 31. 16. 1. Petr. 4. 19.

Sed & *sanandi* tempus in Dei est manu. Is enim excitat Medicos quando vult, qui sanent: Exemp. Saucius, Luc. 10. Monstrat media quæ sanent: veluti qui morsi erant à serpentibus. Num. 21. Ezechiæ Regis, Esa. c. 38. 21. Dat idem ille pharmacis vires, ut sanent: Etenim

Non est in Medico semper relevetur ut æger,
Sæpè etenim docta plus valet arte malum.

Nihil enim Medici, emplastra, unguenta, pharmaca, &c. quicquam proficiunt, Deo non cooperante: Is enim verè Medicus. Exod. 51. 26. Cumprimis verò heic observandum, Tempus quo convalescere debeat æger vel saucius quisque, determinatum esse à Deo.

Usus. Ergò cùm æger non sanatur, sed moritur, à Deo est. Ægro-

ti patienter tempus expectent suæ sanationis, nec ullatenus morosos se præstent si non mox curantur: Deus enim quosdam mox sanitati restituit; uti obtigit Malcho: alios diu morbis torqueri patitur, Ex. *Hemorrhoussæ*, Matth. 9. 20. *Mulieris* Spiritum infirmitatis habentis, Luc. 13. Illius, qui jacebat propè piscinam, Joh. 5. 5. Medicamenta & hominum cura ac peritia quæcunque, non potest anticipare Dei consilium: non tamen illa negligenda, sed usurpanda, ut quod Deus decrevit suo tempore, impleatur: Media enim decreto Dei non adversantur, sed illud promovent. Deniqué in Deum respiciant, Is enim *saucias & obligat*, Job. 5. 18. *Corpus*, ut dictum, &c. *Animam*, solatio Spiritûs sui eam obligando. *Statum* hominis afflictum, &c. auxilio suo succurrendo, & liberando. *Ecce ego faciens, ut assurgat ad justam constitutionem & sanitatem, curabo eos, & revelabo eis abundantiam pacis, & quidem stabilissimæ.* Jerem. 33. 6. Saucij ergò, ægri, afflicti quique precentur: *Sana me Jehova, & sanabor, serva me & servabor*, Jer. 17. 14.

[C.] Sed & ad *opportunitatem* capessendam ista dicuntur illis, in quorum potestate est occidere, Magistratibus scilicet; ne illam negligant, sed reos maturè occidant, quos Leges occidere jubent; *Maledictus, qui cohibet gladium à sanguine.* Jer. 48. 10. (Privatis tamen hoc etiam licet, in casu necessitatis, cum moderamine inculpatæ tutelæ: nam & tum tempus est occidendi.) Rursus ijdem sanent, ac vindicent injustè oppressos. Omnes nos occasionem saucijs, ægrotis, afflictis benefaciendi ne negligamus: Tempus est sanandi, cùm Deus objecta nobis offert. *Dum tempus opportunum habemus, simus benefici erga omnes.* Gal. 6. 10. Imitati Samaritanum. Luc. 10.

Tempus destruendi, & tempus ædificandi.

A. Si ad *hominis inconstantiam* ista referantur, evidentissima sunt. Quid enim tritius in mundo, quàm destruere, quod vel ipse ædificaveris cùm displicere ceperit; vel ædificata ab alijs demoliri, aliáve formâ reædificare? Juxta illud Poetæ Horatij:

Dirut, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Usus

Usus. Quisquis ergò priora destruit, & nova ædificat, ne putet suum opus perennaturum: mox enim succedere potest alius, qui & illa destruat, & sic porrò, &c. Adspiremus potiùs ad ædificium illud non manufactum, æternum in cœlis, 2. Cor. 5. v. 1. Ædificemus super Petram Christum, quod ædificium nullis tempestatibus everti potest. Matth. 7. ℣. 24. audiendo nimirum verba Christi, eademque præstando.

B. Si verò ad *Dei providentiam* accommodentur, certum est, Deo nolente nihil nec destrui nec erigi posse: nulla civitas, castrum, domus, tugurium: Tempore verò à Deo definito destruuntur, quæ destrui vult, ædificantur, quæ ipse vult ædificari. Exemp. *Sennacherib* Hierosolymam civitatem cum templo destruere cogitabat; sed res non successit, quia non erat destruendi tempus: *Titus* contrà servare voluit Templum, propter operis magnificentiam; sed non potuit, quia destruendi aderat tempus à Christo prædictum, Matth. 24. 2. Sic *David* Templum Deo struere voluit, Deus noluit: Tempus illius ædificandi erat, cùm filius *Salomon* regno potiretur. Prisci illi *Babylonij* civitatem cum turri prælta ædificare conabantur; sed Deus negabat successum. Quis ædificium filiorum Jobi destruxit, nunquid ruina illa à Deo dependebat? Quis Hierosolymam reædificavit, postquam à Chaldæis distructa essent; nunquid Deus, frustra obnitentibus vicinis hostibus gentis Judaicæ? Jer. 33. 7. Quis Babylon illud Romanum destructurus est, nunquid Deus? Apoc. 18. 8.

Usus I. Ergò dum videmus civitatum, castrorum, villarum, domorum destructiones, desolationes, vastationes, &c. meminerimus, tempora illa & mala in Dei esse arbitrio, & ab eo manare: eoque non ulterius grassaturos hostes, quàm illis fuerit permissum. *Rupisti omnes maceriας ejus, posuisti munitiones ejus in contritionem*, Ps. 89. 41. Confer Jerem. 51. 20. Caveamus, metuamus, ne desolationem ejusmodi super nos adducat Deus, sicuti Judeæ facturum se minabatur, *Malum ego adducturus sum ab Aquilone, & contritionem magnam.* Jer. 4. 6. Injustos tamen vastatores quoque vastatum iri, minatur Deus: *Væ tibi Vastator, &c. cùm desieris esse Vastator, vastaberis*, Es. 33. 1.

Usus II. Dum verò ædificaturi sumus quidquam, memineriimus illius, quod Ps. 127. 1. extat, *Nisi Jehova ædificet domum, frustra laborant ædificantes eam, &c.* Successum ergo & benedictionem expectemus

à Deo.

Sensu *allegorico* Destructiones Ecclesiarum à Deo. Id quidem semper conatus est Satan & mundus, totam Dei domum, h.e. Ecclesiam ejus (1. Tim. 3.15.) funditùs evellere; sed tale tempus nunquam erit: Matt. 16.18. Particulares Ecclesiæ destructæ sunt plurimæ, quando fatalis ipsarum affuit terminus, uti suprà de plantandi & evellendi tempore dictum.

Plures alias in Galliâ, Angliâ, Belgio, Germaniâ, Antichristi cohors diruere sategit, sed nihil profecit, quia non aderat, destruendi tempus, sed potiùs ædificandi; quia tantò plus Ecclesias illas crevisse constat, quantò furiosius hostes in illas grassabantur.

Sed enim ædificare Ecclesias non in hominum est arbitrio, sed tempus illud quoque penes Deum est. Paulus tempore quodam conabatur verbum Evangelij loqui in Asiâ, Mysiâ, Bythiniâ, Act. 16.6.7. Sicq; ibidem Ecclesias Deo ædificare; sed non permisit id illi Dei spiritus, quia tum nondum erat justum tempus. Ita sæpè tentaræ sunt Reformationes locis quibusdam, ut expulso Papatu Evangelium introduceretur, sed id frustrà fuit, quia non tempus.

C. Ad *opportunitatem* relata, omninò commodius hoc tempore destruitur, alio ædificatur; atque in hoc negotio prudenter temporis opportunitas, aliæque circumstantiæ observandæ: juxta illud Servatoris, *Qui ex vobis velit turrim ædificare, prius consideat, computetq; sumptum an habeat, quæ ad ejus perfectionem requirantur*: Luc. 14.28.&c. Cumprimis notandum, ut qui ædificare volet, ex partis legitimè illud faciat, siquidem velit ut ipse & posteri benedictionem Dei experiantur. Esa. 65.21,22. secus Deut. 28.30. Habac. 3.9,&c.

Mysticè. Ædificemus nos in spirituale ædificium Domino, 1. Pet. 2.5. nec quicquam eatenus destruamus, nisi errores & vitia, hoc enim ædificare fuerit. Nec etiam destruamus proximum infirmum, malo exemplo eum scandalizantes, Rom. 14.20. sed eundem potiùs exædificemus. Vide cap. 2. Homil. 2.

HOMI-

HOMILIA IV.

TEXTVS. v.4.

Tempus flendi & tempus ridendi: Tempus plangendi & tempus saltandi.

(A) QUod attinet *hominis inconstantiam, &c.* Nihil est in mundo instabilius Fortunâ, ut non immeritò pingatur volubili globo insistens, cum velo expanso, quo ventos in singula momenta alternantes, recipiat: nunc enim prospera est, nunc adversa: nunc benè nunc malè nobiscum agitur. Hinc illa quoque humani animi inconstantia, ut nunc lætetur, nunc tristetur; Hancque interiorem sui constitutionem foris tum vultu exprimit, nempe vel fletu vel risu: tum corpore toto, cùm publicè & quasi solenniter intensior lætitia, vel tristitia animi est declaranda, planctu vid. ut fit in funeralibus exequijs; aut tripudio, ut in nuptiarum solennitatibus, alijsque festivitatibus publicis. Et hanc quidem utriusque fortunæ rotationem experiuntur omnes homines: *Nemo enim est mortalium, qui gloriari possit se hujus vitæ laborum & miseriarum expertem è vitâ discessisse*, ait Gregor. Naz. de hum. nat. Sed nec quisquam tam futurus erit in Deum injurius, qui se omnis omninò gaudij expertem fuisse, aut nullam risûs materiam habuisse, profitebitur: Plerunq; enim fortunati dies numero excedunt inominatos. Summa est. Nullam fortunam vel sortem hominis stabilem esse; eoque nec fletum, risum, planctum, saltationem; sed maris instar reciprocis fluctibus decurrere & recurrere.

Usus. Nihil ergò perpetuum nobis imaginemur: eoque dum prosperè agimus, ne insolescamus nimis, quia mox insperatò adversa ingruere possunt: Rursumque in adversis constituti ne desponeamus animum, quasi res nostræ non possent mutari in melius; lætior enim fortuna brevi succedere potest. Dicamus ergò, nunc tempus flendi, erit mox ridendi; nunc plangendi, erit mox tripudiandi: & cum Davide:

Quid dejicis te anima mea, & perstrepis in me, spera in Deo, nam adhuc celebraturus sum eum, & salutem omnimodam faciei ejus, Psal.42.6. *Gaudeamus ipse*, Rom.12.12. Summa, in ista rerum humanarum vicissitudine, quæ circuli instar se habet, sequamur consilium Pauli, *Qui flent sint ut non flentes, qui gaudent, ut non gaudentes*, 1.Cor.7.30.

Si fortuna juvet, caveto tolli,
Si fortuna tonat, caveto mergi. Auson.

Sed nec invideamus cuiquam sortem opimiorem, præsertim impijs, quia lubrica illa; *Vidi improbum, ut arborem virentem: Deinde pretrii, & ecce non erat amplius: nam quæsivi eum sed non inventus est.* Psal.37.36. *In lubricis ponit eos Deus*, Psal.73.18. Erit tempus cùm flebunt, plangent, &c. Matth.9.v.15. Nec etiam ob nostrorum miseriam nimis dejiciamur, quum & illis melior aura adspirare possit.

(B.) *Deum* verò istas *vicissitudines* humanæ vitæ *moderari* indubium est: Ab ipso enim prospera, ab eodem etiam adversa quæque manant; tum publica tum privata: Proindeque is est, qui nunc materiam lugendi & plangendi, nunc ridendi & tripudiandi subministrat. *Formas lucem, & creat tenebras, facit pacem & creat malum.* Esai.45.7. *Ex ore Excelsi annon prodit malum quodq; & bonum.* Lament.3.38.

Usus. Adversus paganos ac atheos, qui cœcæ fortunæ ac casui ista transcribunt. Nos utraque tum bona tum mala velut è Dei manu accipiamus, eoque ejus dispensationi acquiescamus, nihil excipientes, aut obmurmurantes, cùm Deus rerum omnium sit Dominus, *cui licet facere pro lubitu in suis rebus*, Matth.20.15. Eoque secundis utamur grati, in Dei gloriam. In adversis simus patientes; scientes quòd diligentibus Deum omnia in bonum: Rom.8.28. qui suo tempore lacrymas in risum, planctum in triumphum conversurus est: Joh.16.20. Apoc.7.14,15,16,17.

(C.) Si verò *opportunitas* advertenda est unquam, tùm certè circa risum & planctum illud fieri debet; ut intempestivè fiat neutrum. Ducit eò Paulus Rom.12.15. *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Qui secus faciunt, similes sunt pueris illis, de quibus sodales dicunt: *Tibias cecinimus vobis, & non saltastis*, &c. Matth.11.16,17. Tum verò lætandi tempus est, quando Deus gratiæ suæ & benevolentiæ documenta ostendit: sive publicè; Nempe cùm pax undique alta, Respublicæ & Ecclesiæ florent, cùm tempora frugifera, cùm salubris aër, &c. cùm gens aut civitas

civitas liberata est è magnâ aliquâ calamitate, &c. cùm victoria obtenta, &c.

DOCTRINA.

Quin enim à Deo indultum sit gaudium decens & modicum, risusque modestus, extra dubium est. Immò ingratitudinis esset, si Deus lætitiæ materiem subministraret, in Domino non gaudere, Rom.12.

Riserunt *Abraham* & *Sara*, cùm de Isaaci genitura promissionem accepissent, Genes.17.17. c.18.14,15. Choreas duxerunt *Miriam* cum mulieribus, Exod.15.20. Similiterque Saulis temporibus, 1.Sam.11.17,18. *David* publicè saltabat, cùm deduceretur arca, 2.Sam.6.16. *Judæi* è Babylone reduces, &c. *Risu repletum fuit os eorum*, vid. Psal.126.2. Neh.8.11. *Christus* ipse exultabat in spiritu, Luc.10.21. Idem gaudium indulsit discipulis suis, Matth.9.15. Lætari verò, ridere, luxum exercere sybariticum, choreas agitare, &c. temporibus calamitosis, cùm furit undique Mars, cùm annonæ penuria invalescit, cùm grassatur pestis, cùm Ecclesia ab hostibus premitur, & vinea Domini conculcatur ab apris, &c. equidem intempestivum est, Deo abominabile, proximisque afflictis & oppressis injuriosum. Tùm non flendi & saltandi, sed lugendi tempus est. *Arca ipsa & Israel & Jehuda manent in tuguriis, & Joab Dominus meus, & servi Domini mei in superficie agri castra habent, & ego ingrederer domum meam ad comedendum & bibendum, & ad cubandum cum uxore meâ? ut vivis & ut vivit anima mea non sum facturus rem hanc:* ait *Uria* Davidi, 2. Sam.11.11. Vide supra Homil.I.c.2. & infra Homil.12. in cap.7.

In privatis verò malis lætari, aut gaudium simulare, temeritatis, aut stultitiæ est, aut insaniæ, uti faciunt hæredipetæ, qui ob decessum suorum gaudent; metuendumque talibus, ne Deum lacessant, ut sensibilius percutiantur. Tristari rursum, cùm proximus noster secundis gaudet, livoris est & invidiæ nequissimæ: uti fecêre *Cain*, *Saul*, Frater prodigi, &c. Tum enim lætandi potiùs tempus est, proximoque congratulandi. Lætari verò cùm proximo adversa ingruunt, diabolicæ est ἐπιχαιρεκακίας: tùm enim affici nos oportet potiùs ejus commiseratione, & luctum communem cum illo habere. Vide Prov.24.17. Amplam hic haberemus occasionem loquendi de *risu* & de *choreis*.

De *Risu* actum supra Hom.I. in cap.2.

Quibus hoc adjungimus, *Risum utique homini Christiano convenire, nec per se illicitum*; Quia ei certum assignat tempus, nec superiùs risum quemcunque; sed saltem immoderatum rejecit Salomon.

At, *ajunt*, flevisse Christum legimus, idque ter, Joh.11.35. Luc.19.4. Hebr.5.7. At risisse nusquam legimus. *Sed* enim an Christus riserit, nihil scire interfuit nostra. Illud verò referebat scire, quàm misericordem haberemus Dominum, qui propter nos miseros peccatores è cœlis descenderit, formâ servi acceptâ, humiliando se, ut nos exaltaret, passioneque & morte sua expiaret peccatum. Risum Deo tribuit Scriptura, Psal. 2.4. & 47.2. Prov.1.26. Et si licitum manu plaudere, quod jubetur, Psal. 47.2. Quidni & ridere? Tam illud quàm hoc lætitiæ signum.

Choreas & *Saltationes* ut non quasvis damnamus, ita γυναικωνίτιδας modernas hoc loco probari minimè existimamus. Loquitur Salomon de lætitiæ signis & saltationibus extra controversiam licitis, non de virorum & mulierum vel juvenum & puellarum pariter, vel etiam mulierum & puellarum coram viris & juvenibus ad numeros ordinatis saltationibus, cum varijs artuum agitationibus, animi lenis indicijs, & libidinis irritamentis, conviviorum minus frugalium fructibus. Severè prohibet Apostolus: *Ne idololatræ fiamus, sicut quidam eorum, sc. Israelitarum, de quibus scriptum est: Sedit populus ad edendum & bibendum & surrexerunt ad ludendum, id est, saltandum.* 1.Cor.10.7,8. Exod.32.6. Sic cùm ait Apostolus, &c. *non in κώμοις, compotationibus, &c.* κῶμος quibusdam saltationem in comessationibus usitatam, significat. Rom.13.13,14. Quàm infeliciter puellis Israeliticis suæ choreæ cesserint, vid. Judic.21. v.21,22,23. Quis fuerit effectus saltationis Herodiadis coram Herode, constat ex Matth.14. 6-11. Fœminas Christianas oportet esse verecundas, & modestas, 1.Tim.2.9. abstinendumque non saltem à malo, sed & omni mali specie, 1.Thess.5.22.

Chrysostomus Homil. XLIX. in Matthæum acriter invehitur in hujusmodi saltationes: Ubi saltus lascivus ibi Diabolus, certè adest. *Non enim ad tripudia pedes nobis præbuit Deus; sed ut modestè incedamus; non ut impudenter camelorum more saltamus, non enim solum fœminæ, sed etiam camelis turpiter saliunt: sed ut Angelorum choris insistamus, &c.* Alius ait: *In saltatione centrum esse Diabolum, peripheriam verò Angelos ejus.* Saltatores & Saltatrices nostrates Davidem aliosq; similes non melius imitantur, quàm illi, de quibus dicitur, quòd *sicut David putent se habere scientiam instrumentorum musicorum*, Amos 6.5.

HO-

HOMILIA V.

℣. 5. & 6.

Tempus projciendi lapides, & tempus congerendi lapides.

[A.] ALio exemplo *varietas* illa adſtruitur, quæ in rebus humanis cernitur, dum modò congerunt lapides, nunc rurſum diſpergunt. Cujuſmodi verò de congeſtione vel projectione lapidum loquatur ſapiens, plures ſunt Interpretum conjecturæ: communiter ad rem *ædificatoriam* referunt; ædificaturi enim lapides prius & cœmenta colligere ſolent. Sed obſtare videtur, quòd jam ſuperiùs ædificationis meminit; nec verò diſperſio vel projectio lapidum commodè de ædium dirutione accipi poteſt; quia qui in locum diruti ædificij novum conſtruere vult, rudera non diſpergit, ſed colligit potiùs ac ſervat.

Alij ad *lapidationem* facinoroſorum, alij ad *elapidationem vinearum*, Iſ. 5. alij ad *lapides ſaeculi*, quibus antiquitus pro ponderibus utebantur, ſicque ad rem mercatoriam, Prov. 16. 11. referunt: Rectiùs fortaſſe ad *inſtraronem & complanationem viarum* & ſemitarum referri poſſunt, ad quod opus lapides congeri, ac projici ſolent.

Quicquid ſit, conſtat de communi ſcopo *Salomonis*, qui hîc idem eſt ac in reliquis oppoſitis; inconſtantiam ſcilicet humani ingenij exprimere.

[B.] Quòd ſi ad *Dei providentiam* attendimus, videmus hîc eam ad minutiſſima quæque ſeſe extendere; ſic ut nec lapillus aliquis colligatur ac projiciatur abſque Dei nutu, qui & huic rei ſuum tempus deſtinarit: quò facit quod Chriſtus de paſſerculis & pilis capitis humani dixit, Matt. 10. 29, 30. Minimos pulviſculos novit Deus, in quos corpus hominis redigitur, ut ex iiſdem recolligatur in reſurrectione.

Usus,

Usus. Quantò magis igitur res nostræ, quæ majoris sunt momenti, gubernari à Deo æstimabimus! Quod serviat multiplici *consolationi*, nihil nobis nec quoad animam, nec corpus, nec vitam, nec externum nostrum statum, aut quæcunque ad nos spectant, accidere posse fortuitò, quin Deus definiverit ut fieret, imò nec lapidem mutari posse: eoque in omni eventu nos ejus voluntati committamus, eidemque subscribamus, ac in ipsum potiùs respiciamus.

(C.) Sed & in minutioribus negotijs *opportunitatem* insectandam esse, monere voluit Ecclesiastes: fieri enim potest, ut ex neglectis levioribus, maximum tamen damnum sequatur: veluti si viarum instauratio negligatur, commodo tempore peragenda, quæ non moræ ac damna peregrinantibus quibusque aut onera vehentibus plaustris oriri possunt. Sopire ignem leve opus, hoc tamen si negligatur, quantum incendij malum oriri potest? Quòd si in rebus contemptis & nihili periculosa est dilatio, quantò magis in ijs quæ æternam hominis salutem spectant; nempè ut maturè vias nostras malas (h.e. instituta vitæ perversa) emendemus: juxta vocem illam in deserto clamantis, Esa. 40. 1. Joh. 1. 23. Soli enim verè fideles & pœnitentes colliguntur à Deo, ut sint *lapides vivi* in spirituali æde Dei, quæ est ejus Ecclesia. 1. Petr. 1. 5. Reliqui obortis tentationibus & persequutionibus disperguntur & foràs projiciuntur. Chrysost. Homil. 49. in Matth.

Tempus amplectendi, & tempus longè recedendi ab amplexu.

(Plerique ad amplexum conjugalem ista referunt; nec videtur alienus esse hic sensus à mente Salomonis: sed vetat verecundia hoc pacto in Ecclesiâ pro suggestu interpretari.) Ergò, &c.

[A.] Loquitur sapiens de contrahendis nuptijs, alijsque mutuæ charitatis officijs, quibus boni amici quicunque sein vicem complectuntur. In his enim rursus observaveris humani ingenij *inconstantiam*, qui suavissimè quandoque conjunctiores sibi deosculantur, veluti parentes liberos suos, quos mox castigant increpantque: sic mollissimè alij alijs caris amicis abblandiuntur, ac conversantur, quos deinceps negligunt

negligunt,nec eodem amore fovent,ſed ad tempus charitatis exercitia intermittunt ; qualia in convivijs, diſſidijs, ludis ac converſationibus alijs adhibebant. Piget enim quandoque hominem ac tædet his adeſſe, vel intereſſe. Sic inter conjuges,blanda nunc pax, nunc rixæ & jurgia obtinent.

[B.] *Providentiâ* verò Dei conjugia & nuptiæ dirigi, docet Scriptura. Teſtim. *Quæ Deus conjunxit,&c.* Matth.19.6. *A Domino Uxor prudens.* Prov.19.14. Exemp. Deus *Adamo Evam* junxit. *Iſaaco Rebeccam*, Gen.24.7.50. *Jacobo Rachelem: Moſi Zipporam:* A Deo fuiſſe dicitur, quòd *Samſon* Philiſtæam conjugem ambiret, Judic.14.4. Sic Deus dicit *Davidi. Dedi uxores in ſinum tuum*, 2.Sam.12.8, Utut enim conjuges fortuitò conveniſſe videantur,terris quandoque remotiſſimis nati,arcano tamen Dei regimine & ductu illud fieri indubium eſſe debet: Die Ehen werden im Himmel gemacht. Connubia ſunt fatalia. Conjugia in cœlis decernuntur,in terris conſummantur.

Usus I. Ut ſi cui conjunx obtigit fidelis, prudens, pia, jucunda, conjugiumque fauſtum ac optimum,Deo acceptum ferat, eique gratias agat, inque ejus gloriam conjugale illud ſuum vitæ genus dirigat. Si verò quibus adverſa & moleſta connubia ſunt;veluti ſi maritus ſit impetuoſus,plagoſus,prodigus,flagitioſus,ignavus,&c.Si uxor impudica, vinoſa,rixoſa,rei œconomicæ imperita,negligens,vagabunda,&c. cogitent , itidem à Deo iſtiuſmodi crucem immiſſam,ad ipſos caſtigandos fortaſſe ob peccata in juventute commiſſa,(Id enim ſolenne Deo immodicam juventutis petulantiam & levitatem , conjugij ſubſequentis incommodis & adverſitatibus plectere) atque ad frugem perducendos. Eoque non furiant adverſus comparem , & Diabolum ſibi adduxiſſe dicant;non diras & mortem imprecentur;ſed in ſeipſos potiùs deſcendant,peccata agnoſcant,deprecentur, crucem patienter ferant, Deoque pro crucis mitigatione ſupplicent, vitam emendent,ac cum manſuetudinis ſpiritu conjugem exorbitantem in viam rectam reducere & emendare ſtudeant.

Usus II. Conjuges pariter communia conjugij onera portent, cogitentque ideò ſub unum jugum à Deo compactos eſſe;ut mutuò ſe invicem juvent,conſolentur,defendant.

[C.] Sed & nuptiarum faciendarum *idoneum tempus* adver-

tendum : nempè ut justa ætas attendatur. Id enim sæpè usu venit, ut nupti, quibus nondum matura ætas, ad rem familiarem gerendam minus apti deprehendantur; citiusque bona paterna abliguriant, quàm juveniles in ipsis fervores deferbuerint, destituti præsertim majorum inspectione. Suadet porrò Apostolus, 1. Cor. 7. ut illi, quibus continentiæ donum à Deo concessum est, tempore instantis persecutionis, à contrahendis nuptijs abstineant, v. 7. 8. 26. 28. quod consilium Apostoli ad tempora quoque cara ac pestifera accommodari & extendi potest.

Tempus acquirendi, & tempus perdendi: Tempus servandi, & tempus abjiciendi.

[A.] Loquitur Sapiens de divitijs, bonis ac possessionibus quibusvis mortalium, miramque rursum *vicissitudinem ac mutabilitatem* observari ostendit, tum quod illarum acquisitionem, tum etiam usum concernit.

Videmus enim eos qui facultatibus terrenis inhiant, nunc lucrari, mox verò jacturam facere: Experiuntur id mercatores ac negociatores quique: experiuntur idem agricolæ, qui nunc insignes ex terra proventus faciunt, alio tempore, ob tempestatum rigorem, laborem & culturam omnem, immò & semina in terram jacta, perdunt: aleatorum instar, qui modò lucrantur, modò amittunt.

Quod usum attinet facultatum, itidem heic ingens cernitur hominis inconstantia; nunc enim id agit, ut servet & custodiat omni studio quæ habet, nec quicquam erogare velit, ut sordidi ac invidi facere solent; Exemp. *Nabal*: alio tempore, mutatâ mente prodigè expendat, ac velut abjiciat opes suas. Scopus Ecclesiastæ optimè in his cernitur, Nempe:

DOCTRINA I.

Primò: Non nimium curæ, laboris & angoris impendendum esse in congerendis divitijs, cùm levissimè disperdantur & amittantur. Equidem caducas esse divitias, momentoque evanescere posse, qui ignorat vel inficiatur, toti mundo reclamat, omnique omnium temporum

porum experientiæ:avolant ut *aquila*,Prov.23.5. Hinc passim de lubricitate divitum scriptura loquitur:*In lubricis ponis eos*,Ps.73. 18. Job.cap. 20.v.7,8.

Usus. Attendenda ergo memorabilis illa D.Pauli commonefactio : *Divites ne efferantur animo,neq; spem ponant in divitijs,sed in Deo vivo*,1.Tim,6.17.

DOCTRINA II.

Nec tenaciter etiam ac sordidè nimis premenda & custodiendæ divitiæ,sed omninò illis decenter utendum,cùm tempus ingruere possit,quo vel nolens volens abjicere cogaris ; veluti in navigationibus obortâ tempestate cùm naves sunt exonerandæ: Act.27.18. aut cùm fugiendum ab hoste,à latronibus,in incendijs, &c. ut tanto simus expeditiores,sarcinæ projiciuntur. Matth.24.17.18. Sic prædatoribus pecuniæ vestesque quandoque projiciuntur,ut vitæ parcant : Certè mirum non est,si dein pœniteat sordidos & avaros,tanto se studio laborasse in custodiendis opibus,nec illis usos esse. Nec tamen prodigendæ sunt opes temerè, sed retinendæ cùm retineri possunt, in futuram necessitatem.

[B.] Deinde verò certum est,tum acquisitionem,tum retentionem ac decentem divitiarum usum;tum etiam earundem perditionem ac paupertatem *à Deo esse*, atque per ejusdem *providentiam* gubernari.Prov.22.2.1.Sam.2.7.

Ac primò quidem,Deum esse,qui divitias subministrat homini & tuetur,liquet ex Prov. 10.22. *Benedictio Jehova ditat*, &c. Ps.127.2. Deus promittit pijs benedictionem suam,& facultates, Deut.28.Levit. 26.idemque præstat: *Opes & divitiæ in domo ejus*,scilicet timentis Dominum,Ps.112.3.Exemp.*Salomon*. .Reg.3.13. Ideo pij opes suas Deo acceptas ferunt,ejusque benedictioni.Exemp.*Jacob*.Genes.32.10.& 33.11. *Gratiosè mihi largatus Deus*,&c. Impiorum facultates etsi & illæ ipsis obtingant non sine Deo, Job. 12. 6. non tamen ipsis in benedictionem sed maledictionem cedunt,*in laqueum*,Ps.69.23.

Usus. Opulentiores ergò gratias Deo agant: *Impar sum, ô Deus, beneficijs*,&c.Genes.32.10. opes suas conferant ad gloriam Dei,aliosque decentes usus adhibeant;scientes, quòd de illarum dispensatione Deo

rationes olim reddituri sint, Luc.16. Precentur eundem, ut bona sibi concessa clementer tueatur & custodiat; paupertatem caveat; Proverb. cap.30. ℣.8.

Deinde verò non minùs à Deo est facultatum jactura, amissio, perditio, paupertas. Pauperes enim à Deo esse & prodire testatur Scriptura: *Non desinet egens in medio huius terra*, Deutr.15.11. *Pauperes semper habebitis*, Matth.26.11. Et hoc à Deo: *Deus & dat & aufert*, Job.1.21. *Dives & pauper inter se occurrunt, efficiente hos omnes Jehova*, Prov.22.2. *Jehova depauperat & ditat*, ait Hanna 1.Sam.2.7. Et certè mille media sunt, quibus Deus utitur ad perdendas divitias, seu per quæ divitiæ pereunt & consumuntur. *Per* Dæmonas, Matt.8.32. *per* latrones & fures, Matt. 6.19. Exemp. *Job.* c.1.17. Joachim, 2.Reg.24.1,2. *per* æruginem, tineas, blattas, quibus aurum, argentum, vestes consumuntur, Matt.6.19. *Divitiæ vestræ putrefactæ, vestimenta à tineis vorata*, Jacob.5.2. *per* incendia, ut greges & servi Jobi, cap.1.16. *per* vastationes & deprædationes bellicas: Exempla passim obvia; *per* naufragia, Act.27.38. *per* tempestates, quibus segetes, vineæ, arbores atteruntur, & fructibus orbantur; *per* dolos & fraudes nefariorum hominum, qui elocatis pecunijs alijsque debitis elocatores defraudant: *per* scelera & flagitia, veluti luxuriam & superbiam, gulositatem, impudicitiam, &c. His enim qui dediti sunt, ad stipem deveniunt justo Dei judicio. *Vir egens erit, qui amat lætitiam, qui amat vinum & unguentum non erit dives.* Prov.21.17. Exemp. Prodigus, Luc.15. *per* segnitiem & negligentiam rei domesticæ, &c. *quousq; piger jacebis? Interea advenit tanquam viator paupertas, &c.* Prov.6.11. & *dedita pigritiæ, quæ ingerit altum somnum, & dolosa anima esurie*, c.19.15. *per* liberorum prodigalitatem, sub quorum sæpè manibus, bona parentum injusta, liquescunt. His & pluribus alijs medijs, Deus prout ipsi visum est, perdendi & abjiciendi tempus adducit & moderatur.

Usus 1. Ergò damnum & jacturam opum passi non tàm in media, quàm Deum respiciamus; statuentes sine Dei permissione nec Satanam, nec homines violentos quicquam nobis auferre potuisse; aut posse: eoque non acerbius adversum ipsos tumultuemur, sic judicavit Jobus, *Dominus abstulit.* Ergò *quia nemo potest auferre quod dat Deus; non timeamus nisi Deum.* Augustin. in Enarr. Psal.26. *Quod prædo injustè appetit, hoc æquissimus Judex justè fieri permisit.* Gregor. lib. 11. mor. cap.1.

Usus 2. Multò verò minus in Deum insurgamus; cùm ejus fuerint,

fuerint, quæ nobis ipsius nutu sunt ablata; suum igitur non nostrum summo jure recipere potuit, quia anteà idem dedit illud. *Postquam non abstulit nisi ipse qui dedit; sua recepit non nostra abstulit.* Gregor. lib. 2. mor. cap. 18. Nihil ergò injustum spoliatis accidit, unde injusta valdè fuerit de justâ passione murmuratio: Patienter ergò ferant, &c.

Usus 3. Quòd si qui propriâ scelerum culpâ ad inopias redacti sunt, non Deo, sed sibi culpam transcribant: Deus enim resipiscere nescios, suo tandem spiritu deserit, unde de peccato in peccatum, & detestandam ἀσωτίαν prolabuntur; unde fames & dira egestas, immò æternum tandem exitium, nisi urgente fame in seipsos reversi, ad Deum supplices contendant: exemplo Prodigi.

DOCTRINA.

In specie verò hîc observare est, quòd ea *quæ maximè fortuita videntur, nihilominus à Dei providentiâ regantur.* Quid enim magis fortuitum videtur, quàm *amittere* aliquid, idemque rursum illud invenire? Atqui & huic rei Deus tempus suum assignavit. Exemp. Saulis amittentis & quærentis asinas patris: Res à Deo recta, ut eâ occasione in Regem à Samuele ungeretur. Ita *sortes* à Deo gubernari docet Salom. Prov. 16. 33. idemq; comprobant exempla Scripturæ. *Homicidia casu facta,* Deo tamen deferuntur, Exod. 21. 13. *voluntatibus* hominum nihil esse inconstantius, Salomon hîc docet, itidem tamen illas à Deo regi: sicuti & Prov. 21. 1. Quantò plus ergò divinæ providentiæ subjacent eæ res, quarum certus est ordo in naturâ constitutus, ut cunctas illas divinitùs potenti Dei manu sustentari ac gubernari credamus. Hebr. 1. 3.

Usus. Ut totos nos, & cuncta nostra Deo commendemus.

[C.] Sed & *idoneum tempus acquirendi* observandum esse, monere voluit Salomon:

Videmus id observare formicam: *Comparat æstate cibum suum, comportat per messem escam suam,* Prov. 6. 8. Imitentur eam homines, ut dum tempus est valetudinis & sanitatis justis & legitimis medijs acquirant, ut ingruente senectâ, & corporis infirmitate habeant, unde vivant. *Propter hyemem piger non arat, mendicabit in æstate, cùm nihil aderit.* Prov. 20. 4. Hîc verò ingeminare liceat illud Servatoris, Luc. 16. 8. *Filii mundi perspicaciores, &c.* non enim est ut moneantur de congruis lucrandi temporibus

bus; norunt illi nimis benè, præsentibus temporibus calamitosissimis in rem suam uti, in turbidâ piscari, diteſcere medijs injustis, & charitati Christianæ ac ordinariæ vocationi, planè adversis; norunt illi dispicere opportunitates, quando hoc vel illo mercium genere negociandum sit: Utinam verò tandem quoque tempus resipiscendi observarent, deteriores hactenus hirundinibus.

Deinde, non minus idoneum *custodiendi* tempus observandum: ne temerè unâ die cuncta dilapidentur, ut faciunt gulosi, qui nihil pridiani faciunt reliquum, aut prodigi alij; sed futuræ quoque necessitatis habeatur ratio. *Ebriosus & comessator pauper fit, & pannunculos induit dormitator.* Exemp. *Josephi*, congerentis frumenta, Gen. 41. *Christus* non abjicere, sed colligere jubet reliquias panum buccellas, Joh. 6. v. 12. Sic *David* multum auri, argenti, &c. custodivit in futurum templi ædificium, 1. Chron. 22. *Ezechias* itidem suos habuit archivos. 2. Chron. 32. Sicque adeò custodire omnis generis facultates, sine alterius detrimento, aut charitatis Christianæ neglectu, minimè est injustum.

Sed enim ut modus in custodiendo habeatur, sciendum est, etiam Tempus esse *abjiciendi & erogandi* largiter, eamque opportunitatem negligendam non esse.

1. Primò quidem *egenis*, Gal. 6. 9, 10. Apostolus utitur voce *seminandi*, quæ cum præsenti abjiciendi verbo congruit; semina enim abjiciuntur in terram. Psaltes utitur voce *dispergendi*: *Dispergit* sc. justus, *& dat pauperibus*, Psal. 112. 9. sicut & Sapiens, Prov. 11. 24.

2. Abjiciendum est, quod *honori* nostro & amicitiæ propagandæ seruit, Ein Ehrpfenning: Was zu Ehren außgeben wird kompt doppelt wider. Sordidi tenent, cum erogandum est, & vicissim.

3. *Magistratibus*, urgente communi necessitate; *Reddite omnibus quod debetis, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal*, Roman. 13. v. 7. Quod enim quis facit in itinere, idem faciat in patriâ & civitate: Invasi à prædonibus satius ducunt vestes & nummos perdere, quàm vitam: Ita & nos libenter temporibus calamitosis juvare Magistratum oportet, ut patriam, vitam, religionem retineamus. Wehrpfenning. Confer Job. 2. 4.

4. Sed & cùm *fidei* causa agitur, ut vel fidem, vel opes & vitam perdere cogamur; tum certè tempus est abjiciendi opes & vitam, cunctaque

ctaque terrena deserendi; contrà tempus est retinendæ fidei, confessionis, animæ, salutis æternæ, Matth. 10. 39. *Qui emunt sint ac si non possiderent* 1. Cor. 7. 36. imitandi hîc Apostoli, qui *reliquerunt omnia Christum secuti*, Matth. 4. 22. *Ecce reliquimus omnia*, ait Petrus. Matth. 19. 27. Martyres, alijque Sancti.

HOMILIA VI.

in ℣. 7. & 8.

Tempus lacerandi, & tempus consuendi.

AD minutiora devergit Sapiens, vestimenta sc. quibus induimur, atque in illis quoque hominis vertiginem, Dei providentiam, temporis opportunitatem advertendam esse ostendit.

[A.] Quod enim primum attinet, magnam utique animadvertere licet *contrarietatem & inconstantiam hominis* circa vestitum. Nunc enim lacerat vestem detritam & inutilem, nunc novam consuit: nunc priorem rescindit, inde transformat & resuit: nunc in luctu constitutus disrumpit, fissuramque illam postmodum resarcit, cùm mœror subsidit, qui Hebræorum mos erat. Videtur autem Salomon alludere ad sui seculi mores, quo libido peregrinarum vestium percrebuit; sic ut indigenarum vestium pertæsi, quæ peregrè afferebantur à mercatoribus (2. Chron. 9. 24.) magis allubescerent, easque vel avidi sibi precio compararent, vel disruptis aut resectis consuetis vestibus, ad formam exterarum gentium resuerent. Muliebrem cumprimis sexum, probabile est, imitatione peregrinarum fœminarum, quarum complures Salomon in thalamos assumpserat & deperibat, ad mutationem patrij & consueti habitûs, fuisse inductum: præsertim cum Salomonis pacificis temporibus, luxus & deliciæ quævis insolentius invalescerent. Quæ quidem varietas & inconstantia, in consuetudinem, (sanè deplorandam) apud nos quoque abijt. Quis enim cives nostros juniores hodiè-

diè à Gallis, Italis, Hiſpanis diſtinxerit? quis à Comitibus, Principibus? Quis multiplicem varietatem enumerarit, quam paucis ab hinc annis, muliebris ſexus habitu ſuo inſtituit? Ad quam levitatem emendandam nihil hactenus annonæ difficultas, nihil bellici tumultus, nihil Magiſtratûs edicta, nihil Miniſtrorum clamores proficere potuerunt: quin immò quantò plus decreſcere iſta vanitas hoc rerum ſtatu debuiſſet, tantò amplius increvit. Jam verò ut vanitas iſta argumento quidem eſt inconſtantiæ ingenij humani: ita certè metuendum eſt, ne prodromus ſit magnæ quoque alicujus & calamitoſæ mutationis, ſeu imminentis alicujus magni judicij Dei. Quàm enim diſpliceat luxus iſte Deo, quamque ad eum caſtigandum propendeat, liquet ex capite tertio Eſajæ fusè. *Viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis, & ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrinâ.* Zeph.1.8. Ferunt Hiſtorici de Beelſchazare ultimo Babyloniæ Rege, quòd acinacem Perſicum præcinxerit, quod mali rem eſſe ominis dynaſtæ ipſius judicabant: eventus id clarum fecit, nam in Perſarum manus mox regnum illud devenit. Ita metuendum nobis, ut quorum veſtes tantopere ambimus, nobis tandem in virgam efficiantur.

(B.) Jam verò Dei *providentiam* ad iſtam ſe quoque demittere, his teſtatum facere voluit *Salomon*. Tempus eſſe ut Deus indulgeat, & conſuere permittat: non neceſſaria modò, ſed & luxurioſa veſtimenta. Tempus itidem eſſe, ut veſtes ejuſmodi atterantur, diſrumpantur, conſumantur à tineis & putredine, Jac.5.2. Job.13.28. rapiantur; aut ex mœrore & luctu (ut uſitatum erat antiquitus) ob triſtem aliquem caſum, & publicam calamitatem, lacerentur. Deum enim nunc flendi, nunc ridendi, nunc plangendi, nunc ſaltandi materiam præbere, ſupra ℣.4. viſum eſt. Ideoque jam non repeto. Summa, nec conſui nec lacerari veſtes, ſine ejus numine & nutu.

In genere verò Deum etiam veſtium hominis rationem habere, liquet: quòd is primò omnium primos parentes docuerit, è pellibus, coriaceas ſibi veſtes conſuere, Gen.3.21. Quòd Iſraëlitarum veſtes & calcei, toto tempore XL. ann. peregrinationis per deſertum non conſumebantur. Deut.8.4. & 29.5. Quòd diſcipulis in itinere veſtes non defuerunt, Luc.22.31. Quòd Servator Matth.6.32. ſuis de amictu Deum non minus atque de victu proſpicere teſtatur.

Usus. Ergò, quod ibi Chriſtus monet, agamus, ne ſimus ſolici-

ti,

ti,&c.Fidamus ipsi,&c. Sinque corpus amiciat,quidni vitam tuebitur? si hanc,quid ni & animæ salutem procurabit? si verâ fide ejus promissionibus fuerimus innixi.

(C.) Sed & memores esse nos oportet *opportunitatis :* semper quidem lacerandi est tempus,quia omnes vestimenti instar, cum vestimentis nostris consumimur.Psal.102.27. non semper tamen consuendi est tempus, ut multum curæ in nitorem & numerum vestium impendatur:sunt enim tempora senectæ,quum multis non est opus vestibus; sunt tempora tristia,quibus saccis potiùs,quàm vestibus opus est : sunt tempora bellica , quibus nihil ab hostibus est tutum : unde Servator Matth.24.18.negat,vestes esse repetendas illis, à quibus fuga sit acceleranda:sic alia alias vestes decent tempora, &c. omninoque in his prudentia & moderatio attendenda.

Mysticè : Operam demus, ut indies vestis veteris Adami in nobis atteratur & consumatur, eandemq; exuamus & deponamus: Eph. 4.23.24.laceremus corda. Joel.2.13.Contra induamur novo habitu, qui Iuci conveniat, armaturâ spirituali, Christo Jesu, vesteque illâ nuptiali,&c. Rom. 13.14. Eph. 6.13. & seqq. Matth. 22.11. Apoc.19.8. Vestis illa nunquam veterascet,sed illâ induti æternùm triumphabimus in cœlis, Apoc.7.13.&c. Amen.

Tempus tacendi , & tempus loquendi.

(A.) Nulla penes hominem major *varietas ac vicissitudo*, quàm tacendi & loquendi : his enim totum vitæ suæ tempus consumit, ut nunc loquatur, nunc taceat : immò nunc loqui vel verbum pigeat,mox picâ loquacior deprehendatur ; modoq; taceat,quæ scit,modò loquatur,quæ nescit; Nemo est qui tacuerit semper nisi mutus;nemo qui locutus sit semper.Quæ sermonis & silentij ratio;eadem est omnium rerum humanarum;nempe quòd in perpetuâ versentur vicissitudine & permutatione ; vixq; clariore id exemplo Sapiens exponere potuisset.

(B.) Sed enim,& sermo & silentium hominis,*à Dei providentiâ* reguntur. Quæcunque *profamur* utilia & commoda in Dei gloriam,& proximi ædificationem,non nisi ab ipso : quippe *sine quo nemo potest Jesum dicere Dominum*,1.Cor.12.3. Is est qui dat *os,linguam & sapientiam*.

entium. Apostoli cœperunt loqui linguis alijs, *prout spiritus ipsis dabat proferi.* Act.2.4. *Esaiæ* labia tangebantur ab uno ex Seraphim, cap.6.7. *Jeremiæ* similiter, conquerenti de suâ infantiâ, cap.1.9.os à Jehova factum. Ita *Mosi* objicienti, quòd sit impeditâ linguâ, respondet Deus: *Quis statuit homini os, &c. Nunc itaque i, ego adero ori tuo, & docebo te, quæ locuturus es,* Exod.4.10,11,12.

Sed & *impiorum* ora & linguas regit Deus, ut dum impiè, contumelioseq; loquuntur, sua tamen arcana judicia exequantur. Exemp. *Simei,* de quo *David: Jehova dixit ei, maledic Davidi, &c.* 2.Sam.16.10. *Caiaphas,* de quo Johannes, *quòd non ex se locutus sit, sed prophetarit,* Joh.11.51. Idem verò *Deus* est, qui & *linguam* hominis *cohibet,* ne blasphema, scelesta, indecora effutiat; aut hominibus profanis prostituat mysteria sacra, aut alioquin silentio sacro premenda. Sic quòd *Joseph* diu fratribus se non prodidit, à Deo factum, qui illos ad agnitionem peccati hoc pacto perducere voluit.

(C.) Cumprimis verò morale præceptum edere *Salomon* voluit, ut *opportunum loquendi, tacendique tempus* advertamus: neque enim loquendum semper, nec tacendum semper. Si tamen de utroque judicandum; majus periculum est in loquendo, quàm tacendo: ideò Jacobus cap.1.19.monet: *Sit omnis homo celer ad audiendum, tardus ad loquendum.* Et hoc Natura ipsa docet, quippe quæ homini geminas aures, linguam autem unicam accommodavit, quòd eum deceat plura audire, quàm loqui: & præterea linguam labijs & dentibus vallavit & concluſit, ne verba temerè prolaberentur. Hæcque causa videtur esse, quòd Ecclesiastes noster priùs tacendi temporis, postmodum loquendi temporis meminit: prius enim in silentio attendendum, meditandum, discendum, quid, ubi, quando, ad quos locuturus sis; uti monet Siracides cap.18.20. *Antequam loquaris disce. Et Hieron. Diu considera quid loquendum sit, & adhuc tacens provide, ne quid dixisse pœnitcat.* Dispiciendum ergò prudenter tacendi loquendique tempus.

Tacendi inquam primò, juxta illud Syr.20.6.7. Nam ab omni abstinendum sermone malo. Eph.4.29. Dein tacere convenit in publicis cœtibus, præsertim mulierculis: *Quòd si non sit interpres taceat in Ecclesiâ, sibi ipsi vero loquatur ex Deo. Mulieres vestræ in conventibus sileant,* 1.Cor. 14.28.& 34. Sed & quandoque ad obtrectationes & convitia obmutescendum

cendum, ac obsurdescendum. *Ne respondeto stolido secundùm stultitiam*, Prov. 26. 4. *Ego tanquam surdus non audiebam, custodiam os meum claudam &c.* Ps. 38. 14. 15. & 39. 2. Exemp. *Davidis* à Simei lacessiti, 2. Sam. 16. 10. *Christi*, 1. Pet. 2. 23.

Si vis ulcisci sile, & funestam dedisti plagam.

Nempe cùm de nostrâ constat innocentiâ; nemo adest judex aut vindex: nec aliud lucramur, quam ut maledicum amplius irritemus, satius est tacere. Tacendum *porrò* coram eo genere hominum, qui à nobis scisciantur & exquirunt, quod ad alios continuò perferant, cujusmodi sunt nugigeruli, rumusculorum captatores & disseminatores, de quibus utile præceptum dat Horatius:

Quid de quoque viro, & cui dicas sæpè videto:
Percunctatorem fugito: nam garrulus idem est:
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures,
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

Quin & tacendi tempus illis semper esse debet, qui non nisi inepta, stolidaque loqui norunt. Quo respexisse videtur *Pythagoras*, qui quinquennij silentium initiatis suæ disciplinæ auditoribus injungebat, ut eruditi priùs loquerentur. Huc pertinet vulgare monitum: *In convivio senes esse debere vocales, juvenes, rerum adhuc imperitos, mutos, mediocris ætatis homines, consonantes.*

Cumprimis verò sacro silentio premenda sunt illa, quæ in Senatu, aut similibus conventibus sunt deliberata & concluſa, ne ante tempus propalentur: tum etiam quæ sanctâ fide, cuipiam sunt secretò concredita: aut citra damnum & contumeliam proximi dici non possunt. In ejusmodi casibus, taciturnitas egregiam sanè laudem meretur: hominemque à pluribus periculis, contentionibus tutum præstat, ut verè Apollonius apud Stobæum serm. 37. dixerit: *Loquacitatem multos habere errores, silentium tutum esse. Xenocrates* cuidam roganti, cur sileret? Quia, inquit, dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. *Euripides* cuidam graveolentiam oris sibi objicienti respondit: *multa secreta in ore meo computruerunt. Pythagoras*, cùm secreta quædam ab eo peterentur: *Ererem, aut, tunicam, si eam putarem rerum mearum conscium. Pythagoram* imitatus adolescentis *Papirius*, qui ne quidem Matri, quod actum in Senatu, dicere voluit. *M. Cato Uticensis* taciturnitate sibi vitio datâ, ità se defendit; *Carpant*, inquiebat, *taciturnitatem, modò vi-*

tam probent. Epaminondas cumprimis inde laudatur, quòd vix visus sit, qui plura sciret, & pauciora loqueretur. Si *Simson* tacuisset, nec secreta sua Dalilæ prodidisset, non perdidisset fortitudinem & vitam. Judic.15.16. *Nocet esse locutum, &c. Qui custodit os suum, conservat se ipsum, qui divaricat labia, contritio ei*, Prov.13.3. Confer Jac.3.3,4. &c.

b. Culpanda tamen omninò δυσωπία. Ideo Sapiens addit, *Tempus loquendi:* Modus enim servandus in omnibus, eoque non semper obmutescendum. *Simonides* cuidam in convivio perpetuum silentium servanti, aptè dixisse fertur: *Si es stultus sapienter facis, sin sapiens, insipienter, videlicet tacendo semper.* Neque enim frustrà Deus hominem linguâ & sermonibus præ reliquis animantibus dotavit.

Ut tamen sermo noster commodus sit & laudatus, opportunitas, tempus, locus, &c. observari debent. Text. *Tempus est loquendi:* & Prov.25.11. *Velut mala aurea cum signis argenteis, est verbum dictum commodè.* Neque enim minus periculum semper tacuisse, quàm nunquam: alioquin *Esajas* væ sibi non dixisset, quia *tacuerat*, Esa.6.5. nisi tacuisse quandoque malum foret: queritur enim quòd nunquam purè Deum linguâ suâ glorificarit. Sic vitio versum *Eli*, quòd silentio præterijt filiorum scelera, 1.Sam.3. *Prophetis*, qui peccatorem non monebunt, exitium minatur Deus, Ezech.33.8. Sic *Judicibus* justitiam non loquentibus, Ps.58.2. Loquendum igitur omninò cùm gloriæ Dei, nostræ salutis, ædificationis proximi interest. Necessaria cumprimis confessio, tùm peccatorum, Ps.32.3.5. tùm fidei, Rom.10.10.

Scitè monet *Ambrosius*, 1. Offic.cap.2. *Si pro otioso sermone rationem reddemus, videamus, ne & reddamus pro otioso silentio.* Observandum Judicibus, Ministris, Parentibus, &c. ne sint muti canes. *Augustinus* de Hæresibus, capite sexagesimotertio meminit, Pattalorynchitas in tantum silentio studuisse, ut naribus & labijs suis digitum opposuerint; hâc in re Prophetas se dicentes imitari, Vid. Ps.141.3. & Ps.34.14. & Jacob.3.2. & Ps.39.2. Quibus dictis non perpetuum silentium, sed linguæ moderatio commendatur, & à Deo expetitur: quæ quidem preces continuò nobis sunt iterandæ; ut auream tacendo loquendoque mediocritatem servare valeamus.

In cœlis olim nullum erit silentium, sed continua Dei celebratio, Esaj. 6.3. ad eam adspiremus, tacendo mala, loquendo bona, cuncta ἐυκαίρως agendo.

Tem-

Tempus dilectionis, & tempus odij.

[A.] Affectus amoris & odij creberrimas habet in *homine mutationes & vicissitudines*; tùm respectu diversarum personarum & rerum: has enim amore, illas odio prosequimur; ita contrarietas est in hominis animo, & affectus contrarij: tùm unius personæ respectu & rei, quam nunc deperimus, mox odio prosequimur.

Usus Non ergò confidendum in hominum gratiâ & favore. Herren Gunst ist übernächtig/pridianus est, Prov.23.3. Experti *Jacob* cum posteritate, Moses, David, Daniel, Johannes Bapt. Nec tantopere turbemur hominum odio, quia cùm homines sint mutabiles, reconciliari possunt, ut jam dicetur.

[B.] Etenim *amores & odia* hominum *à Deo* quoq; *gubernari*, inde patet: quia Deus amorem conciliat homini cui vult. Exemp. Joseph, David apud Saulem primò. Daniel & socij: quia idem hostem excitat homini, & adversarium, &c. Luc.21. quia denique, inimicum conciliare potest illi, quem benevolentiâ prosequitur. *Quum benevolentia persequitur vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei.* Prov.16.7 Sic Deus conciliavit *Jacobo* Labanem. Gen.31.29. Esavum, Gen.33.1.4. Josepho præfectum carceris, Genes.39.v.4. *Danieli* Aspenacum, Daniel.1.v.9. Mardochæo Asuerum, Esth. 6.3. Apostolis Gamalielem, Actor.5. Ecclesiæ Saulum, Act.9. Paulo Pharisæos, Act.23.9. Tribunum v.23. Julium Centurionem, Act.27.3.

Usus 1. Ne hominum inimicitias nimis reformidemus, cùm Deum timemus, potest enim is hostes nobis vel conciliare vel perdere.

Usus 2. Ne de hominum gratia vel largitionibus vel adulationibus, aliisque illicitis mediis comparandâ satagamus, quia Deus sine nobis id potest, si ipsi confidamus.

[C.] *Idoneum* denique *tempus* amandi, & odio habendi observandum. Nemo quidem odio habendus, ne quidem inimici nostri, nedum Justi: Matth.5. 44. Cùm tamen in hostes & osores Dei degenerant, dum vel ipsi peccatis suis Deum lacessunt, aut nos à Dei dilectione deducere intendunt, justæ sunt adversus ipsos inimicitiæ, & odium tum legitimum: Ratio, quia Deus diligendus imprimis, & ad hanc normam etiam homines, nempe dum Deum diligunt. Ideò David Psal.139.21,22.

Nonne odio habentes te odi Jehova, & insurgentium in te tædet me. Perfecto odio odi illos, &c. quanquam non tam peccatores, quàm peccatum in illis odio habendum sit; ut illud vel extirpemus, vel pro re natâ, vindicemus. Exigit *dein* Christus ejusmodi odium etiam adversus genitores nostros, aliosque nobis conjunctissimos: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atque adeò etiam animam suam, non potest esse meus discipulus.* Luc. 14. 26. Quin immò tempus quandoque venit, ut ipsi animas nostras odisse debeamus propter Deum; l. cit. Hæc omnia cum tempore; nam aliàs parentes nostros amore intensissimo prosequi oportet: tum etiam carnem nostram procurare convenit: Nemo enim suam carnem odio habuit, Ephes. 5. v. 30. *Ambrosius* versans quæstionem, quo pacto nostrorum præcipiatur odium, Matth. 16. 24. cùm inimicorum injungatur amor? Christum auctorem utriusque præcepti inducit respondentem: *sed non legisti*, inquit, *tempus amandi & tempus odio habendi*: De quo hoc dicit Ecclesiastes? Nonne de eo, quod ratione temporis fiat, ut piè & amare & odisse possimus; ut quos dilexeris odisse, & quos oderis amare conveniat? Odium item deponendi, proximumque rursum diligendi tempus observandum; *Sol ne occidat super exacerbatione vestrâ*; Eph. 4. 26.

Denique semper omnique tempore diligendus Deus, semper contrà odio habendus Satan, qui κατ' ἐξοχὴν inimicus noster vocatur, Matt. 13. 28. 39. inimicitiasque perpetuas gerit & implacabiles, jam inde à funesto protoplastorum casu. Gen. 3. 15. quin etiam vitia nostra ac malignas & effrænes passiones, &c.

HOMILIA VII

Tempus belli & tempus pacis.

IN priore hemistichio hujus versûs, sapiens de odio & amore dixit, quæ inter privatos & singulos homines vigent: Quia verò privatorum odia non rarò in publica bella exardent, rursumque singularium personarum compositiones publicam pacem restituunt, & pacis fœdera commu-

communia promovent: ideò nunc de *bello & pace* appositè subdit Ecclesiastes. *Tempus belli, &c.*

[A.] Itaque rursum cernere, heic est *rerum humanarum levitatem & volubilitatem.* Inde enim à mundo sic fuit, ut nunc bella atrocia grassarentur, nunc pax publica vigeret, atque in hæc usque tempora gyrus iste volvitur. *Abrahamus* modò pacificè degit, sub quercu Mamre, nunc cum regibus bella miscere cogitur. Gen.13.18. c.14, &c. *Judicum* temporibus nunc terra quievit ab incursionibus hostilibus vicinorum; qui mox dira bella in Israëlitas moverunt. Tempora *Salomonis* erant pacifica, 1.Reg.4.25. contrà Davidis aliorumque tempora, erant bellorum plena. Nec opus exemplis: *Germania* nostra ante horrendum Cometæ portentum, qui anno 18. apparuit, altâ fruebatur pace: nunc tota bellis continuis in hunc usque diem vastata miserrimè horret.

Usus. Dum pax est, ne perennem nobis imaginemur; sed piè & grati illâ utamur; non ad luxuriam & scelerum licentiam, quæ prodolor communis pestis, pacem profligare solet, uti fateri nemo non cogitur, sed ad pietatis & justitiæ exercitationem. Ne novum nobis videatur, si bella sint & ingruant, quia præsentis mundi sic fert ratio; Tempus est belli: novissimo præsertim tempore, ut Matt.24.6. à Christo prædictum. Dum bella vigent, ne despondeamus animum; nam & illa tandem desinere oportet, & Pax beata redire, si seriâ pœnitentiâ ad Deum convertamur. *Si convertatur gens à malo suo, contra quam locutus fuero pœnitebit me ejus mali, quod cogitaveram facere ei,* Jer.18.17. *Utinam populus meus obtemperasset mihi, Israel in viis meis ambulasset. Brevi tempore inimicos eorum humiliassem, & contra hostes eorum vertissem manum meam.* Psalm.82.14. Bella quæque destinato sibi tempore finita sunt, secuta pax, &c. Apoc.8.1.

[B.] Sed nunc ostendendum est, *Bellum & pacem à Deo esse, ejusque regi providentiâ,* adeoque pro ejus nutu nunc belli nunc pacis tempora alternari. Si enim minima quæque providentiæ Dei subjicent, quanto plus Bellum & pax, quibus integræ civitates, populi, regiones, regna pessundantur ac evertuntur; aut plantantur & eriguntur. Dicta comm. *Ego Jehova & nullus præterea, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Jehova facio omnia ista.* Esai.45.7. *Ex ore excelsi annon bonum prodit & malum?* Thren.3.38. *Sunt qui dicunt*

cum

cum animo suo, Jehova neque bonum facit neque malum. Eruunt facultates eorum direptioni, &c. Tzeph.1.12.

(a.) Peculiariter *bella à Deo esse*, liquet:

1. quia Deus illa immorigeris & impœnitentibus comminatur. *Quod si istis non erudiemini, inducam contra vos gladium ulciscentem ultionem fœderis.* Levit.26.23.25.

2. quia Deus dicitur Reges & populos excitare, advocare, immittere, illisque ceu organis uti, ad bella & clades alijs inferendas. *Væ Assur virga iræ meæ, quamvis in manu baculus est indignationis meæ, in gentem hypocriticam immittam ipsum, &c.* Esai.10.5. *Nam cùm attollens vexillum ad gentes è longinquo, & sibilans advocaverit ad se ab extremo terræ, ecce citò velox adveniet exercitus.* c.5.26. *Excitaturus sum Chaldæos, &c.* Habac.1.v.5,6,7. Item gentes & civitates invicem committere, ut se mutuò perdant, 2.Chron.15.6.Apoc.6.4.Matt.24.7.

3. Deus ipse belligerare dicitur, Jos.10.42. acuere & expolire gladium, Ezech.21.3.9.&c. Bella dicuntur esse Domini, quæ adversus Ecclesiæ hostes geruntur; Itemq; Exercitus esse Jehovæ: 1.Sam.18.17. &25.28. Christus Dux militiæ Domini dicitur, Jos.5. Deus vocatur Jehova, vel Deus exercituum.

Bellorum dein *acta & eventus à Deo regi*, & dirigi, ejusque providentiâ gubernari, vel inde liquet, quòd victoriam, vel clades passim Deo tribuit Scriptura, sic ut penes ipsum stet, dare victoriam, cui vult parti. *Equus aptatur ad diem prælij, sed Jehovæ est salus.* Prov.21.31. *Dextera Jehovæ facit fortitudinem.* Psal.118.16. *Deus dat salutem* (victoriam) *Regibus.* Psal.144.10.

Deus ipse sibi victoriam tribuit ac asserit, ejusque laudem hominibus detrahit, nevé sibi arrogent interdicit. *Ne dicas cum animo tuo virtus mea, &c.* Deutr.8.16,17,18. & 9.4,5,6. *Pugnaverunt contra vos Jerichuntini, Emorrhæi, quos tradidi in manus vestras: misi ergò crabrones ante vos, &c.* Josu.24.11,12.

Deus dicitur hostes in manus tradere illis, quibus victoriam largitur: hostes conterere, subjugare, fugare, perimere, &c. Num.21.34. *Mosi* vid.Og regem Basan. Et Deutr.2.24. c.9.3.c.20.4. Sehon Regem Hesbon Amorræum. Ita Jos.10.8.c.24.11.

Deus dicitur hostibus immittere terrorem, (Panicum sc.) quo

conci-

concidant, aut in fugam vertantur. *Imponam pavorem & timor eum tui populus sub universo cœlo, qui audientes famam tuam trepidabunt.* Deut.2. 25.Sic cap.11.25. Sic 1.Sam.7.10.cap.14.15. 2.Chron.14.14.

Deus dicitur egredi ante exercitum suorum, Ducis instar: *Jehova, qui transit ante te, ignis consumens.* Deut.9.3. Jud.4.14.2.Sam.5.24.

Deus dicitur Duces militesque animare, virtutem & fortitudinem ijsdem largiri, ad præliandum armaque tractanda aptos facere. Fassus *David: In Deo transiliam murum, Deus qui accingit fortitudine.* Ps. 18.30.31.& seqq.Ita Ps.144.1. *Benedictus Jehova rupes mea, qui docet manus meas præliari, & digitos meos bellare.*

Quò minus numero aut multitudini militum victoria deferatur, testatur Scriptura de Deo, quòd facillimum sit ipsi paucissimis ingentem exercitum fundere. Promissum, *Quini ex vobis persequentur centenos, & centeni myriades.* Lev.26.8.quod & præstitum legimus. Exemp. *Gedeon*, Judic.7.v.2.7.20. *Jonathan*, 1.Sam.14.1.6. *Assa*, 2.Chron.14. 9.&c. *Judas Maccabæus*, 1.Macc.3.17,18. Ideò jubet Deus non exterreri numero hostium. *Si dices in animo tuo, maiores sunt iste gentes me: quomodo possum expellere eas: Ne timeto ab eis.* Deut.7.17.18. Ita *Elisæus* ministro ait: *Ne metuito, plures qui vobiscum, quàm qui cum illis.* 2.Reg.6.16.

Quò minus virtuti experientiæ Imperatoris ac Ducis victoria deferatur, quod ipsum quoque pernegat scriptura; Deus mulierculorum operâ usus est in expeditionibus faciendis, quas victoria illustris subsecuta est. Exemp. *Debora*, Judic.cap.4. *Semiramis*, *Elisabetha Angl.*

Præsidijs externis, uti sunt gladius, clypeus, hasta, equi, currus, arcus, arces ac munitiones, fœdera, victoriam passim pij detrahunt, soliqué Deo ascribunt. Ita *David: Hi in curru fidunt, & in equis, at nos nomen Domini memorabimus.* Ps.20.8. Ps.44.4.7.8. & 147.10.1.Sam.17.45. *Nam non salvatur Rex in multitudine exercitus: potens non evadet in multitudine potentiæ, Mendacium est equus ad salutem.* Ps.33.16. Secus Jebusæi, qui munitione loci freti, *Davidi* illudentes, temeritatis pœnas luêre, 2.Sam.5.6.

Pij Duces & milites, quia ipsis constabat, à Deo solo esse victoriam, eandem prius devotè precibus à Deo postularunt. *Mosè*, cùm pugnaretur contra Amaleck, Exod.17.11.&c. Num.21.2.3. *Samuel*, 1.Sam. 7.8.&c. *David*, Ps.60.& 35.1.&c. *Asa* pugnaturus contra Æthiopes, 1.

Chron.14.11. *Ezechias* Sannheribo invadente.1.Reg.19.19. *Maccabæi*,lib. 1.c.3.4.53:c.4.30.&c.cap.7.40. 2.Mac.8.14. *Theodosius* Imperator, Oros. lib.7.c.34.35.

Ijdem in nomine Dei,os Domini consulentes antè, 1.Sam.23. 2.c.30.8.2.Sam.5.23.ejus etiam præsidio & auxilio consili,hostes aggressi sunt. Ita *David* Goliathum, 1.Sam.17.45.Vide Ps.44.6.& 108.14.& 118. 10.&c. *Omnes Gentes circumdederunt me,in nomine Jehovæ succidam eos.*

Partam victoriâ non sibi,sed Deo soli deferunt & transcribunt. *Non gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos, sed dextra tua,& brachium tuum, &c. In te hostes nostros cornu petemus,&c. Non in arcu meo sperabo, &c. In Deo laudabimus omni die.* Psalm. 44. vers. 4.6.9.

Ob victoriam impetratam Deo gratias referunt *Israelitæ*.Ex.15. 1.&c.& v.21. *Debora*, Judic.5. *David*,Ps.118.15.&c.Ps.124. *Maccabæi*.1. Macc.4. 24.

)(Negata similiter aut perdita victoria offenso & irato Deo (suis etiam) transcribitur; quoscunque demum illi exercitus & quantoscunque, aliaque bellica præsidia habuerint.Exemp.*Josiæ*.2.Chron.24. 24. Clades ad Ai, Jos.7.4.5.6. Israëlitæ cæsi ab Amaleckitis & Cananæis,Num.14.41.&c. Deut.1.43,44. Minatus id Deus inobedientibus: *Faciet Jehova,ut cadaris coram hostibus*.Deut.28,25.Conquesti eâ de re Judæi.Ps.89.44.& 108.12.

Usus. Ne ergò casui, aut inquietudini & ambitioni hominum, aut Satanæ perversitati bella in solidum ascribamus; sed in Deum respiciamus, qui tempus bellis definivit, peccatis nostris irritatus, quæ sola, si quid usquam aliud,malorum nostrorum causam esse, quæ Deum impulerit,agnoscamus. *Quid exclamares propter contractionem tuam, & dolorem mortiferum? propterea quòd multa est iniquitas tua, numerosa sunt peccata tua,facio ista tibi*.Jerem.30.15. Sic Thren.3.39.40.&c. Is tamen qui tempora mutat, & hoc tandem belli mutabit, si destiterimus mundo, carni, satanæ militare.

CON-

CONCIO VIII.

In eundem Textum.

Tempus belli, & tempus pacis.

(b.) PACEM itidem *à Dei esse manu*, & ab ejus nutu pendere, clam est è Scripturâ.

Obsequiosis eam promisit: *Dabo pacem* (scilicet *si ambulaveritis in statutis meis*) *in terrâ illâ, ita ut cubetis, & non sit qui exterreat.* Lev. 26. 6. *Videbis pacem* (si scilicet Dominum timueris) *super Israel.* Ps. 128. 6.

Data à Deo Israelitis. Jos. 21. 43. 44.

Pax recuperata, Deo accepta fertur à *Davide*, Ps. 46. 8. &c. à *Salomone.* 1. Reg. 8. 56.

Pax præterea à Deo petenda; *Attollat Jehova faciem erga te, & apponat tibi pacem.* Num. 6. 26. *Vovete pacem Jerusalem.* Ps. 122. 6.

Deo propter pacem agendæ gratiæ: *Lauda Jerusalem Jehovam, lauda Deum tuum in Zion: Quoniam roborat vectes portarum tuarum, benedixit filijs tuis in medio tui, posuit terminum tuum pacem, adipe frumenti saturat te.* Ps. 147. 14.

USUS. Nihil juvant consultationes de pace, conventus, &c. Si tempus nondum adsit paci à Deo pacis authore destinatum, cuncta in fumum abeunt. Experientia loquitur: Sin illud appetit, Deus mirabiliter media suggerit, articulos partibus acceptos facit: ita bellum solvitur: frustra Satana & furijs obstrepentibus. Statuamus ergò tempus paci non adesse, &c.

Pacem à Deo exoptemus. Da pacem Domine, *Ostende nobis misericordiam tuam, Jehova, & salutem da nobis. Audiam quid loquatur Deus Jehova: quoniam loquitur pacem ad populum suum, &c.* Ps. 85. 8. 9. & Ps. 122. 6. & Ps. 51. 20. *Ædifica muros Jerusalem.* Dabit Deus si sat ob peccata castigavit populum suum, tum enim paci tempus. Ita promisit Deus populo suo pacem & benedictionem postquam satis eos per Babylonios

castigasset. Zach. 8. 2, 3. Jes. 10. 12. Dabit Deus pacem si resipiscentiæ & sanctitati studuerimus. *O si attendisses ad præcepta mea: Ita fuisset tanquam flumen pax tua, & justitia tua ut fluctus maris.* Esa. 48. 18. *Utinam populus meus obtemperasset, &c.* Ps. 82. 6.

Neque adeò de pace reducenda desperemus. Erit & redibit tandem & pacis tempus. Post nubila Phœbus. Patientiâ opus, sed & resipiscentiâ.

[*Apparet hinc Conciones istas habitas pace Imperij nondum conclusâ, Proceribusq; eam ob rem Monasterij & Osnabrugi congregatis.*]

(C.) Sed & *belli pacisque faciendæ opportunitas* probè advertenda est, ac justum tempus utriusque.

Ac initiò quidem observandum, si juxtà divinam *Salomonis* sententiam tempus certum sit belli à Deo destinatum, *licitum utique esse Christianis Magistratibus bella contra hostes suscipere legitima:* neque vocationi Christianismi repugnare, privatum in legitimo bello militis partes suscipere.

Contra *Anabaptistas*; qui id pernegant, bonâ conscientiâ à quopiam Christiano fieri posse: quod quidem hauserunt è Scholâ Manichæorum; ut patet ex Augustino libr. 22. cont. F. Manich. c. 74. quibus moderni Photiniani applaudunt. Osterrod. Instit. cap. 27. n. 4.

Instant. Præsens dictum esse V. T: in N. T. belligerare non amplius licitum.

R. Bella justa, legitima, decentia, juris esse naturæ & gentium: est enim Bellum, justa defensio, authoritate publicâ, adversus hostium atroces injurias, armatâ manu suscepta; cujusmodi sanè Evangelio non est contraria. Ideò Johannes Bapt. non bellis interdicit militibus, sed stipendijs jubet esse ipsos contentos. Luc. 3. 14. Militiam exercuerunt *Centurio Capernaiticus*. Matth. 8. 9, 10. *Hierosolymitanus* ille, Matth. 27. 54. *Cornelius* Cæsariensis, Act. 10. 4. non ob id culpati vel abjecti.

Bella gesserunt, auspice Deo, *Constantinus, Theodosius, Carolus M.* Impp. *Christiani* militantes sub M. Aurelio Imperatore, nunquid suis precibus faventem habuêre Deum? Justinus Martyr. Apol. 2. pro Christianis. Sed enim Anabaptistæ ipsi sibimet adversi: quos enim non tumultus, seditiones, cædes, &c. movêre? videatur *Sleidanus* lib. 5. de Thoma Müntzero. & lib. 10. de seditione horrendâ, quam Monasterij excitârunt, An. 1534.

(a.) Jam

(a.) Jam verò quàm providè dispiciendum sit *Tempus & occasio gerendi belli*, etiam Christus monere voluit in parabolâ: *Aut quis rex, proficiscens ad committendum prælium adversus alium regem, & non prius consulat num possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit adversus ipsum?* Luc. 14. v. 31. innuens, si quis potentiâ se inferiorem hoste suo deprehendat, tempus esse de pace potiùs quàm bello cogitandi. Etiam arrepta jam arma, si ante conflictum deponi possunt, faciendum. *Pax injusta utilior bello justissimo.* Cicerr. lib. 7. ad Attic. Epistol. 14. Der Frid mit Gelt bezahlt ist nicht zu theur. Id fecit Joas, 2. Reg. c. 12. v. 17, 18. Hiskias, 2. Reg. 18. 19.

Nihil enim facilius quàm bellum occipere, nihil difficilius, quàm feliciter finire. Alea enim & eventus belli incertissimus, non facilè deponitur, & *quod incipere cuivis ignaro licet; deponere autem non nisi cum victores volunt.* Sallust. de bello Jugurt. Sylvam si quis accenderit, non amplius ad ipsius arbitrium incendium fertur, sed ventis regitur, obvia quæque absumit: sic Bellum excitatum audaciâ vel ignorantiâ, non amplius in authorum est manu, sed à fortunâ regitur. Polyb. Hinc optimè Achab: *Ne jactet se qui accingit, ut qui discingit*, scilic. arma, 1. Regum 20. 11. *Tempus* autem justum *belli* suscipiendi est, *cùm justa & necessaria* urget *causa*, videlicet

Necessaria Defensio. Etenim vim injustam vi propulsare omnia jura permittunt. Itaque pro patriâ, religione, libertate, aris & focis, pro tuendâ vitâ suâ & suorum bellum gerere licitum. Ex. Abrahami pro Lotho, Maccabæi, &c.

Legitima vindicatio tyrannidis, aut inflictæ injuriæ: Sic *David* vindicavit illatam Legatis suis turpitudinem in Ammonitis, 2. Sam. 10. 4. Idem Amalekitas pessundedit, ob incensam civitatem Ziclag, & raptas mulieres Israëlit. 1. Sam. 30. sic *Achab*, 1. Reg. 22. 3.

Optata pacis acquisitio. Hic enim summus belli scopus esse debet, non dominandi diteſcendiq; libido, non vanæ gloriæ aucupium, non vindicta privata, sanguinolentia, &c. sed pax aurea. Augustin. Epist. 205. *Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur, & boni subleventur.*

Spirituale bellum contra Satanam, mundum, peccatum, tempus

tam probent. Epaminondas cumprimis inde laudatur, quòd vix visus sit, qui plura sciret, & pauciora loqueretur. Si *Simson* tacuisset, nec secreta sua Dalilæ prodidisset, non perdidisset fortitudinem & vitam. Judic.15.16. *Nocet esse locutum, &c. Qui custodit os suum, conservat se ipsum, qui divaricat labia, contritio ei*, Prov.13.3. Confer Jac.3.3,4. &c.

b. Culpanda tamen omninò *δυσωπία*. Ideo Sapiens addit, *Tempus loquendi:* Modus enim servandus in omnibus, eoque non semper obmutescendum. *Simonides* cuidam in convivio perpetuum silentium servanti, aptè dixisse fertur: *Si es stultus sapienter facis, sin sapiens, insipienter, videlicet tacendo semper.* Neque enim frustrà Deus hominem linguâ & sermonibus præ reliquis animantibus dotavit.

Ut tamen sermo noster commodus sit & laudatus, opportunitas, tempus, locus, &c. observari debent. Text. *Tempus est loquendi:* & Prov.25.11. *Velut mala aurea cum figuris argenteis, est verbum dictum commodè.* Neque enim minus periculum semper tacuisse, quàm nunquam: alioquin *Esajas* væ sibi non dixisset, quia *tacuerat*, Esa.6.5. nisi tacuisse quandoque malum foret: queritur enim quòd nunquam purè Deum linguâ suâ glorificarit. Sic vitio versum *Eli*, quòd silentio præterijt filiorum scelera, 1.Sam.3. *Prophetis*, qui peccatorem non monebunt, exitium minatur Deus, Ezech.33.8. Sic *judicibus* justitiam non loquentibus, Ps.58.2. Loquendum igitur omninò cùm gloriæ Dei, nostræ salutis, ædificationis proximi interest. Necessaria cumprimis confessio, tùm peccatorum, Ps.32.3.5. tùm fidei, Rom.10.10.

Scitè monet *Ambrosius*, 1. Offic.cap.2. *Si pro otioso sermone rationem reddemus, videamus, ne & reddamus pro otioso silentio.* Observandum Judicibus, Ministris, Parentibus, &c. ne sint muti canes. *Augustinus* de Hæresibus, capite sexagesimotertio meminit, Pattalorynchitas in tantum silentio studuisse, ut naribus & labijs suis digitum opposuerint; hâc in re Prophetas se dicentes imitari, Vid. Ps.141.3. & Ps.34.14. & Jacob.3.2. & Ps.39.2. Quibus dictis non perpetuum silentium, sed linguæ moderatio commendatur, & à Deo expetitur: quæ quidem preces continuò nobis sunt iterandæ; ut auream tacendo loquendoque mediocritatem servare valeamus.

In cœlis olim nullum erit silentium, sed continua Dei celebratio, Esaj. 6.3. ad eam adspiremus, tacendo mala, loquendo bona, cuncta *ἐν καιρῷ* agendo.

Tem-

Tempus dilectionis, & tempus odij.

[A.] Affectus amoris & odij creberrimas habet in *homine mutationes & vicissitudines*; tùm respectu diversarum personarum & rerum: has enim amore, illas odio prosequimur; ita contrarietas est in hominis animo, & affectus contrarij: tùm unius personæ respectu & rei, quam nunc deperimus, mox odio prosequimur.

Usus Non ergò confidendum in hominum gratiâ & favore. Herren Gunst ist übernächtig/pridianus est, Prov. 23.3. Experti *Jacob* cum posteritate, Moses, David, Daniel, Johannes Bapt. Nec tantopere turbemur hominum odio, quia cùm homines sint mutabiles, reconciliari possunt, ut jam dicetur.

[B.] Etenim *amores & odia* hominum *à Deo* quoq; *gubernari*, inde patet: quia Deus amorem conciliat homini cui vult. Exemp. Joseph, David apud Saulem primò. Daniel & socij: quia idem hostem excitat homini, & adversarium, &c. Luc. 21. quia denique, inimicum conciliare potest illi, quem benevolentiâ prosequitur. *Quum benevolentia persequitur vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei.* Prov. 16.7 Sic Deus conciliavit *Jacobo* Labanem. Gen. 31.29. Esavum, Gen. 33.1.4. Josepho præfectum carceris, Genes. 39. v. 4. *Danieli* Aspenacum, Daniel. 1. v. 9. Mardochæo Asuerum, Esth. 6.3. Apostolis Gamalielem, Actor. 5. Ecclesiæ Saulum, Act. 9. Paulo Pharisæos, Act. 23.9. Tribunum v. 23. Julium Centurionem, Act. 27.3.

Usus 1. Ne hominum inimicitias nimis reformidemus, cùm Deum timemus, potest enim is hostes nobis vel conciliare vel perdere.

Usus 2. Ne de hominum gratia vel largitionibus vel adulationibus, aliisque illicitis mediis comparandâ satagamus, quia Deus sine nobis id potest, si ipsi confidamus.

[C.] *Idoneum* denique *tempus* amandi, & odio habendi observandum. Nemo quidem odio habendus, ne quidem inimici nostri, nedum Justi: Matth. 5. 44. Cùm tamen in hostes & osores Dei degenerant, dum vel ipsi peccatis suis Deum lacessunt, aut nos à Dei dilectione deducere intendunt, justæ sunt adversus ipsos inimicitiæ, & odium tum legitimum: Ratio, quia Deus diligendus imprimis, & ad hanc normam etiam homines, nempe dum Deum diligunt. Ideò David Psal. 139. 21, 22.

Nonne odio habentes te odi Jehova, & insurgentium in te tædet me? Perfecto odio odi illos, &c. quanquam non tam peccatores, quàm peccatum in illis odio habendum sit; ut illud vel extirpemus, vel pro re natâ, vindicemus. Exigit *dein* Christus ejusmodi odium etiam adversus genitores nostros, aliosque nobis conjunctissimos: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atque adeò etiam animam suam, non potest esse meus discipulus*, Luc. 14. 26. Quin immò tempus quandoque venit, ut ipsi animas nostras odisse debeamus propter Deum; l. cit. Hæc omnia cum tempore; nam aliàs parentes nostros amore intensissimo prosequi oportet: tum etiam carnem nostram procurare convenit: Nemo enim suam carnem odio habuit, Ephes. 5. v. 30. *Ambrosius* versans quæstionem, quo pacto nostrorum præcipiatur odium, Matth. 16. 24. cùm inimicorum injungatur amor? Christum auctorem utriusque præcepti inducit respondentem: *sed non legisti*, inquit, *tempus amandi & tempus odio habendi*: De quo hoc dicit Ecclesiastes? Nonne de eo, quod ratione temporis fiat, ut piè & amare & odisse possimus; ut quos dilexeris odisse, & quos oderis amare conveniat? Odium item deponendi, proximumque rursum diligendi tempus observandum; *Sol ne occidat super exacerbatione vestrâ*; Eph. 4. 26.

Denique semper omnique tempore diligendus Deus, semper contrà odio habendus Satan, qui κατ' ἐξοχὴν inimicus noster vocatur, Matt. 13. 28. 39. inimicitiasque perpetuas gerit & implacabiles, jam inde à funesto protoplastorum casu. Gen. 3. 15. quin etiam vitia nostra ac malignas & effrænes passiones, &c.

HOMILIA VII

Tempus belli & tempus pacis.

IN priore hemistichio hujus versûs, sapiens de odio & amore dixit, quæ inter privatos & singulos homines vigent: Quia verò privatorum odia non rarò in publica bella exardent, rursumque singularium personarum compositiones publicam pacem restituunt, & pacis fœdera commu-

communia promovent: ideò nunc de *bello & pace* appositè subdit Ecclesiastes. *Tempus belli, &c.*

[A.] Itaque rursum cernere, heic est *rerum humanarum levitatem & volubilitatem.* Inde enim à mundo sic fuit, ut nunc bella atrocia grassarentur, nunc pax publica vigeret, atque in hæc usque tempora gyrus iste volvitur. *Abrahamus* modò pacificè degit, sub quercu Mamre, nunc cum regibus bella miscere cogitur. Gen. 13. 18. c. 14, &c. *Judicum* temporibus nunc terra quievit ab incursionibus hostilibus vicinorum; qui mox dira bella in Israëlitas moverunt. Tempora *Salomonis* erant pacifica, 1. Reg. 4. 25. contrà Davidis aliorumque tempora, erant bellorum plena. Nec opus exemplis: *Germania* nostra ante horrendum Cometæ portentum, qui anno 18. apparuit, altâ fruebatur pace: nunc tota bellis continuis in hunc usque diem vastata miserrimè horret.

Usus. Dum pax est, ne perennem nobis imaginemur; sed piè & grati illâ utamur; non ad luxuriam & scelerum licentiam, quæ prodolor communis pestis, pacem profligare solet, uti fateri nemo non cogitur, sed ad pietatis & justitiæ exercitationem. Ne novum nobis videatur, si bella sint & ingruant, quia præsentis mundi sic fert ratio; Tempus est belli: novissimo præsertim tempore, ut Matt. 24. 6. à Christo prædictum. Dum bella vigent, ne despondeamus animum; nam & illa tandem desinere oportet, & Pax beata redire, si seriâ pœnitentiâ ad Deum convertamur. *Si convertatur gens à malo suo, contra quam locutus fuero pœnitebit me ejus mali, quod cogitaveram facere ei.* Jer. 18. 17. *Utinam populus meus obtemperasset mihi, Israel in vias meis ambulasset. Brevi tempore inimicos eorum humiliassem, & contra hostes eorum vertissem manum meam.* Psalm. 82. 14. Bella quæque destinato sibi tempore finita sunt, secuta pax, &c. Apoc. 8. 1.

[B.] Sed nunc ostendendum est, *Bellum & pacem à Deo esse, ejusque regi providentiâ,* adeoque pro ejus nutu nunc belli nunc pacis tempora alternari. Si enim minima quæque providentiæ Dei subjicent, quanto plus Bellum & pax, quibus integræ civitates, populi, regiones, regna pessundantur ac evertuntur; aut plantantur & eriguntur. Dicta comm. *Ego Jehova & nullus præterea, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Jehova facio omnia ista.* Esai. 45. 7. *Ex ore excelsi annon bonum prodit & malum?* Thren. 3. 38. *Sunt qui dicunt*

cum

cum animo suo, Jehova neque bonum facit neque malum. Erunt facultates eorum direptioni, &c. Tzeph.1.12.

(a.) Peculiariter *bella à Deo esse*, liquet:

1. quia Deus illa immorigeris & impœnitentibus comminatur. *Quod si istis non erudiemini, inducam contra vos gladium ulciscentem ultionem fœderis.* Levit.26.23.25.

2. quia Deus dicitur Reges & populos excitare, advocare, immittere, illisque ceu organis uti, ad bella & clades alijs inferendas. *Ve Assur virga iræ meæ, quamvis in manu baculus est indignationis meæ, in gentem hypocriticam immittam ipsum, &c.* Esai.10.5. *Nam cum attollens vexillum ad gentes è longinquo, & sibilans advocaverit ad se ab extremo terræ, ecce citò velox adveniet exercitus.* c.5.26. *Excitaturus sum Chaldæos, &c.* Habac.1.v.5,6,7. Item gentes & civitates invicem committere, ut se mutuò perdant, 2.Chron.15.6.Apoc.6.4.Matt.24.7.

3. Deus ipse belligerare dicitur, Jos.10.42. acuere & expolire gladium, Ezech.21.3.9.&c. Bella dicuntur esse Domini, quæ adversus Ecclesiæ hostes geruntur; Itemq; Exercitus esse Jehovæ: 1.Sam.18.17. &25.28. Christus Dux militiæ Domini dicitur, Jos.5. Deus vocatur Jehova, vel Deus exercituum.

Bellorum dein *acta & eventus à Deo regi*, & dirigi, ejusque providentiâ gubernari, vel inde liquet, quòd victoriam, vel clades passim Deo tribuit Scriptura, sic ut penes ipsum stet, dare victoriam, cui vult parti. *Equus aptatur ad diem prælij, sed Jehovæ est salus.* Prov.21.31. *Dextera Jehovæ facit fortitudinem.* Psal.118.16. *Deus dat salutem* (victoriam) *Regibus.* Psal.144.10.

Deus ipse sibi victoriam tribuit ac asserit, ejusque laudem hominibus detrahit, nevé sibi arrogent interdicit. *Ne dicas cum animo tuo virtus mea, &c.* Deutr.8.16,17,18. & 9.4,5,6. *Pugnaverunt contra vos Jerichuntini, Emorrhæi, quos tradidi in manus vestras: misi ergò crabrones ante vos, &c.* Josu.24.11,12.

Deus dicitur hostes in manus tradere illis, quibus victoriam largitur: hostes conterere, subjugare, fugare, perimere, &c. Num.21.34. *Mosi* vid.Og regem Basan. Et Deutr.2.24. c.9.3.c.20.4. Sehon Regem Hesbon Amorræum. Ita Jos.10.8.c.24.11.

Deus dicitur hostibus immittere terrorem, (Panicum sc.) quo conci-

concidant, aut in fugam vertantur. *Imponam pavorem & timorem tui populis sub universo cœlo, qui audientes famam tuam trepidabunt.* Deut.2. 25.Sic cap.11.25. Sic 1.Sam.7.10.cap.14.15. 2.Chron.14.14.

Deus dicitur egredi ante exercitum suorum, Ducis instar: *Jehova, qui transit ante te, ignis consumens.* Deut.9.3. Jud.4.14.2.Sam.5.24.

Deus dicitur Duces militesque animare, virtutem & fortitudinem ijsdem largiri, ad præliandum armaque tractanda aptos facere. Fassus *David: In Deo transiliam murum, Deus qui accingit fortitudine.* Ps. 18.30.31.& seqq. Ita Ps.144.1 *Benedictus Jehova rupes mea, qui docet manus meas præliari, & digitos meos bellare.*

Quò minus numero aut multitudini militum victoria deferatur, testatur Scriptura de Deo, quòd facillimum sit ipsi paucissimis ingentem exercitum fundere. Promissum, *Quini ex vobis persequentur centenos, & centeni myriades.* Lev.26.8.quod & præstitum legimus. Exemp. *Gedeon*, Judic. 7.v.2.7.20. *Jonathan*, 1.Sam.14.1.6. *Assa*, 2.Chron.14. 9.&c. *Judas Maccabæus*, 1.Macc.3.17,18. Ideò jubet Deus non exterreri numero hostium. *Si dices in animo tuo, maiores sunt iste gentes me: quomodo possum expellere eas: Ne timeto ab eis.* Deut.7.17.18. Ita *Elisæus* ministro ait: *Ne metuito, plures qui vobiscum, quàm qui cum illis.* 2.Reg.6.16.

Quò minus virtuti experientiæ Imperatoris ac Ducis victoria deferatur, quod ipsum quoque pernegat scriptura; Deus mulierculorum operâ usus est in expeditionibus faciendis, quas victoria illustris subsecuta est. Exemp. *Debora*, Judic.cap.4. *Semiramis*, *Elisabetha Angl.*

Præsidijs externis, uti sunt gladius, clypeus, hasta, equi, currus, arcus, arces ac munitiones, fœdera, victoriam passim pij detrahunt, solique Deo ascribunt. Ita *David: Hi in curru fidunt, & in equis, at nos nomen Domini memorabimus.* Ps.20.8. Ps.44.4.7.8. & 147.10.1.Sam.17.45. *Nam non salvatur Rex in multitudine exercitus: potens non evadet in multitudine potentiæ, Mendacium est equus ad salutem.* Ps.33.16. Secus Jebusæi, qui munitione loci freti, *Davidi* illudentes temeritatis pœnas luêre, 2.Sam.5.6.

Pij Duces & milites, quia ipsis constabat, à Deo solo esse victoriam, eandem prius devotè precibus à Deo postularunt. *Mose*, cùm pugnaretur contra Amaleck, Exod.17.11.&c. Num.21.2.3. *Samuel*, 1.Sam. 7.8.&c. *David*, Ps.60.& 35.1.&c. *Asa* pugnaturus contra Æthiopes, 1.

Chron.14.11.*Ezechias* Sannheribo invadente.1.Reg.19.19. *Maccabæi*,lib. 1.c.3.4.53:c.4.30.&c.cap.7.40. 2.Mac.8.14. *Theodosius* Imperator, Oros. lib.7.c.34.35.

Ijdem in nomine Dei,os Domini consulentes antè, 1.Sam.23. 2.c.30.8.2.Sam.5.23.ejus etiam præsidio & auxilio confisi,hostes aggressi sunt. Ita *David* Goliathum, 1.Sam.17.45.Vide Ps.44.6.& 108.14.& 118. 10.&c. *Omnes Gentes circumdederunt me,in nomine Jehova succidam eos.*

Partam victoriâ non sibi,sed Deo soli deferunt & transcribunt. *Non gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos, sed dextra tua,& brachium tuum, &c. In te hostes nostros cornu petemus,&c. Non in arcu meo sperabo, &c. In Deo laudabimus omni die.* Psalm. 44. vers. 4.6.9.

Ob victoriam impetratam Deo gratias referunt *Israelitæ*.Ex.15. 1.&c.& v.21. *Debora*, Judic.5. *David*,Ps.118.15.&c.Ps.124. *Maccabæus*.1. Macc.4.24.

)(Negata similiter aut perdita victoria offenso & irato Deo (suis etiam) transcribitur; quoscunque demum illi exercitus & quantoscunque, aliaque bellica præsidia habuerint.Exemp.*Joas*.2.Chron.24. 24. Clades ad Ai, Jos.7.4.5.6. Israëlitæ cæsi ab Amaleckitis & Cananæis,Num.14.41.&c. Deut.1.43,44. Minatus id Deus inobedientibus: *Faciet Jehova,ut cadaris coram hostibus*.Deut.28.25.Conquesti eâ de re Judæi.Ps.89.44.& 108.12.

Usus. Ne ergò casui, aut inquietudini & ambitioni hominum, aut Satanæ perversitati bella in solidum ascribamus; sed in Deum respiciamus, qui tempus bellis definivit, peccatis nostris irritatus, quæ sola, si quid usquam aliud,malorum nostrorum caussam esse, quæ Deum impulerit,agnoscamus. *Quid exclamares propter contractionem tuam, & dolorem mortiferum? propterea quod multa est iniquitas tua, numerosa sunt peccata tua,facio ista tibi.* Jerem.30.15. Sic Thren.3.39.40.&c. Is tamen qui tempora mutat, & hoc tandem belli mutabit, si destiterimus mundo, carni, satanæ militare.

CON-

CONCIO VIII.

In eundem Textum.

Tempus belli, & tempus pacis.

(b.) PACEM itidem *à Dei esse manu*, & ab ejus nutu pendere, clam est è Scripturâ.

Obsequiosis eam promisit: *Dabo pacem* (scilicet *si ambulaveritis in statutis meis*) *in terrâ illâ, ita ut cubetis, & non sit qui exterreat.* Lev. 26.6. *Videbis pacem* (si scilicet Dominum timueris) *super Israel.* Ps. 128.6.

Data à Deo Israelitis. Jos. 21.43.44.

Pax recuperata, Deo accepta fertur à *Davide*, Ps. 46.8.&c. à *Salomone.* 1. Reg. 8.56.

Pax præterea à Deo petenda; *Attollat Jehova faciem erga te, & apponat tibi pacem.* Num. 6.26. *Vovete pacem Ierusalem.* Ps. 122.6.

Deo propter pacem agendæ gratiæ: *Lauda Ierusalem Iehovam, landa Deum tuum in Zion: Quoniam roborat vectes portarum tuarum, benedixit filijs tuis in medio tui, posuit terminum tuum pacem, adipe frumenti saturat te.* Ps. 147.14.

Usus. Nihil juvant consultationes de pace, conventus, &c. Si tempus nondum adsit paci à Deo pacis authore destinatum, cuncta in fumum abeunt. Experientia loquitur: Sin illud appetit, Deus mirabiliter media suggerit, articulos partibus acceptos facit: ita bellum solvitur: frustra Satana & furijs obstrepentibus. Statuamus ergò tempus paci non adesse, &c.

Pacem à Deo exoptemus. Da pacem Domine, *Ostende nobis misericordiam tuam, Iehova, & salutem da nobis. Audiam quid loquatur Deus Iehova: quoniam loquitur pacem ad populum suum, &c.* Ps. 85.8.9. & Ps. 122.6. & Ps. 51.20. *Ædifica muros Ierusalem.* Dabit Deus si sat ob peccata castigavit populum suum: tum enim paci tempus. Ita promisit Deus populo suo pacem & benedictionem postquam satis eos per Babylonios

(a.) Jam verò quàm providè discipiendum sit *Tempus & occasio gerendi belli*, etiam Christus monere voluit in parabolâ: *Aut quis rex, proficiscens ad committendum prælium adversus alium regem, & non prius consulat num possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit adversus ipsum?* Luc. 14. v.31. innuens, si quis potentiâ se inferiorem hoste suo deprehendat, tempus esse de pace potiùs quàm bello cogitandi. Etiam arrepta jam arma, si ante conflictum deponi possunt, faciendum. *Pax injusta utilior bello justissimo.* Cicerr. lib.7. ad Attic. Epistol. 14. Der Frid mit Gelt bezahlt ist nicht zu theur. Id fecit Joas, 2.Reg.c. 12.v.17,18. Hiskias, 2.Reg.18.19.

Nihil enim facilius quàm bellum occipere; nihil difficilius, quàm feliciter finire. Alea enim & eventus belli incertissimus, non facilè deponitur, & *quod incipere cuivis ignaro licet; deponere autem non nisi cum victores volunt.* Sallust. de bello Jugurt. Sylvam si quis accenderit, non amplius ad ipsius arbitrium incendium fertur, sed ventis regitur, obvia quæque absumit: sic Bellum excitatum audaciâ vel ignorantiâ, non amplius in authorum est manu, sed à fortunâ regitur. Polyb. Hinc optimè Achab: *Ne jactet se qui accingit, ut qui discingit*, scilic. arma, 1.Regum 20.11. *Tempus* autem justum *belli* suscipiendi est, *cùm justa & necessaria* urget *caussa*, videlicet

Necessaria Defensio. Etenim vim injustam vi propulsare omnia jura permittunt. Itaque pro patriâ, religione, libertate, aris & focis, pro tuendâ vitâ suâ & suorum bellum gerere licitum. Ex. Abraham pro Lotho, Maccabæi, &c.

Legitima vindicatio tyrannidis, aut inflictæ injuriæ: Sic *David* vindicavit illatam Legatis suis turpitudinem in Ammonitis, 2.Sam. 10.4. Idem Amalekitas perfundedit, ob incensam civitatem Ziclag, & raptas mulieres Israëlit. 1.Sam.30. sic *Achab*, 1.Reg.22.3.

Optata pacis acquisitio. Hic enim summus belli scopus esse debet, non dominandi diteſcendiq; libido, non vanæ gloriæ aucupium, non vindicta privata, sanguinolentia, &c. sed pax aurea. Augustin. Epist.205. *Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut malis coerceantur, & boni subleventur.*

Spirituale bellum contra Satanam, mundum, peccatum, tempus

non habet, sed gerendum est semper. Gen. 3. 15. 2. Cor. 7. 5. c. 10. 4. Eph. 6. 12. *Privata odia*, jurgia, dimicationes itidem tempus non habent, sed omittenda semper: Sunt enim opera carnis, Gal. 5. 20. Matth. 5. 22. & 44.

(b.) Sed & *opportunum pacis condendæ ac acceptandæ tempus* observandum. Hoc primarium quidem est, ut, cùm bellorum causa sint peccata, quæ Dei in nos hostilitatem concitant, ante omnia pacem cum Deo, pacis authore faciamus, deplorantes, confitentes, emendantes, tum publica tum privata scelera & scandala, Ps. 82. 6 Ex. *Assa.* 2. Chron. 15. 15. 19. Quòd non pax est, ideò est, quia nondum tempus. Hoc verò quia nobis non tempus est, faciendi pacem cum Deo, ideò nec illi tempus pacem nobis concedendi. Quod tempus componendi belli externi attinet, videtur oblatam pacem, justis & tolerabilibus articulis fundatam, temerè repudiare alteram partem non debere, sed tempus & occasionem illam accipere, quod & facient Principes cordati & prudentes, quibus cordi subditorum & Reipublicæ salus.

1. Vel enim ambæ *partes sunt æquales*, atque tum optimum *videtur esse tempus faciendi pacem*, judice J. Cæsare, libr. 3. bell. civ. *dum vid. sibi utrexque confidit hostium & pares ambo videntur:* Adag. Germ. Der beste Frieden wird im Harnisch gemacht. Hoc enim statu cogitandum, neutram partem multum lucraturam, sed utramque mutuò se suosque, subditos nempe ac ditiones, confecturam; idemque ipsis eventurum, quod de pugnâ Draconis & Elephantis narrat Plinius, l. 8. nat. hist. cap. 11. quòd nempe illâ se mutuò perimant.

2. Vel *altera pars est superior*, quæ tantò propensior ad pacem esse debet, quod tantò plus ab hoste infimiore impetrare potest, si paci det locum, quàm fortè gladio impetratura esset.

3. Sin *inferior*, nequissima est audacia ac temeritas, si pacem oblatam repudiet. Sint enim exempla, quòd multi à paucis superati sunt; absurdum tamen si quis idem sibi eventurum confidat, cùm anceps sit belli eventus, atque pacis osores mereantur pœnam subire.

Object. 1. Unicum quandoque obstaculum Magnatibus occurrit, gloriæ sc. perdendæ, si vel pacem petant, vel ad eam sint proclives.

R. Sed verè Silius Ital. l. 11. Punic.

Pax una triumphis
Innumeris potior

Ob-

OBJECT. 2. Quin & videtur victoria victoribus persequenda, nec cessandum donec protinus consumptus fuerit hostis.

R. Nunquam opportunius videtur esse faciendæ pacis tempus, nisi post impetratam victoriam, si victus acceptare voles: Ratio, Quia belli finis est, tùm ergò omninò illa facienda, cùm victoria est obtenta, victoria enim Dei est. Hinc ergò qui victis insultant, ficque victoriâ abutuntur ad exercendam tyrannidem, & insolentiam erga insontes alios, nec cessant, dum omnia quaquaversum miserè vastaverint, belli gesti & victoriæ obtentæ finem non amplectuntur; sed injurij sunt in Deum victoriælargitorem, cui potiùs gratiæ referendæ essent; injurij in victos si herbam porrigant, erga quos potius misericordia exercenda foret. Deutr. 20. 14. Romani obtentâ victoriâ aras Paci, ut Numini consecrare soliti sunt. Abusus victoriæ insolentior, periculosissimus est; Nihil enim fortunâ bellicâ mobilius ac inconstantius. *Fortuna vitrea est, tùm cùm splendet, frangitur:* Neque enim in hominum manibus stat victoria, sed Dei, cui facillimum est eam manûs instar invertere, scitè *Leo* Imperator, in apparat. bellic. c. 20. Ubi victoriam tibi Deus dederit, & hostis pacem utilem exoptat, ne nimis durus sis, sed concede hoc illi, & pacem cum illo facias. Cogitare enim debes ancipitem belli exitum, & quotidianam rerum mutationem atque conversionem.

Caveant igitur insolentes illi pacis osores, ne tandem pœniteat ipsos, æqua pacis media non acceptasse, néve ipsi pacem demum ambire cogantur, nec tamen assequantur. Inflata nimis crepant. *Cautio*; si tamen media pacis sint æqua, justa, honesta, Christiana. Melius enim bellum honestum, quàm pax inhonesta. *Pax si iniusta & honesta est, res est omnium pulcherrima & optima. Nihil tamen est aut faciendum iniustè, aut patiendum turpiter, ut pace frui valeamus.* Polybius libr. 4. historiar. *Melius & optabilius est egregium bellum, pace impiâ, & à Deo distrahente.*

Nazianz. Orat. 21. Apol. Fug.

HOMILIA IX.

TEXTVS. ℣.9-13.

Quid emolumenti est ei qui facit, in eo in quo ipse laborat. Vidi hanc esse occupationem, quam dedit Deus filijs hominum ut occupent se in ea: Ipsum unum quodque facere pulcrum suo tempore; etiam quamdiu seculum est, exponere animo illorum (excepto eo quod non assequitur homo) opus quod facit ipse Deus; à principio ad finem usque. Novi non esse bonum penes illos; nisi ut lætetur quisque, & ut faciat bonum in vita sua. Quin etiam quicunque homo comedit, & bibit, fruiturq; bono ex toto labore suo; id donum Dei esse.

DIxerat à prnicipio Cap. Sapiens: *Cuique rei suum est tempus; & tempus cuique voluntati sub cœlis.* Thema hoc per inductionem aliquot exemplorum confirmavit. Cujus quidem Inductionis scopus erat,

1. Notare actionum humanarum *inconstantiam & varietatem*, qui diversis temporibus in contraria planè studia & actiones ferantur.

2. Notare Dei *providentiam*, qui cuncta tamen hominum opera regat & moderetur, suumq; omnibus illis *tempus* præfixerit & destinarit.

3. Com-

3. Commendare *perspicacitatem*, & in agendo prudentiam, perspectâ opportunitate operis cujusque.

Seqq. jam verbis, ista *applicat* & ad propositum suum *accommodat* Sapiens, quod toto hoc libro urget, ostendere nempe rerum & actionum humanarum vanitatem; cujus intuitu consultum sit homini, nimium eorum studium negligere, ac potiùs tranquillitatem vitæ, & timorem Dei sectari. Interim tamen facere officium, & prout res & occasio fert, res suas, sine anxiâ disquisitione expedire. Et hæc quidem ex præcedentibus aptè consequuntur:

1. Si enim inconstans adeò & varius est homo in suis actionibus, ut quod modò egit, mox mutet & evertat; ipsaque per se cuncta hominum opera instabilia sint ac corruptioni obnoxia; tùm certe sequitur; Inconsultum esse, ut *nimium curarum & laboris* in illis *impendat*: & hoc quidem tractat, v. 9. & 10.

2. Deinde si cuncta à Dei providentiâ dependeant, ut quâ singulis suum tempus affixerit, ejus verò ratio tùm inscrutabilis sit homini, tùm immutabilis; non esse, cur homo de rerum suarum institutis, & eventis anxiè discrucietur: consultius, ut sepositis curis tranquillè & lætè vivat, & eventum Deo committat: siquidem non aliter effecturus sit, quàm Deus definiverit. Et hæc quidem ad usque v. 14. excurrunt.

3. Denique verò, cùm summæ sit prudentiæ in humanis, actionum quarumcunque aptum & oportunum tempus dispicere; & hoc facilè citra anxietatem ac molestiam, assequi posse hominem, si in præcedentia tempora respexerit, & quid antehac benè successerit tali vel tali tempore gestum, observarit, sicque juxta elapsa tempora præsens suum institutum conformarit; Ratio, quia nihil in mundo novi fiat aut peragatur, quod ipsum non ante quoque gestum sit; sed Deum, primi instar motoris, humana hæc cuncta velut in orbem revolvere: v. 15.

I. CONSEQUENS.

Primum ergò Consequens, quod ex præced. colligit Salomon, tale est: Cùm actiones & opera hominum succedente tempore, vel ab ipso mutentur ac evertantur, aut temporum injuriâ per seipsa collabantur ac intereant; nihil videtur utilitatis habere hominem de labore suo, nisi quod inaniter se fatiget.

Co[illegible] Text.

Text. *Quid utilitatis facienti ex eo, circa quod ipse laborat?* q.d.nullum,vel nihil. Similiter fermè supra cap.1. ℣.3. ubi idem nexus apparet.

ἄρσις. Non loquitur de *ordinario ac necessario* labore, quem homo suscipit ex Dei ordinatione,ad se suosque sustentandum, Deo proximoque in honestâ vocatione serviendum: ex hoc enim habet alimentum, recreamentum de quo mox vers.22.gratiam & honorem ab hominibus: à Deo verò indebitam gloriæ mercedem,Matth.25.

Usus. Usque adeò, ut omninò non vilipendi aut negligi debeat labor, hujus dicti obtentu,2.Thessal.3.eoque ignavi in eo patrocinium minimè quærere debeant: Quid enim habent illi de Otio? paupertatem,vitia,orcum,&c.

θέσις. Sed de labore *superfluo*; qui talis est, cùm mundani nimiùm appetunt,quàm opus sit;nimiùm discruciantur quàm conveniat: ut qui ultrò ignorare volunt,vanitatem & inconstantiam rerum & operum humanorum. Vid.cit.loc.

Usus. Tales ergò meritò vani & stolidi censendi sunt: quibus jure dixeris istoc,*Quid habet emolumenti?* &c. Et hæc quidem vox omnium fermè in ore versatur: si quis enim conspicitur labore & curis sese emacerare,fœnerari impensius, peregrinari negociari impigerrimè, sequi castra, subire pericula & molestias quasvis, ut vel honores vel facultates adipiscatur; si vel jacturam subitaneam eorum patiatur, vel per mortem derepentè abripiatur,omnium tum per ora vox ista pervagatur, *Quid habet emolumenti nunc?* Luc.12.Ego verò dico,hoc non sufficere, quin si posthabito Dei timore, conscientiæ puritate, charitate proximi, talia sunt insectati, non modò nihil emolumenti inde habere sed plurimùm insuper detrimenti,gehennam sc.pro lucro,Matt.16.26.

Sin *caussam* roges hujus dementiæ & stuporis, allegat eam Salomon vers.10. *Vidi occupationem,quam tradidit Deus filiis hominum ut occupent se in ea.* Ita supr. cap.1.13.Vide ibi. Hoc verò Dei judicium non nisi mundanos & irregenitos tangit,quorum venter Deus, Mammon idolum. Horum impietatem justè ulciscitur Deus, ut laboribus & curis ejusmodi sese excrucient, de quibus jure dixeris *Quid emolumenti?* Pereant igitur illi adinstar Simonis Magi, cum terrenis, quæ depereunt. Pios enim & electos spiritu suo donat Deus, cujus ductu, ad

ctu, ad contemptum mundi & rerum caducarum feruntur, ut non inaniter circa illa satagant, sed pro stercoribus potiùs ducant cum Paulo, Phil.3.8. majores & stabiliores affectantes opes. Hebr.10.34.

Usus. Labor igitur mundanorum, quo sese affligunt in terrenorum insectatione, licet ipsis succedat, pœna tamen Dei, & majoris pœnæ prodromus ac origo. Neque igitur ipsis invidendum, Psal.37.1,2. Non imitandi, Rom.12.2. Agant Deo gratias, amorisque Dei signum æstiment, quibus Deus non tradidit occupationem ejusmodi, eumque rogent, ut porrò se ab illâ tueatur: Psal.119.36.

II. CONSEQUENS.

Alterum Consequens providentiam Dei respicit; & quidem decretorum Dei [A.] *inscrutabilitatem*, & [B.] *immutabilitatem*.

[A.] *Inscrutabilitatem* quod attinet:

a. Primò contendit Salomon Providentiam & decreta Dei esse inscrutabilia: v.11. *unumquodq; facere pulcrum, &c.* Vel ita: *Omnia fecit pulcra in tempore suo, quin etiam ipsum mundum posuit in corde ipsorum, &c.*

b. *Colligit* inde, Inanem esse hominis de rerum suarum eventu solicitudinem, cùm illum non detur ipsi ullo pacto præspeculari aut prænosse. Satius igitur esse, ut à tali anxietate desistat, rem suam Deo commendet, & tranquillè curis semotis vitam vivat: v.12, 13.

a. Prius illud de decretorum Dei inscrutabilitate, enunciat per oppositionem, seu distinctionem inter opera Dei; quorum alia sunt *emanantia*, ut sunt opera Creationis & gubernationis universi; alia *immanentia*, ut sunt Dei Decreta: Concedit priora illa esse homini noscibilia, ejusque indagationi & scientiæ exposita, dum ait; *Omnia fecit pulcra in Tempore suo.* Respicit ad id quod Moses narrat in historiâ Creationis, vidisse Deum quæcunque fecerat, & ecce fuerant valdè bona; h.e. ad omnipotentiam, sapientiam, & bonitatem Creatoris commendandam, tùm etiam ad humanos usus accommodatissima: quin & quæcunq; semper facit Deus, juxta perpetuam hujus mundi gubernationem, facit illa pulcra tempore suo, h.e. in primâ Creatione destinato, sicuti ex cursu syderũ, totiusq; anni tempestatibus & periodis liquet. Addit Salomon,

Chron.14.11.*Ezechias* Sannheribo invadente.1.Reg.19.19. *Maccabæi*,lib. 1.c.3.4R53:c.4.30.&c.cap.7.40. 2.Mac.8.14. *Theodosius* Imperator, Oros. lib.7.c.34.35.

Ijdem in nomine Dei,os Domini consulentes antè, 1.Sam.23. 2.c.30.8.2.Sam.5.23.ejus etiam præsidio & auxilio confisi,hostes aggressi sunt. Ita *David* Goliathum, 1.Sam.17.45.Vide Ps.44.6.& 108.14.& 118. 10.&c. *Omnes Gentes circumdederunt me,in nomine Jehovæ succidam eos.*

Partam victoriâ non sibi,sed Deo soli deferunt & transcribunt. *Non gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos, sed dextra tua,& brachium tuum, &c. In te hostes nostros cornu petemus,&c. Non in arcu meo sperabo, &c. In Deo laudabimus omni die.* Psalm. 44. vers. 4.6.9.

Ob victoriam impetratam Deo gratias referunt *Israelitæ*.Ex.15. 1.&c.& v.21. *Debora*, Judic.5. *David*,Ps.118.15.&c.Ps.124.. *Maccabæi*.1. Macc.4. 24.

)(Negata similiter aut perdita victoria offenso & irato Deo (suis etiam) transcribitur ; quoscunque demum illi exercitus & quantoscunque, aliaque bellica præsidia habuerint.Exemp.*Josæ*.2.Chron.24. 24. Clades ad Ai, Jos.7.4.5.6. Israëlitæ cæsi ab Amaleckitis & Cananæis,Num.14.41.&c. Deut.1.43,44. Minatus id Deus inobedientibus: *Faciet Jehova,ut cadatis coram hostibus*.Deut.28.25.Conquesti eâ de re Judæi.Ps.89.44.& 108.12.

Usus. Ne ergò casui, aut inquietudini & ambitioni hominum, aut Satanæ perversitati bella in solidum ascribamus; sed in Deum respiciamus, qui tempus bellis definivit, peccatis nostris irritatus, quæ sola,si quid usquam aliud,malorum nostrorum causssam esse, quæ Deum impulerit,agnoscamus. *Quid exclamares propter contritionem tuam, & dolorem mortiferum ? propterea quòd multa est iniquitas tua, numerosa sunt peccata tua,facio ista tibi.* Jerem.30.15. Sic Thren.3.39.40.&c. Is tamen qui tempora mutat, & hoc tandem belli mutabit, si destiterimus mundo, carni, satanæ militare.

CON-

CONCIO VIII.

In eundem Textum.

Tempus belli, & tempus pacis.

(b.) PACEM itidem *à Dei esse manu*, & ab ejus nutu pendere, clam est è Scripturâ.

Obsequiosis eam promisit: *Dabo pacem* (scilicet *si ambulaveritis in statutis meis*) *in terrâ illâ, ita ut cubetis, & non sit qui exterreat.* Lev. 26.6. *Videbis pacem* (si scilicet Dominum timueris) *super Israel.* Ps. 128.6.

Data à Deo Israelitis. Jos. 21.43.44.

Pax recuperata, Deo accepta fertur à *Davide*, Ps. 46.8. &c. à *Salomone*, 1. Reg. 8.56.

Pax præterea à Deo petenda; *Attollat Jehova faciem erga te, & apponat tibi pacem.* Num. 6.26. *Vovete pacem Ierusalem.* Ps. 122.6.

Deo propter pacem agendæ gratiæ: *Lauda Ierusalem Iehovam, lauda Deum tuum in Zion: Quoniam roborat vectes portarum tuarum, benedicit filijs tuis in medio tui, posuit terminum tuum pacem, adipe frumenti saturat te.* Ps. 147.14.

Usus. Nihil juvant consultationes de pace, conventus, &c. Si tempus nondum adsit paci à Deo pacis authore destinatum, cuncta in fumum abeunt. Experientia loquitur: Sin illud appetit, Deus mirabiliter media suggerit, articulos partibus acceptos facit: ita bellum solvitur: frustra Satana & furijs obstrepentibus. Statuamus ergò tempus paci non adesse, &c.

Pacem à Deo exoptemus. Da pacem Domine, *Ostende nobis misericordiam tuam, Iehova, & salutem da nobis. Audiam quid loquatur Deus Iehova: quoniam loquitur pacem ad populum suum, &c.* Ps. 85.8,9. & Ps. 122.6. & Ps. 51.20. *Ædifica muros Ierusalem.* Dabit Deus si sat ob peccata castigavit populum suum: tum enim paci tempus. Ita promisit Deus populo suo pacem & benedictionem postquam satis eos per Babylonios

(a.) Jam verò quàm providè discipiendum sit *Tempus* & *cessio gerendi belli*, etiam Christus monere voluit in parabolâ: *Aut quis rex, proficiscens ad committendum prælium adversus alium regem, & non prius consulat num possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit adversus ipsum?* Luc. 14. v. 31. innuens, si quis potentiâ se inferiorem hoste suo deprehendat, tempus esse de pace potiùs quàm bello cogitandi. Etiam arrepta jam arma, si ante conflictum deponi possunt, faciendum. *Pax injusta utilior bello justissimo.* Cicerr. lib. 7. ad Attic. Epistol. 14. Der Frid mit Gelt bezahlt ist nicht zu theur. Id fecit Joas, 2. Reg. c. 12. v. 17, 18. Hiskias, 2. Reg. 18. 19.

Nihil enim facilius quàm bellum occipere; nihil difficilius, quàm feliciter finire. Alea enim & eventus belli incertissimus, non facilè deponitur, & *quod incipere cuivis ignaro licet; deponere autem non nisi cum victores volunt.* Sallust. de bello Jugurt. Sylvam si quis accenderit, non amplius ad ipsius arbitrium incendium fertur, sed ventis regitur, obvia quæque absumit: sic Bellum excitatum audaciâ vel ignorantiâ, non amplius in authorum est manu, sed à fortunâ regitur. Polyb. Hinc optimè Achab: *Ne jactet se qui accingit, ut qui discingit,* scilic. arma, 1. Regum 20. 11. *Tempus* autem justum *belli* suscipiendi est, *cùm justa & necessaria* urget *causa*, videlicet

Necessaria Defensio. Etenim vim injustam vi propulsare omnia jura permittunt. Itaque pro patriâ, religione, libertate, aris & focis, pro tuendâ vitâ suâ & suorum bellum gerere licitum. Ex. Abraham pro Lotho, Maccabæi, &c.

Legitima vindicatio tyrannidis, aut inflictæ injuriæ: Sic *David* vindicavit illatam Legatis suis turpitudinem in Ammonitis, 2. Sam. 10. 4. Idem Amalekitas pessundedit, ob incensam civitatem Ziclag, & raptas mulieres Israëlit. 1. Sam. 30. sic *Achab*, 1. Reg. 22. 3.

Optata pacis acquisitio. Hic enim summus belli scopus esse debet, non dominandi diteſcendiq; libido, non vanæ gloriæ aucupium, non vindicta privata, sanguinolentia, &c. sed pax aurea. Augustin. Epist. 205. *Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut malis coerceantur, & bonis subleventur.*

Spirituale bellum contra Satanam, mundum, peccatum, tempus

non habet, sed gerendum est semper. Gen. 3. 15. 2. Cor. 7. 5. c. 10. 4. Eph. 6. 12. *Privata odia*, jurgia, dimicationes itidem tempus non habent, sed omittenda semper: Sunt enim opera carnis, Gal. 5. 20. Matth. 5. 22. & 44.

(b.) Sed & *opportunum pacis condendæ ac acceptandæ tempus* observandum. Hoc primarium quidem est, ut, cùm bellorum causa sint peccata, quæ Dei in nos hostilitatem concitant, ante omnia pacem cum Deo, pacis authore faciamus, deplorantes, confitentes, emendantes, tum publica tum privata scelera & scandala, Ps. 82. 6. Ex. *Assa.* 2. Chron. 15. 15. 19. Quòd non pax est, ideò est, quia nondum tempus. Hoc verò quia nobis non tempus est, faciendi pacem cum Deo, ideò nec illi tempus pacem nobis concedendi. Quod tempus componendi belli externi attinet, videtur oblatam pacem, justis & tolerabilibus articulis fundatam, temerè repudiare alteram partem non debere, sed tempus & occasionem illam accipere, quod & facient Principes cordati & prudentes, quibus cordi subditorum & Reipublicæ salus.

1. Vel enim ambæ *partes sunt æquales*, atque tum optimum *videtur esse tempus faciendi pacem*, judice J. Cæsare, libr. 3. bell. civ. *dum vid. sibi utrique confidit hostium & pares ambo videntur:* Adag. Germ. Der beste Frieden wird im Harnisch gemacht. Hoc enim statu cogitandum, neutram partem multum lucraturam, sed utramque mutuò se suosque, subditos nempe ac ditiones, confecturam; idemque ipsis eventurum, quod de pugnâ Draconis & Elephantis narrat Plinius, l. 8. nat. hist. cap. 11. quòd nempe illâ se mutuò perimant.

2. Vel *altera pars est superior*, quæ tantò propensior ad pacem esse debet, quod tantò plus ab hoste infimiore impetrare potest, si paci det locum, quàm fortè gladio impetratura esset.

3. Sin *inferior*, nequissima est audacia ac temeritas, si pacem oblatam repudiet. Sint enim exempla, quòd multi à paucis superati sunt; absurdum tamen si quis idem sibi eventurum confidat, cùm anceps sit belli eventus, atque pacis osores mereantur pœnam subire.

Object. 1. Unicum quandoque obstaculum Magnatibus occurrit, gloriæ sc. perdendæ, si vel pacem petant, vel ad eam sint proclives.

R. Sed verè Silius Ital. l. 11. Punic.

Pax una triumphis
Innumeris potior

Ob-

OBJECT. 2. Quin & videtur victoria victoribus persequenda, nec cessandum donec protinus consumptus fuerit hostis.

R. Nunquam opportunius videtur esse faciendæ pacis tempus, nisi post impetratam victoriam, si victus acceptare velet: Ratio, Quia belli finis est, tùm ergò omninò illa facienda, cùm victoria est obtenta, victoria enim Dei est. Hinc ergò qui victis insultant, sicque victoriâ abutuntur ad exercendam tyrannidem, & insolentiam erga insontes alios, nec cessant, dum omnia quaquaversum miserè vastaverint, belli gesti & victoriæ obtentæ finem non amplectuntur; sed injurij sunt in Deum victoriælargitorem, cui potiùs gratiæ referendæ essent; injurij in victos si herbam porrigant, erga quos potius misericordia exercenda foret. Deutr.20.14. Romani obtentâ victoriâ aras Paci, ut Numini consecrare soliti sunt. Abusus victoriæ insolentior, periculosissimus est; Nihil enim fortunâ bellicâ mobilius ac inconstantius. *Fortuna vitrea est, tùm cùm splendet, frangitur:* Neque enim in hominum manibus stat victoria, sed Dei, cui facillimum est eam manûs instar invertere, scitè *Leo* Imperator, in apparat.bellic.c.20. Ubi victoriam tibi Deus dederit, & hostis pacem utilem exoptat, ne nimis durus sis, sed concede hoc illi, & pacem cum illo facias. Cogitare enim debes ancipitem belli exitum, & quotidianam rerum mutationem atque conversionem.

Caveant igitur insolentes illi pacis osores, ne tandem pœniteat ipsos, æqua pacis media non acceptasse, néve ipsi pacem demum ambire cogantur, nec tamen assequantur. Inflata nimis crepant. *Cautio*; si tamen media pacis sint æqua, justa, honesta, Christiana. Melius enim bellum honestum, quàm pax inhonesta. *Pax si justa & honesta est, res est omnium pulcherrima & optima. Nihil tamen est aut faciendum injustè, aut patiendum turpiter, ut pace frui valeamus.* Polybius libr. 4. historiar. *Melius & optabilius est egregium bellum, pace impiâ,* & à Deo distrahente.

Nazianz. Orat.21. Apol. Fug.

HOMILIA IX.

TEXTVS. ℣.9-13.

Quid emolumenti est ei qui facit, in eo in quo ipse laborat. Vidi hanc esse occupationem, quam dedit Deus filijs hominum ut occupent se in ea: Ipsum unum quodque facere pulcrum suo tempore; etiam quamdiu seculum est, exponere animo illorum (excepto eo quod non assequitur homo) opus quod facit ipse Deus; à principio ad finem usque. Novi non esse bonum penes illos; nisi ut lætetur quisque, & ut faciat bonum in vita sua. Quin etiam quicunque homo comedit, & bibit, fruiturq; bono ex toto labore suo; id donum Dei esse.

DIxerat à prnicipio Cap. Sapiens: *Cuique rei suum est tempus; & tempus cuique voluntati sub cœlis.* Thema hoc per inductionem aliquot exemplorum confirmavit. Cujus quidem Inductionis scopus erat,

1. Notare actionum humanarum *inconstantiam & varietatem*, qui diversis temporibus in contraria planè studia & actiones ferantur.

2. Notare Dei *providentiam*, qui cuncta tamen hominum opera regat & moderetur, suumq; omnibus illis *tempus* præfixerit & destinarit.

3. Com-

3. Commendare *perspicacitatem*, & in agendo prudentiam, perspectâ opportunitate operis cujusque.

Seqq. jam verbis, ista *applicat* & ad propositum suum *accommodat* Sapiens, quod toto hoc libro urget, ostendere nempe rerum & actionum humanarum vanitatem; cujus intuitu consultum sit homini, nimium eorum studium negligere, ac potiùs tranquillitatem vitæ, & timorem Dei sectari. Interim tamen facere officium, & prout res & occasio fert, res suas, sine anxiâ disquisitione expedire. Et hæc quidem ex præcedentibus aptè consequuntur:

1. Si enim inconstans adeò & varius est homo in suis actionibus, ut quod modò egit, mox mutet & evertat; ipsaque per se cuncta hominum opera instabilia sint ac corruptioni obnoxia; tùm certe sequitur; Inconsultum esse, ut *nimium curarum & laboris* in illis *impendat*: & hoc quidem tractat, ℣. 9. & 10.

2. Deinde si cuncta à Dei providentiâ dependeant, ut quâ singulis suum tempus affixerit, ejus verò ratio tùm inscrutabilis sit homini, tùm immutabilis; non esse, cur homo de rerum suarum institutis, & eventis anxiè discrucietur: consultius, ut sepositis curis tranquillè & lætè vivat, & eventum Deo committat: siquidem non aliter effecturus sit, quàm Deus definiverit. Et hæc quidem ad usque v. 14. excurrunt.

3. Denique verò, cùm summæ sit prudentiæ in humanis, actionum quarumcunque aptum & oportunum tempus dispicere; & hoc facilè citra anxietatem ac molestiam, assequi posse hominem, si in præcedentia tempora respexerit, & quid antehac benè successerit tali vel tali tempore gestum, observarit, sicque juxta elapsa tempora præsens suum institutum conformarit; Ratio, quia nihil in mundo novi fiat aut peragatur, quod ipsum non ante quoque gestum sit; sed Deum, primi instar motoris, humana hæc cuncta velut in orbem revolvere: ℣. 15.

I. CONSEQUENS.

Primum ergò Consequens, quod ex præced. colligit Salomon, tale est: Cùm actiones & opera hominum succedente tempore, vel ab ipso mutentur ac evertantur, aut temporum injuriâ per seipsa collabantur ac intereant; nihil videtur utilitatis habere hominem de labore suo, nisi quod inaniter se fatiget.

ſtu, ad contemptum mundi & rerum caducarum feruntur, ut non inaniter circa illa ſatagant, ſed pro ſtercoribus potiùs ducant cum Paulo, Phil.3.8. majores & ſtabiliores affectantes opes. Hebr.10.34.

Usus. Labor igitur mundanorum, quo ſeſe affligunt in terrenorum inſectatione, licet ipſis ſuccedat, pœna tamen Dei, & majoris pœnæ prodromus ac origo. Neque igitur ipſis invidendum, Pſal.37.1.2. Non imitandi, Rom.12.2. Agant Deo gratias, amoriſque Dei ſignum æſtiment, quibus Deus non tradidit occupationem ejuſmodi, eumque rogent, ut porrò ſe ab illâ tueatur: Pſal.119.36.

II. CONSEQUENS.

Alterum Conſequens providentiam Dei reſpicit; & quidem decretorum Dei [A.] *inſcrutabilitatem*, & [B.] *immutabilitatem*.

[A.] *Inſcrutabilitatem* quod attinet:

a. Primò contendit Salomon Providentiam & decreta Dei eſſe inſcrutabilia: v.11. *unumquodq; facere pulcrum, &c.* Vel ita: *Omnia fecit pulcra in tempore ſuo, quin etiam ipſum mundum poſuit in corde ipſorum, &c.*

b. *Colligit* inde, Inanem eſſe hominis de rerum ſuarum eventu ſolicitudinem, cùm illum non detur ipſi ullo pacto præſpeculari aut prænoſſe. Satius igitur eſſe, ut à tali anxietate deſiſtat, rem ſuam Deo commendet, & tranquillè curis ſemotis vitam vivat: v.12,13.

a. *Prius* illud de decretorum Dei inſcrutabilitate, enunciat per oppoſitionem, ſeu diſtinctionem inter opera Dei; quorum alia ſunt *emanantia*, ut ſunt opera Creationis & gubernationis univerſi; alia *immanentia*, ut ſunt Dei Decreta: Concedit priora illa eſſe homini noſcibilia, ejuſque indagationi & ſcientiæ expoſita, dum ait; *Omnia fecit pulcra in Tempore ſuo.* Reſpicit ad id quod Moſes narrat in hiſtoriâ Creationis, vidiſſe Deum quæcunque fecerat, & ecce fuerant valde bona; h.e. ad omnipotentiam, ſapientiam, & bonitatem Creatoris commendandam, tùm etiam ad humanos uſus accommodatiſſima: quin & quæcunq; ſemper facit Deus, juxta perpetuam hujus mundi gubernationem, facit illa pulcra tempore ſuo, h.e. in primâ Creatione deſtinato, ſicuti ex curſu ſyderûm, totiusq; anni tempeſtatibus & periodis liquet. Addit Sa-

lomon, *Quin etiam ipsum mundum posuit in corde eorum*; h.e. universum mundum abs se conditum, cunctaque ejus opera, exposuit hominibus, ut ea perscrutarentur, naturas, vires, effectus, &c. eorum perquirerent & explorarent, quod à Physicis, Astronomis, rerumque aliarum artificibus fieri videmus, qui in ipsas res solicitâ indagatione quasi penetrant; ut norint illis ad humanos defectus & usus scienter uti. Negat verò Salomon, Decretum Dei esse homini perscrutabile; quum ait: *Vt non inveniret homo opus quod facit Deus à principio usq; ad finem*; Opus hoc, est Dei illud immanens, quod in seipso operatur, h.e. ejus Decretum & gubernatio, quâ res hominum dirigit & moderatur. Dicit, hoc *non invenire posse hominem*, h.e. ante rescire ac indagare, *a principio usque ad finem*, nempe rerum & actionum suarum circa quas est occupatus: nisi quantum tandem ex ipso eventu edíscit ac colligit. Summa, Hominem Decreti divini nescium, minusque adeò eventûs præscium, circa res suas versari.

DOCTRINA I.

Decreta, consilia & judicia Dei sunt inscrutabilia. *O profundas divitias tùm sapientiæ tum cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt ejus judicia & imperveſtigabiles ejus viæ? quis mentem Domini cognovit? aut quis ei fuit à consilio?* Rom.11.33,34. *Honor Dei est abscondere rem, &c.* Prov.25.2. *Judicia tua instar abyssi magnæ*, Psal.36.7. *De die illo & hora nemo scit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nèque ipse Filius sed Pater*, Mat.13.32.

Usus 1. Ne ergò sapiamus ultra quàm convenit: ne conemur arcana Dei perrumpere. Qui id fecerunt culpati leguntur: Discipuli Christi, Luc.13.13.4. *Non est vestrum nosse tempora & opportunitates, &c.* Act.1.7. *Petrus*, Joh.21.21,22. *Daniel.* 12.9. Divinatores, &c. vani & impij. Contenti simus illis, quæ nobis revelata sunt. Scriptura perfecta. *Scrutator majestatis opprimetur à gloriâ.* Bern. *Deus comprehensibilis, non est Deus.* Athanas.

Usus 2. Opera & judicia Dei ne fugillemus, quorum nimirum causas & fines ignoramus; sed quæ non capimus, admiremur, adoremusque: sunt enim *judicia Dei occulta, injusta nunquam. Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ*, ait Deus, Esajæ 55.8.

DO-

DOCTRINA II.

Scopus *Creationis operumque Dei est, ut Homo ex eorum contemplatione & indagatione perveniat ad agnitionem Creatoris,* ejusque sapientiam, potentiam, bonitatem deprædicandam inducatur. Text. *Quin & ipsum mundum exposuit cordi eorum: Ipsius invisibilia iam videri à condito mundo ex us quæ fecit, mente perpensâ pervidentur, æterna quid. eius tùm potentia tùm divinitas.* Rom.1.20.

Usus. Hoc igitur agamus. Hic finis conditi Hominis, conditi ultimò & cum ratione. Taxandus plurimorum stupor, qui finem istum in quem conditi sunt ignorant. Quanquam verò hæc cognitio ad salutem non sufficit, sufficit tamen ad impios reddendos ἀναπολογήτους, loco cit. Rom.1.20.

b. Sed *alterum* illud videamus, quod ex istâ inscrutabilitate consultorum Dei *colligit* Salomon; hoc sc. Ne in rebus suis gerendis nimium anxius, quasi juxta mentem Dei cuncta acturus; aut de eventu nimiùm laboret antè, cùm eum tamen rescire nequeat; sed rebus suis dextrè & ad normam vocationis peractis quiescat, curas seponat, & pacatè potiùs ac hilariter quantum decet, vitam transigat. Exemp. *Joabi* dicentis: *Confirmare imò confirmemus nos pro populo nostro, & pro civitatibus Dei nostri. Jehova autem faciet quod bonum in oculis suis.* 2.Sam.c.10.v.12. De his vers.12.& 13. *Novi non esse bonum penes illos, nisi ut lætetur quisque, & ut faciat bonum in vitâ suâ, quin etiam quæcunque homo comedit & bibit, fruaturque bono ex labore suo donum Dei esse;* de quorum verborum sensu & scopo dictum jam supra ad cap. 2. ℣. 24. Ubi vide.

HO-

HOMILIA X.

TEXTUS ℣ſ.14.15.

Novi quicquid facit Deus, id eſſe ſemper; ad illud nihil poſſe addi, & de illo nihil poſſe detrahi: Deumq́ ipſum facere, ut timeant homines à facie ipſius: Id quod fuit iam eſſe, & quod futurum eſt iam fuiſſe: Deum ipſum denique repetere inter ſe conſequentia.

[B.] ALterum (a.) membrum, quod de Providentiâ Dei obſervavit Salomon, attingit ejus *immutabilitatem*; (b.) Unde *colligit* rurſum, non eſſe cur nimiâ anxietate diſcrucietur homo circa occupationes ſuas, earumque ſucceſſus & eventus, ſiquidem non aliter quàm Deus decreverit eveniant cuncta; nec in hominis ſit poteſtate ullatenus conſilium Dei immutare: quin potiùs ſolicitudinis iſtius loco timendum eſſe Deum, qui diligentibus ſe cuncta in bonum ſit directurus.

(a.) Text. *Novi quod quicquid facit Deus ipſum erit in perpetuum: ſuper illud non eſt addendum, nec ab eo detrahendum.* Elegans eſt oppoſitio inter conſulta & opera humana, quæ vento ipſo mobiliora & mutabiliora; non ita opera Dei, h. e. ejus conſilia & decreta: (Nam alioquin Creationis opera, & mundus hic totus tranſibit, Matth. 24. 35.)

DOCTRINA.

Decreta & conſilia Dei immutabilia.

Deus

Deus noster in cœlis, facit quicquid placet. Ps.115.3. *Consilium meum stabit, & omnem delectationem ipse faciam.* Esa.46.10.

[a.] Nihil enim est, quod impedire possit, quò minus id quod Deus vult, fiat & impleatur. *Multa sunt cogitationes animo cujusq;, sed consilium Jehovæ ipsum stabit.* Prov.19.21. *Nulla est sapientia, nulla intelligentia & nullum consilium ex adverso Jehova.* cap.21.30. *Jehova excitavit invi, consilium, quis irritum faciat? & manum eius extentam ecquis avertat?* Esai 14.27. *Facit pro voluntate sua, neq; est qui prohibeat manum ejus, aut dicat ei, quid facis?* Dan.4.35. *Voluntati eius quis obsistet.* Rom.9.19.

Nec tamen inde sequitur, omne quod potest Deus, etiam esse vel fieri, sed illud solùm quod vult, fieri oportere. Nulla heic conversio: omne quod vult potest & facit : non vicissim, omne quod potest vult & facit.

Etenim plura facere Deus potuisset, & quæ fecit aliter facere potuisset, si voluisset, uti liquet ex Matt.26.53. Patrem posse dare duodecim legiones angelorum. Item ex Matth.3.9. Eph.3.20. Ita dubitandum non est, quin Deus alium mundum quàm hic est, imò plures facere potuisset, si voluisset. Rectè proin *Augustinus* in Enchirid.cap.95. *Deum multa posse, quæ tamen nolit: nihil autem velle quod non possit.*

Nec proin sequitur, Christi corpus esse omnipræsens, in & sub pane Cœnæ, quia Deus sit omnipotens: multoque minus accusandi sunt, quasi Dei negarent omnipotentiam , qui id non credunt, sed impugnant : Rectè enim *Tertullianus* contra Praxeam : *Planè nihil Deo difficile est, sed si tam abruptè in præsumtionibus nostris hac sententia utemur, quidvis de Deo confingere potermus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Deo nihil est impossibile, nisi quod non vult*, ait idem *Tertullianus* de carne Christi.

Inquirendum igitur prius in Dei voluntatem, & hinc demum à posse Dei, ad esse rei, concludendum.

Præterea Deum posse, quæ contradictoria sunt, aut contradictionem implicant, nempe ut aliquid sit, & non sit, tale sit, & tale non sit, vel aliter sit, &c. nefas est de Deo cogitare: quia unum duntaxat ex duobus contrarijs verum & bonum esse potest, alterum falsum & malum necessariò esse debet : ergò utrumq; contradictoriorum Deus non potest, quia summè verax, imò veritas ipsa, summè bonus, imò bonitas ipsa, Vide Tit.1.2, & 2.Tim.2.13. Non defectu potentiæ, sed perfectione naturæ.

ræ. Itaq; ne velle quidem potest, ut corpus unum, videlicet Christi simul & circumscriptum sit, certoque loco videlicet cœlo manens, Act. 3, 21. & locis infinitis in terrâ præsens.

Nec verò hinc sequitur Deum non esse omnipotentem, quia contraria velle & facere non potest : Non est virtutis, ita & non uno ore gestare, &c. quin potiùs istud Dei omnipotentiam & perfectionem summam arguit, qui non possit ea, quæ naturæ ipsius sunt adversa. Nec enim potentiæ, sed impotentiæ & infirmitatis argumentum est, facere quæ naturam divinam destruerent, & perfectionem imminuerent, aut alicujus infirmitatis & defectus essent indicia; veluti peccare, mentiri, mori, &c.

[b.] Ut nihil forinsecus impedire vel retroagere Dei voluntatem potest, quin fiat: ita nec Deus ipse eandem mutat: ut quod decrevit vel omittat, vel aliter faciat, quàm decrevit. *Deus fortis non est homo, qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat*, Num. 23. 23. *Æternitas Israelis non commutet mendaciter neq; pœnitebit eum, non enim homo est, ut pœniteat eum.* 1. Sam. 15. 29. Vide etiam Ps. 33. 11. & 102. Malach. 3. 6. Jacob. cap. 1. ℣. 17.

Object. 1. Deum dicitur *pœnituisse* aliquando factorum suorum & consiliorum. Ergò voluntas Dei est mutabilis. Veluti Genes. 6. 6. quod fecisset hominem. 1. Sam. 15. 35. quòd Saulem constituisset Regem. Similiter Jerem. 18. 8, 9, 10. c. 26. 19. Ps. 106. 45.

℟. Pœnitere Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς : non quòd verè & reapse voluntatem & decreta sua mutet. Homines enim si quæ in rebus suis mutant, pœnituisse dicuntur priorum Sic Deus, &c.

Mutatio enim si quæ accidit, non ea est in Dei voluntate; sed in rebus quæ mutantur, idque secundum æternum Dei de ipsis decretum. Exempli Gr. Quum Deus dicit, pœnituit me quòd fecerim hominem. Non intelligitur mutatio aliqua in Dei voluntate, sed potiùs in humano genere, quod Deus ob peccatum; diluvio perdere decreverit. Idem proin est, ac sic Deus diceret : Ich will ein anders mit dem Menschen machen oder ein anders fürnemmen : nec tamen aliud quid, quam quod Deus ab æterno prævidit & decrevit. Breviter, pœnitentia quando Deo ascribitur, non denotat *mutationem Voluntatis*, sed *Voluntatem mutationis*.

2. Ob-

2. *Objciuntur* Dei promiſſiones & comminationes, quas tamen poſtea non præſtet, ſed contrarium potius. E. G. Ninive poſt 40. dies peribit Jonæ 3. *Morieris & non vives*, 2. Reg. 20. 1. *Non liberabo vos ultra.* Jud. 10. 13. cùm tamen ſæpè eos ab eo tempore liberarit.

℟. In promiſſionibus ac comminationibus non ſimpliciter ac abſolutè affirmat, aut ſententiam dicit Deus: ſed partim cum conditione, partim exceptione; in promiſſionibus quidem cum conditione pœnitentiæ ſeu perſeverantiæ in fide & pietate; & cum exceptione crucis & caſtigationis etiam piorum. In Comminationibus verò cum conditione impœnitentiæ, ſeu negatæ reſipiſcentiæ, aut perſeverantiæ in peccatis: adeoq; cum exceptione converſionis ad Deum & deprecationis. Atque hoc pacto, nempe conditionaliter, utrasque intelligendas eſſe, Deus ipſe docet Jerem. 18. 8. & 26. 3. Conditio autem iſta, aliàs exprimitur, ut in cit. loc. Jerem. Item Levit. 26. Deutr. 28. aliàs non, ſed ſupprimitur, ſubintelligi autem debet, præſertim in minis, uti Jon. 3. & 2. Reg. 20. Atqui orationis conditionalis veritas ex impletione conditionis pendet.

Inſt. Atqui conditio pœnitentiæ aut perſeverantiæ in peccatis, incerta ac mutabilis. Itidem ergò & voluntas Dei, quæ à conditione illa dependet, mutabilis erit.

℟. Conditio quidem illa mutabilis eſt, hominum reſpectu & ſenſûs noſtri, quia mutabiles ſunt hominum voluntates; ſed quoad conſilium & decretum Dei immota eſt. DEUS enim ab æterno decretum & perſpectum habet, in quibus hominibus promiſſiones vel comminationes ſuas vel implere, vel inhibere velit, pro ſua miſericordia vel juſtitia, adeoque quibus Deus reſipiſcentiam largiri velit vel non. Quapropter ut de conditione jam certum eſt ab æterno apud Deum, ſic etiam de promiſſionum vel minarum eventu, &c. 2. Tim. 2. 19.

Object. 3. Quòd ſi Deus ab æterno decrevit quæ facere, & determinavit, quæ, cui, quando dare velit: nec verò ullo modo mutatur Deus ſed infallibiliter eveniunt, quæ decrevit: videtur ergò *ſupervacaneas eſſe preces*, nec quicquam nos illis impetrare, aut adipiſci: Nam ſi dare decrevit, dabit etiam non petentibus: ſi verò non dat quod dare decrevit, niſi petentibus, ſequetur, ſi non petant, mutabile eſſe ejus decretum, atque à voluntate & arbitrio hominum ſuſpendi.

licitatem utimur, trudimur ad gratiam ipsi referendam, ipsiusque bonitatem & clementiam celebrandam; Psal.116.12.

3. Hincque porrò ad eundem quærendum, colendum, amandum, reverendum, timendum excitamur.

4. Nec parum nobis ipsis solatij ac fiduciæ afferunt preces: cùm Deus illas in nobis cieat, ut illarum interventu det quod decrevit, non frustraneas igitur illas fore. Tantum igitur abest, ut providentiæ Dei & decretorum ipsius certitudo & immutabilitas nos segnes reddere in precibus, ut potiùs ad eas nos incitare, debeat. Illustre hujus rei exemplum allegat, *Gregorius M.* Lib. primo Dial. c.8. & lib.16. Moral. c. 18. in fine. *Isaacs* nempe, per quem Deus Abrahami semen multiplicare immensum prædestinaverat, quod certò quoque eventurum erat: nec tamen abstitit Isaac deprecari pro uxore Rebecca, per 20. annos sterili, quia nimirum oratione obtinere debuit, ut filios habere posset. Genes. 25. v. 21. Sic *Elias* etsi de Consilio Dei & ventura pluvia certus esset; tamen flexis genibus intensè precatus est, famulumque septem vicibus ad lustrandam tempestatem emisit, 1. Reg. 18. v. 1. & 42. cum Jacob 5. v. 18. *Danieli* optimè constabat captivitatem Babylonicam annis 70. elapsis, finitum iri, idque ex prædictione Prophetæ Jeremiæ; an verò tum preces negligit? imò tùm demùm ardentius quàm unquam antè pro ea solvenda instat apud Deum, Dan. 9. Christus de resurrectione sua certissimus erat, utpote quam sæpè prædixerat: idem tamen validissimo clamore & lacrymis à morte liberari se precatus est. Hebr. 5. 7. Angelus fœderis Christus intercedit pro Sanctis, ut à malis tubarum præservarentur, Apoc. 8. 4. atqui jam antè in eum finem signati erant, ut illis ingruentibus non læderentur, cap. 7. 3.

Object. 4. Si cuncta divinâ providentiâ ita gubernantur, ut necessariò eveniant omnia prout ab ipso decreta sunt; frustrà ergò *de medys* acquirendis & usurpandis laboratur, quibus hoc vel illud efficiatur: frustra consultationes instituuntur, frustrà de victu cura suscipitur, frustrà in morbis de medicinâ prospicitur, frustrà de declinandis periculis satagimus, &c.

R. Deus exequitur decreta sua aliquando ἀμέσως; aliquando per media, seu agentia secundaria, quibus ceu organis utitur, non quòd eis opus habeat, quin absque illis efficere posset quæcunque vult: (Nam & medijs ipsis virtutem agendi largitur, & perpetuò illis assistit suâ po-

tentiâ, sic ut ne minimum quidem sine benedictionis ac virtutis divinæ concursu agere vel efficere valerent) sed ut tantò luculentius potentiam, sapientiam & bonitatem suam nobis demonstraret, fidemque nostram exerceret: adde, ut materiam ad labores & artes quascunque exercendas suppeditaret: Ita enim nihil haberet quod ageret homo in hac mortali vita, si Deus omnia ἀμέσως expediret. Media ergò subserviunt Dei decreto, non autem cum illo pugnant: quia Deus per providentiam suam, non tantùm ordinavit ipsas res aut eventus, sed etiam media disposuit, quibus unumquodque effectum dare vellet. Ita Deus sustentare decrevit hominem, sed per terræ proventus, quam labore & sudore suo idem colere debeat: Sic statuit ex hoc vel illo morbo erigere hominem; idem tamen pharmaca ordinavit, quibus æger sanitatem recuperet: Similiter victoriam decrevit concedere: nihil tamen mediorum militarium neglexerunt fortissimi Duces, qui Dei & populi causam agebant, quibus victoria obtineri solet: uti liquet exemplo Mosis pugnantis contra Amalekitas, Exod. 17. 9, 10. Josuæ, terram promissam armatâ manu occupantis: Davidis & Joabi principis exercitus, contra Ammonitas in prælium concessuri, 2. Sam. 10. 12. Ezechiæ item, 2. Reg. 19. & Josaphati 2. Chron. 20. externa media ad resistendum hostibus conquirentium, utut rem omnem Deo precibus commisissent.

Usus. Est igitur nostri officij, medijs legitimis & ordinarijs uti, quæ Deus ordinavit, ut ijs utamur; Illa contemnere aut rejicere, est Deo ejusque providentiæ & ordinationi resistere, eumque tentare.

Instant. De periculis & discriminibus vitæ peculiariter objicitur, cùm ineluctabilia sint illa, nunquid frustra eorum evitandorum consilia & adminicula quærantur?

R. Minimè: Quia de decreto Dei nobis non constat, an periculum sit fatale vel exitiosum nec ne. Itaque quum Deus offerte vitandi media, arripienda sunt, eventus Deo committendus: fieri enim potest, ut Deus illa objecerit, quia liberare è præsenti periculo decrevit: tùm ergò talia negligere, quid aliud quàm Dei bonitatem contemnere, & homicidij crimen in se ipso committere? Quotiescunque ergò divinitus via effugiendi aperitur, sequenda est: Talis autem est, cùm media, nec verbo Dei, nec conscientiæ aut vocationi sunt adversa, non injusta, non turpia, non illegitima, &c. Quòd si media non juvant, non tamen contra decretum aut Deum deliquimus, cùm illud ignoraverimus: sed

fecimus

fecimus quod noſtri erat officij, nempe uti legitimis medijs à Deo ordinatis. Hæc adeò certa ſunt, ut etiam iſ, quibus ex peculiari revelatione de Dei voluntate & eventu antè conſtabat, media tamen in periculis non neglexerint. Ezechiæ Deus prorogationem vitæ addixerat, idem tamen emplaſtrum ficuum adhibebat ad ſanandum ulcus, Eſai.48. Paulus oraculo monetur, ne ſibi à Judæis Hieroſolymitanis metueret, futurum enim ut Romam deveniat: Act.23.11. ſed quæ ille non media uſurpavit evitandarum inſidiarum & tuendæ vitæ? ut tandem ad Cæſarem compulſus ſit provocare. Idem promiſſum cœlitùs accepit in Navigatione Melitensi, neminem ex navigantibus periturum: interim, quum demiſſa ſcapha fugam tentarent nautæ, dicebat Paulus, *niſi iſti in navi manſerint, ſalvari non poteſtis*, Act.27. non quòd dubitaret de Dei potentia, ſed quia media ordinaria non negligenda eſſe ſciebat. Imò Deus ipſe fugæ medium parentibus terrenis Filij sui capeſſendum injunxit, quos ſine illo facilè ſalvos præſtare poterat. Matth.2. Servator ipſe, etſi ipſi optimè de hora mortis ſuæ conſtabat, ante quam nihil contra ipſum poterant hoſtes, ſæpiculè tamen ſe inſidiis illorum ſubduxit. Ex his liquet, ita nos Deo regnum & providentiam tribuere hac clauſulâ, ut interim meminerimus, noſtrum eſſe precari, & medijs uti, quibus providentiæ ſuæ conſilia in nobis exequi Deo viſum ſit. Vide plura ſupra hom.2. in cap.hoc III.

[b.] Colligit inde (Text.) *Deus autem facit illud, ut timeant à facie ejus*: h.e. ut in omnibus timeatur & ſuſpiciatur Deus.

Αρνης. Non homines timendi, *Ne dicatis, coniuratio, in quibuscunq; dicit populus iſte coniuratio, & timore eius ne timeatis, neq; expaveſcendum dicatis.* Eſa.8.12. *Metu eorum ne metuite, neq; turbemini.* 1.Petr.3.14. *Ne metuite ab iis qui trucidant corpus, &c.* Matth.10. *Non timebo à myriadibus populi, &c.* Pſ.3.7.

Ratio. Quia Deus irrita reddere poteſt conſilia hominum, non illi vi ipſum Dei. *Irrite conſilium, & irritum fiet, &c.* Eſa.8.10. Pſ.33.10. Exemp. *Pharao. Achitophel*, 2.Sam.7. v.14. *Herodes.* Matth.2. *Adverſarij Danielis.* cap.6. *Phariſæorum.* Matth.22. *Sacerdotum.* Matth.27. Oremus modò cum Davide: *Stultum redde quæſo conſilium Achitophelis, ô Jehova.* 2.Sam.15.31.

Φοβος. Timendus Deus;

(a.) Tum *à pœna*, timore filiali, qui cum amore & reverentiâ Dei

lijs ſuccedant, & per vices revertantur, quaſi in orbem agerentur. Res eodem recidit. Summa ejus eſt: cùm omnia in gyrum vertantur, & priora ſemper redeant, mutatis duntaxat circumſtantijs, ideò ab experientiâ petendam eſſe, rerum agendarum opportunitatem. *Antecedens* eſt in Textu, ℣ſ.15.

HOMILIA XI.

TEXTUS ℣ſ.16,17.

Nam adhuc reſpiciens ſub ſole, loco iuris ibi improbitatem, loco inquam iuſtitiæ ibi improbitatem eſſe :: Dixi ego cum animo meo, iuſtum & improbum ipſum iudicaturus eſt Deus : quia tempus quidem eſt cuiq; voluntati; ſed qui præeſt toti iſti facto, ibidem eſt..

VIDIMUS hactenus *primam* capitis tertij partem, quâ certum quoddam genus miſeriæ vitæ humanæ proſecutus eſt *Salomon*: Erat illud inconſtantia rerum & actionum humanarum, atque incertitudo illa, quâ mortalium animi diſtrahuntur in rebus ſuis gerendis, ut qui diu ſecum diſceptare ſolent, quàm opportunè & commodè illas tractent; incaſſum quidem perplexi, cùm omnia à ſolius Dei nutu & decreto pendeant, nec aliter, quàm Deus definiverit, evenire poſſint.

Jam in *ſecundâ* hac capitis parte aliud atque novum miſeriæ & vanitatis genus recenſet Eccleſiaſtes, conſiſtens in forenſibus litigijs, judicum iniquitate, ac inſontium oppreſſione. Videntur autem per exceptionem quaſi per exceptionem iſta ſuperioribus annecti; cùm enim

enim vicissitudinem inesse actionibus humanis superiùs dixisset, adeò ut homines nunc hoc agant, nunc mente mutatâ ejus contrarium : id tamen non cerni in judicijs, sed perpetuò ibi regnare injustitiam ; atque sententiam injustè semel latam vix unquam revocari, aut corrigi : Ideò Salomon ait, Deum Judicem summum, quod homines neglexerint, suo tempore (judicio videl. novissimo) executurum, jus suum cuique redditurum : idque tum justo, qui perperam fuerit condemnatus in hoc seculo, tùm impio, qui præter jus & fas fuerit absolutus. Atque hæc verborum summa. Cujus duo membra :

I. *De iudicio soli, eiusq; iniustitia.*
II. *De iudicio poli eiusq; æquitate.*

DE PRIMO.

Nam adhuc respiciens. Vel *Vidi sub Sole locum justitiæ, ibi impietas : & locum justitiæ ibi impietas.* Judicia olim erant *publica*, atque sub dio, vel in plateis civitatum, vel sub earundem portis, exercebantur : Ruth. 4. 1. Prov. 21. 13. ut tùm civibus tùm advenis obvia essent : quod & hodiè apud nos quadantenus fieri assolet. Tantò igitur magis notoria & conspicua esse possunt Judicum & Magistratuum peccata, præsertim quum omnium oculi in eos intenti esse soleant.

Atque sic *impudentiam* injustorum Judicum & actorum notare voluit Salomon, qui cum semel depuduerunt, nihil pensi habent, publicè etiam ac sub ipso Sole, jus pervertere.

Prætereaq; *universale hoc esse malum* indicat, quod totam undiq; terram, quousq; Sol suo lumine vergat, velut inundarit; adeo ut vix ullus in orbe sit angulus vel locus, quo non malum hoc penetrarit. Non quòd omnes omninò Judices tales sint, sed quòd vix sit aliquod Judicum collegium, cui non tales sint immixti ; qui malis sæpe causis patrocinantur.

Dei porrò *indignitatem & absurditatem*, exaggerat Salomon vehementissimè :

(1.) Quòd utitur *vocibus abstractivis*, pro adjectivis : sic enim propriè sonant verba ex Hebræo : *Vidi sub Sole locum judicij, ibi impietas, & locum justitiæ, ibi impietas* : q. d. non ibi modò erant communiter

ter impij, sed impientissimi, injustissimi, quasi vidisses ibi Impietatem & Injustitiam ipsam quasi sedentem.

2. quòd *eandem rem iterat*, seu ingeminat: q.d. ita est: audacter & scienter hoc dico.

3. quòd hæc ipsius querimonia constat vocibus oppositis: q.d. ibi loci, ubi obtinere deberet Judicium & Justitia, grassatur potius Impietas & Injustitia, illis veluti de sedibus suis depulsis. Venusto simili id declaratur, Ecclesiast: c.20. v.2. Ideò Judex iniquus hypocrita dicitur, Job. c.15.34. & 34.30.

Loca judicii & justitiæ sunt principum aulæ, aliaque loca publica, in quibus judicum sunt subsellia, quorum officio est administrare judicia. Inter *judicium & justitiam*, quæ duo crebro in S. Scripturâ junctim occurrunt, 2. Sam. 8.15. & 11.4. Jerem. c.22.15. Ps. 99.5. quidam sic distinguunt, ut judicium pertineat ad condemnationem sontis, justitia ad absolutionem innocentis & defensionem justi: In his enim duabus partibus omne Judicum munus subsistit, Rom. 13. (Quidam tamen ex usu Hebrææ linguæ alterum adjectivè sumunt, ut judicium & justitia idem sint, atque judicium justum, uti Gen. 1.26. *Faciamus hominem in imagine nostrâ, secundum similitudinem nostram*, id est, ad imaginem nobis simillimam. Confer Psal. 116.1. Jer. 32.3. 29.11.) Nec verò mirum est, velut cum horrore Salomonem loqui de Judicum injustitiâ: Etenim ritè perpendenti patebit peccatum esse longè atrocissimum. Hæc enim loca, hæc subsellia judicij & justitiæ, non sunt hominum sed Dei ipsius; 1. Chr. 29.5. dicitur: *Solium regni Dei super Israelem*. Salomoni datum, &c. neque judicandi munus aut judicium, humanum quid est, seu quod propriè ad homines spectet; sed est *Dei ipsius judicium & potestas*. 2. Chron. 19.6. ideò Judex dicitur *exercere judicium Dei*, Deutr. 1.17. Ideò Deus *in Synagogâ judicium stare dicitur*, rationem muneris ab ipsis exacturus. Ps. 82.1. Jam verò, quæ audacia, ex ipsius Dei solio, qui Justitia ipsa, astante & & audiente velut Deo, iniquum pronunciare; atque cùm Deus jusserit affirmare, negare; cùm negare debeas, affirmare? Grave est peccare, in omni vitiorum genere, & constat peccati stipendium esse mortem: Nullum verò peccatum gravius, quàm Judicum injustitia: Hi enim peccato patrocinantur, & velut cum maleficio paciscuntur, ac impunè peccare faciunt; contrà verum, bonum, justum opprimunt, ac aversantur: summa, cuncta invertunt, dicunt *bonum, malum*; & vicissim, Esai. 5.

v.20.ut mirum non sit,quod Salomon in Proverb.ait,c.17.15. Qui *absolverit improbum, & qui condemnat iustum, abominationi Jehove sunt ambo.* Variæ *porrò causſæ*, ob quas Judices & Magistratus, ad injustitiam declinant.

1. Fit enim illud, primò ex *simplicitate.* Cùm Judices laborant *ignorantiâ iuris*, atque rerum forensium sunt imperiti: sic enim facilè à perversis actoribus, ac rabulis mente & judicio perturbari possunt. Ideò deligendi gnari, sapientes, experti, qui norint verum à falso, justum ab injusto secernere. Exod.23.1.2. Sam.14.20.

2. *Ex temeritate*, cùm justam causſæ cognitionem non instituunt, sed vel de inauditis, aut non satis exploratis sententiam ferunt: aut verius præcipitant. Exemp. *David* ad calumnias Zibæ Mephiboſethum condemnans.2.Sam.16.& 19. *Potiphar* qui Josephum non audivit, Genes.39.20. *Assverus* Eph.3.11. Qui hoc modo delinquunt Judices, errore sc.potiùs, quàm destinatâ malitiâ, etsi sint magis excusabiles, minùs tamen propterea parti innocenti de suâ calamitate, quicquam decedit. Nec omninò à Dei judicio sunt exempti, qui sententiam imprudentes præcipitant. Imitandus Job, *Litem ejus quem non noveram perquisitabam*, cap.29.v.16. *Num Lex nostra condemnat quempiam, nisi prius ex ipso audierit, & cognoverit quid faciat:* ait Nicodemus, Joh.7.51.

3. *Ex Prosopolipsia, ac affectibus*, favore sc. vel odio erga litigantes præconcepto; *Ne suscipite personam in judicio, &c.* Deutr.1.17. Hæc est statera illa dolosa, Prov.11.1.& diversa pondera, Deut.25.15. quæ Deus cavit. Exemp. *Sacerdotes* judicium ferentes super Christum: Joh.11.47. &c. *Pilatus* favens Judæis.

4. *Ex avaritiâ*, ac lucri munerumque consectatione: Exemp. *Filij Samuelis*, 1.Sam.8.3. *Ne suscipito munus, quia munus excæcat oculos sapientum, & pervertit verba justorum*, Deutr.16.19. *Munus è sinu improbus accipit, ad pervertendum itinera juris*, Prov.17.23. & 28.21. Isai.1.23. Mich.3.11. Amos 2.3. *Ignis absumet tentoria corruptorum munere.* Job.15.34. Tales sunt non modò *qui iniustitiam venalem habent*, Psal.15.5. & munera sumunt ut injustam causſam promoveant, justitiam deprimant; Sed & *qui justitiam venalem habent*, nec antè ad promovendam justam etiam causſam inclinant, quàm fuerint xenijs deliniti; qui mos fuit Romanorum, nihil gratis sine precio aut petito aut accepto largientium: cujus rei exemplum, Act.24.26. in *Felice* Præside, qui Paulum innocentem sciebat,

bat, distulit tamen ejus dimissionem, sperans ab eo pecuniam. Ita non modò dorophagi sunt, qui pecunias aliaque munera accipiunt, sed & qui *epula* consectantur; aut qui alium juvant in malâ causâ, quia consimile ab ipso officium sperant, aut in hanc rem pacti sunt invicem. Hülff du mir/ so hülff ich dir. Micæ 7.3,4.

5. Quibus accedit *sæva tyrannis*, quam principes exercent, suis affectibus indulgentes: *Saul* erga Sacerdotes, 1.Sam.22. *Achab* erga Nabothum, 1.Reg.21. *Herodes* erga pueros, Matth.2. & *Herodes* erga Johannem Bapt. Matth.14. Quicquid sit, dici non potest, quanta sit hæc miseria & calamitas, quæ sub sole hac in ærumnosâ vitâ inter alia mala, grassatur; nempe excidere bonâ causâ, vim pati, innocentem opprimi, &c. cùm Gewalt geht für Recht. Hem! quàm id afficit, mordet, cruciat; Ut meritò felicissimi habeantur, quibus nihil est in foro negocij: Quæ enim de Impijs hæc edixit Salomon, quòd sint in loco judicij & justitiæ; non modò de judicibus, sed & iniquis actoribus, rabulis ac testibus capienda, quos Tröler vocamus, quorum nefarijs artibus ac circumductionibus pij & innocentes velut excarnificantur: ut non immeritò ad dolorem exquisitum exprimendum, quem injustè oppressi ab iniquis Judicibus & actoribus sentiunt, dicantur, *jus in bilem*, & *justitiam in absynthium* convertere: Amos 6.12. quibus nihil amarius. Quis igitur non etiam hâc in parte hujus vitæ miseriam cernat, de quâ lamenta Prophetarum passim occurrunt. *Quare fucis ut videam iniquitatem, & intuear molestiam, vastitatemq; ac violentiam è regione mei & quare est lis & surgium qui efferat. Idcirco intermittitur lex, & non procedit unquam ius, &c.* Hab.1.3,4. *Quomodo effecta est meretrix urbs fidelis? & plenissima iure, in qua justitia pernoctabat, ea nunc homicidarum plena.* Esa. 1. v.21. confer 59.14. De quâ, inquam, experientia ipsa lamentatur: Nuspiam minus justitiæ, plus injuriarum, & impietatis, quàm in curijs & foris, quæ Justitiæ sedes esse deberent, miserorum asylum, oppressorum refugium.

DE SECVNDO.

Injustitia hæc judiciaria, humanitùs inemendabilis deprehensa est Salomoni, quam in subdelegatis suis Judicibus non omninò evellere poterat. Rex alioquin sapientissimus, potentissimus, justissimus: Ut tan-

dem adactus fuerit animum suum attollere ad supremum illum & universalem totius orbis Rectorem & Judicem, eidem rem istam committere, atque existimare seu statuere, ab eo tandem, suo tempore, cuncta, justè judicatum & vindicatum iri.

(A.) Proponit ergò nobis Salomon, *primò* Deum, *ut summum Judicem*, ad quem ultima spectet appellatio, quique causas & sententias omnes in judicijs humanis utcunque tractatas & latas, denuò revisurus & examinaturus sit. *Si oppressionem pauperis, enerversionemq; juris ac justitiæ videris in ipsa provincia, ne mireris de ista voluntate: nam altus superior alto observat, immo altissimus superior istis* Eccl. 5.8.

Deus n. cùm sit ipsa Justitia, non Deus esset, si injustum obtinere semper & in seculum permitteret. Hoc igitur appellationis extremæ exercendæ jus sibi ipsi sumit Deus, quia Judex mundi summus & ἀνώτατος Rom. 3.6. Sed & oppressi suis gemitibus & precibus causas suas Deo commendant. *Tibi relinquit causam suam pauper.* Ps. 10.14. Exemp. *Sanguis Abel* Gen. 4.10. *David* in causa Saulis, hinc inde in Psalmis. *Mercenarij*, Jacob. 5.4. In historijs multa occurrunt exempla eorum, qui injustè ad mortem condemnati, ad Dei tribunal provocarunt, & Iudices suos citárunt; qui pauco interjecto tempore repentinis & tragicis mortibus diem obiêre.

(B.) *Secundò* proponit nobis Deum, *ut actu ipso judicantem justum & impium*; h.e. verum jus, & sententiam justam de utroque pronunciantem.

Justum quidem, quatenus confirmaturus est Deus ejus jus, siquidem in terrâ obtinuit; sin minus, aut si injuriam passus sit, eidem jus suum de novo adjudicaturus, nemine imposterum illud infringere valituro.

Impium verò, h.e. qui præter fas absolutus est, aut causam suam lucratus in terrâ ab injustis judicibus, quatenus ipsum pro merito condemnaturus, jus ei abrogaturus, ipsumque cum injustis & impijs judicibus plexurus est.

(C.) *Tertiò*, Iudicij extremi terminum designat, quo videlicet Deus judiciorum omniumque operum humanorum examen illud sit instituturus, atque unicuique pro merito retributurus: *Quia* (inquit) *Tempus omni voluntati, & super omne opus illic: nempe novissimo judicio.* Opponit hanc sententiam moræ, quam videtur nectere Deus,

quò

quo minùs præsenti in ævo cuncta ad trutinam perfectissimæ suæ justitiæ revocet: innuit igitur Deum pro suâ longanimitate *in illud tempus*, seu *illuc* rejecisse dijudicationem istam.

Equidem in hoc quoque seculo creberrimè Deus jus dicit oppressis, juxta illud Ps. 146. ℣. 7. *Exercet judicium erga oppressos.* Confer Ps. 140. 13. Exempl. *Lothi* a Sodomitis oppressi: *Josephi* à fratribus & uxore Potipharis: *Israelitarum* in Ægypto: *Davidis* à Saule: *Danielis* à Satrapis, &c. sed nec plenariò nec omnibus id præstat *hic*: *illic* verò præstabit in solidum.

DOCTRINA I.

Certò igitur *judicium extremum* sequetur: Liquidò hoc colligitur ex præsentis seculi cursu & naturâ Dei; *Justum enim est apud Deum, vicissim reddere ijs, qui affligunt vos, afflictionem, vobis verò qui affligimini relaxationem*, 2. Thess. 1. 6, 7. *Si Dij sunt, divinatio est*, dicebat ille: Rectius, si Deus est, judicium ultimum sequatur necesse est. Deum enim esse, est justitiam ipsam esse, quæ suum cuique rependit pro meritis, seu secundùm opera ipsorum. Id verò cùm non fiat præsenti seculo, judicium tale expectandum, quo aliquando fiat: cùm homines quorum interesset non vindicent Deum vindicaturum ipsummet. Isa. 59. 16. cumq; hîc non omnia judicentur justè, illud aliquando futurum. Quanta enim quæso in foro grassatur injustitia? quoties fit, ut lux in tenebras, æquum in iniquum vertatur? Quot causæ & sententiæ dictiones, in dies & annos suspenduntur, ut prius moriantur plures, quam finiatur ipsorum actio? quòd Iudices, qui vel affectu in propinquos, vel donis, vel inani gratiæ & promotionis spe, à recto juris tramite se patiantur abduci? Sequatur igitur universale quoddam judicium necesse est, quo supremus ille judex, causarum omnium revisionem instituet, nec modò partibus sententiam æquiorem dicet, sed maximè Iudices ipsos iniquiores, malè administrati muneris nomine corripiet.

Usus 1. Solatium hæc illis qui injuriam patiuntur, opprimuntur à potentioribus hujus seculi, insontes damnantur. Erit, erit, cùm jus suum sunt adepturi à Deo: Magna tum erit rerum immutatio, & Catastrophe.

2. Ne igitur vindictam spirent, sed suam Deo commendent causam,

sam; *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo; nam ipse efficiet: Proferens tanquam lucem justitiam tuam, & jus tuum tanquam meridiem,* Psal.37.5,6, *Non ipsi vosmet vindicate, sed, &c.* Rom.12.19. Exemp. Christi, 1.Pet.2.23.

3. Cumque patientiâ tempus illud universalis & justissimi judicij Dei expectent. *Patientes estote, &c. Ne susspirate alius adversus alium, fratres: ut ne condemnemini: ecce judex ante fores adstat.* Jacob.5.39. Vindictam suam tùm videbunt, & jus suum cum fœnore largissimo recuperabunt; Psal.91.8. *retributionem impiorum videbis.* Exemp. Lazarus & Epulo, Luc.16.

)(Impijs contrà qui probis nefariam insultarunt, eosque persecuti sunt, serviat istud cautioni & emendationi. Solent illi quidem ad tempus subsultare in suâ nequitiâ, ac cum pauperibus & pijs omnem exercere petulantiam, atque in illorum oppressione suas quærere delicias: Sed væ tandem illud experientur, de quo Jacob.5.1. & sortis suæ miserrimam catastrophen, serò nimis deplorabunt, Sap.5.1,2.

DOCTRINA II.

Concio hæc potissimùm *impios judices & actores* concernit, *ut resipiscant*, nisi Judicis summi severissimum tribunal velint experiri, & æternùm damnari: *Qui absolvit impium & qui condemnat justum; abominationi Jehovæ sunt æquè ambo.* Prov.17.15. Esa.5.23. Psal.82. Psal.15.2. Extant horrenda exempla plexæ injustitiæ, & punitorum iniquorum Principum & Judicum, etiamnum in hoc seculo: quod vel solius *Achabi* & *Jezabelis* exemplum comprobat, quorum ille telo perfossus, hæc à canibus laniata, interierunt miserrimè, 1.Reg.22. 2.Reg.9. Prodit Herodotus lib.3. *Cambysem* Sicanno Judici, quia sententiam corruptus pecuniâ dixisset, corium detraxisse, illudque in tribunal intendisse, quo filium Otanem pro Patre Judicem succedere jusserat, monitum, meminisset in quo tribunali judicaret. *Alexander Severus* Imp. *Thurinum Verconium* fumo necavit, jussitque præconem clamare, *Fumo punitur, qui fumos vendiderat:* Compererat enim ipsum sæpiùs acceptâ pecuniâ responsa Imperatoris finxisse, cùm causas nunquam ad Imp. retulisset: immò sæpè eum ab utrâque parte pecuniam accepisse.

Sed enim *ILLIC, ILLIC* inquam judicabit Deus justum & impium

pium: Et quia illic non temporariam subibunt mulctam injusti Principes, Judices, Tyranni sed æternam: Cavete ergò Reges & Judices terræ, Psal.2.10. Mementote hujus Judicij, quo ut rei olim estis sistendi, quo Judex cum justitiâ judicabit fontes & injustos, Act.17.31. Occurrat vobis Regis Josaphati monitum: *Videte quid situs facturi, non enim pro homine judicaturi estis, sed pro Deo, qui vobiscum futurus est in rebus judiciariis, Quare nunc insit pavor Jehovæ vobis: observate & facite*, 2. Chron.29.6,7. Repetite Davidicas illas preces; *Judicia tua Regi da, &c.* ex Psal.72.v.1. Cogitate Deum in medio vestri stantem. Psal.82.1. Mementote rationes villicationis vobis reddendas sine omni dubio, Luc.16.2. Beatos vos si servi fideles: Infelicissimos verò, si infideles fueritis deprehensi. Matt.25.

HOMILIA XII.

TEXTUS vs.18. ad fin.cap.

Dixeram ego cum animo meo secundùm rationem humanam, quum declararet eos ipse Deus; & viderem hos bestias esse illis: Eventum filiorum hominis similem esse eventui ipsius bestiæ, & eventum eumdem illis esse; ut moritur hæc, ita mori illum: & spiritum eumdem omnibus ipsis esse: itaque præstantiam hominis præ bestiis nullam esse, nam omnia ista esse vanitatem: Horum unumquodque ire in locum eumdem; unumquodque esse ex pulvere; & unum-

quodque

quodque redire in pulverm. Quis animadvertit ſpiritum humanum qui aſcenderit ſurſum; & ſpiritum beſtiæ qui deſcenrit infra terram? Quapropter videbatur mihi, nihil eſſe bonum, quam ut lætaretur homo in operibus ſuis, eò quòd iſta ſit pars eius: quis enim adducat eum ut videat id quod futurum eſt poſt ipſum?

PSALMO 82. legitur, Poſteaquam Deus judicibus impiis hujus ſeculi, injuſtitiam, tyrannidem, ignorantiam, ſuperbiam denique exprobraſſet, utpote qui ſtatu ſuo eminentiore, & titulis quibus Deus ordinem illum ſuum decoravit, ut Deos & filios excelſi eſſe dixerit, ampullari impotentius ſoleant: mox mortalitatis ipſos meminiſſe vult, ut ejus conſideratione tacti criſtas demittant: cùm omnium hominum par ſit in morte conditio, quorum alioquin in vitâ magnum erat diſcrimen.

Pari ordine Salomon noſter videtur procedere: Poſtquam enim *parte ſecundâ* cap. conqueſtus eſſet de judicum injuſtitiâ & impietate, quorum tamen vocatio & munus exigit jus & juſtitiam tueri; eapropter concluſiſſet, Deum tandem noviſſimo judicio cuncta juſtè dijudicaturum, quæ ab humanis judicibus injuſtè fuerint dijudicata: nunc *tertii* cap. *parte*, oſtendit, non modò omnium hominum in morte eandem eſſe rationem inter ſeſe, ſed etiam cum beſtijs ipſis communem. Scopus idem, quem David Pſ. 82. Deum loquentem introducens, ſpectavit, ut Judicum faſtum & violentiam compeſceret, conſideratione tùm mortalitatis ſuæ, quâ non modò ab alijs hominibus, quibus inſultant, non differunt; ſed ne quidem ab ipſis brutis; tùm juſtiſſimi judicij Dei, coram quo & ipſi ſiſtendi ſint, & pœnas tyrannidis luituri. Hæc quidem apta eſt cum præced. connexio. Certum tamen eſt, Salomonem novo miſeriæ humanæ adducto argumento ſtabilire voluiſſe id, quod ſuprà dixerat,

dixerat, v. 12. & 13. & nunc quadantenus repetit, nempe optimam vitæ præsentis, quæ alioquin miseriarum est refertissima, transigendi rationem esse, ut quis officio fideliter defungatur: ex ritè partis frugaliter & hilariter vivat; sepositis anxijs curis, quibus alij circa terrenorum insectationem immodicùm sese discruciant, præsentibus nec contenti, nec ijsdem uti fruique assueti. Miseriæ autem & vanitatis illa species, de quâ nunc agit Ecclesiastes, hæc est, Quod homini & bestiæ communis & consimillima sit mortalitas & corruptio: benè igitur facturum hominem, si hactenus bruta imitatus solicitudine sepositâ, præsentibus genialiter, decenter, tamen cum Dei timore utatur. Quæ tamen omnia cum sale accipienda sunt, ut patebit. Videnda

I. *Propositio generalis.*

II. *Exegesis specialis.*

III. *Consectarium, scopum continens, ad quem Ecclesiastes collimat.*

DE PRIMO.

Dixeram ego cum, &c. Vel *Dixi ego in corde meo super negotio filiorum hominis, quòd purificaverit (elucidaverit) eos Deus, & ostenderit, quod sint veluti animalia sibi.*

Negotio) intelligit præsentis vitæ humanæ conditionem, juxtā externam ejus speciem, & modum.

quòd purificaverit eos Deus) h. ē. satis clarè ipsis demonstraverit, & velut ob oculos posuerit, quales sint, quamque vani & nulli, &c.

sint veluti animalia sibi) dum in multis ipsos brutis animantibus similes fecit, adeò ut sicut inter animantia unius speciei nulla est differentia, ita nec hominum inter sese; quin immò, quòd in externis, nihil fecit homines à jumentis differentes.

v. 19. Quia eventus filiorum hominis & eventus animalis, eventus idem est eis:) Respicit autem mortem ejusque annexa quædam & consequentia, quæ homini cum bestijs communia esse in seqq. declarat.

Ista verò hominis collatio cum brutis, accipienda est duntaxat, de naturali & externâ hominis parte; Nam quà homo spiritu cœlesti, rationali & immortali est præditus, quà Deo spiritualiter vivit per fidem Christi, atque in spem beatæ immortalitatis assurgit, nihil habet cum brutis simile, neque huc extendit Salomon istam comparationem: sed in merè naturalibus & externis hominem considerat; illumque cum jumento quoad finem modò & exitum utrorumque confert.

Interim fatendum, quòd per peccatum quo inquinati sumus, & Satanæ malitiam accidit, ut impij sceleribus quibusque litantes, mores affectusque prorsus beluinos induant, atque in teterrimas quasque bestias degenerent, in vitijs velut obbrutescentes: eoq; & in vitâ bruta referant. Quæ enim differentia inter heluonem & porcum: inter feles & contentiosos: inter aspides & maledicos, inter hircos & incastos: inter canes & invidos, inter feroces & tauros: Ps.22.13. inter contumaces & equos qui frænandi, Ps.32.9. inter pigros & asinos, &c. Quin immò Reges & regna ipsa crudelioribus conferuntur feris propter tyrannidem, Dan.7.& 8. Et hinc igitur materies nobis offertur considerandæ nostræ miseriæ, qui initiò ad imaginem Dei conditi eramus, nunc per peccatum imagines impurissimarum bestiarum attraxerimus.

Us. Studendum igitur renatis, ut vitiorum pertæsi magis magisque bestiarum imagines seponant, & renovêntur Spiritu mentis, &c. Ephes.4.23.

DE SECVNDO.

Secundò verò explicat Salomon clarius istam hominis & brutorum convenientiam, eamque ad utrorumque finem & exitum astringit.

Text.v.19. *Sicut moritur istud (animal) sic moritur iste (homo.)* Confirmat id experientia: Nullum enim animalium genus est, quod non moriatur: Eâdem lege omnes homines tenentur; Ps.49.13. Ps.89.v.49. Heb.9. utut animantibus alijs vivaciores. Et certè ijsdem quibus jumenta pereunt modis, etiam homines decedunt: peste, fame, frigore, præcipitiis, morbis, senio, &c. Et, quod maximum est, si greges & pecudes ad lanienam trahuntur & mactantur, idem de homine quis neget? quot bellis pereunt, quot in persecutionibus misere aquis, ignibus, ferro perempti? Rom.8.36. Si incerta mors jumenti: & hominis. *Etiam homo nescit tempus suum, sicut pisces nesciunt qui capiuntur reti malo, &c.* Eccl.9.14.

Nihil-

Nihilo-igitur melior hominis præ jumento hactenus conditio ; immò deterior ; quòd cum iste ratione polleat, exquisitiore mortis præsertim violentæ sensu afficitur, quum illud stupore quodam amaritudinem mortis effugiat. Istam verò convenientiam mortis inter bruta & homines, quasi per *inductionem* partium demonstrare videtur Salomon. Si enim utriusque, & bruti & hominis spiritus & corpus, æqualiter se habeant, consequitur si illud morti & corruptioni obnoxium sit, & hunc esse.

[a.] De spiritu ergò dicit ; *& spiritus idem omnibus.* Hic (evidentiæ causâ) distinguendum est inter spiritum hominis *animalem seu vitalem* : & *cœlestem*, quæ mens est ratione constans, *divina particula auræ* : Illum cum brutis habet communem, & ab eo procedunt functiones quæque vitales & sensuales, quibus vita hominis præsens conservatur, [illegible] modo sicut brutorum : Veluti quod cibo, potuque nutriuntur, respi[illegible] & somno sustentantur, sensibus varijs pollent, moventur, auge[illegible] prolem sibi similem. Et de hoc spiritu loquitur hic Sa[illegible] Non autem de animâ rationali & spiritu cœlesti, de quo infrà cap[illegible] dicet. Hic enim non per naturalem generationem, ut ille à pa[illegible] bolem traducitur, sed immediatè a Deo hominidum in [illegible] creatur, inditur. Eccl. 12. 7. Hebr. 12. 9. Zach. 12. 1. eoque nec interit seu per[illegible]

Ad hanc quidem distinctione accipiendum quod sequitur, *Præstantiam hominis præ bestiis nullam esse, nam omnia ista esse vanitem.* Quare ut brutorum animæ in ipsorum morte evanescunt, sic & anima ista hominis sensitiva ac vitalis : quò respexisse videtur D. Jacobus c. 4. 14. vitam nostram *vapori* assimilans : superstite solo spiritu cœlesti ac rationali qui immortalis, ut pòst dicetur.

Liquet id ex experientiâ : Ut enim brutorum cadavera, sensus & motus omnis expertia jacent, cùm anima excesserit, quod judicio est ipsam interiisse, cùm sine corpore organico actiones tales edere nequeat ; sic & hominum : quin immò terriora sunt ista & adspectu horridiora, quàm bestiarum. Nec ullo pacto homo Vanitatis & miseriæ suæ sensu plus affici potest, quàm si demortuum ei fœtidumque hominis cadaver objiciatur. Meritò igitur Sapiens huic comparationi insistens dicit, *Omnia esse Vanitatem.*

[b.] Pergit ad *corpus* Sapiens v.20. *Omnia pergunt ad locum unum* (vid.terram vel sepulcrum) *omnia sunt ex pulvere, & omnia revertuntur in ipsum pulverem.* Respicit Sapiens ad primam Creationem,& sanctionem illam,quam Deus de homine lapso tulerat: Genes.3.19.Sic Job.c.1.21.Nudus,&c. *revertar illuc*, scil. in terram ceu communem matrem, sicuti & in hoc libro cap.5. v.14,dicitur: Sic enim Terra appellatur à Syracide cap.40.1.inde homo *terrenus*, 1.Cor.15.47. Et verò quis heic ullam discrepantiam inter hominem & pecudem noverit? nunquid utrorumque cadavera computrescunt, & in pulverem resolvuntur. Ista verò tùm flatulenti spiritûs nostri,à quo vita præsens dependet,tùm pulverulenti corporis ratio, adeoque nostra cum bestijs hactenus similitudo,suos in nobis *usus* præstare debet.

Usus a. Ne tanti faciamus præsentem vitam nostram: Cur enim æstimanda sit magno,si nihil differt à brutorum vitâ, quam violare nihili ducimus.

b. Ut modestiæ & humilitati studeamus. Gen.18.27.

c. Ut vitam nobiliorem anhelemus. 2.Cor.5.1.

d. Ne in corpore hoc curando aut ornando modum excedamus. Rom.13.14.

e. Ut in excolendo Spiritu æterno & immortali satagamus, qui post caducum istum manet, & à quo futura illa & sempiterna hominis beatitudo dependet.

Sed enim quia objici poterat Salomoni hoc ipsum,quod de animæ rationalis immortalitate attigimus, maximam in illâ subsistere hominis à brutis differentiam, unde nec parem utriusque vanitatem esse ac miseriam,consequatur:ad hoc respondet is v.21. *Quis animadvertit (scit) Spiritum hominis, qui ascenderit sursum, & spiritum bestiæ, qui descenderit infrà terram?*

Concedit spiritum hominis *ascendere sursum*, h. e. redire ad Deum, adeoque immortalem omninò esse:uti infra diserte testatur cap. 12.7. atque ex ijs,quæ de judicio extremo differit,satis patet.

Nunc enim loquitur Sapiens non de spiritu animali, de quo supra dixerat,perinde evanidum esse atque spiritum bestiæ:sed de spiritu illo cœlesti & rationali, qui immediate à Deo cœlitus homini nascendo datur, quod ex antithesi liquet, dum spiritum hominis ascendere ait,

bestia

bestiæ descendere, h.e. in terram reverti ac corrumpi. Fatetur interim rem istam de animæ immortalitate adeò esse tectam, ut vix uni ex mille de eâ constet, quæque adeò luce humanæ rationis atque ex naturalibus principijs & rationibus, indagari ac resciri nequeat: nimirum quia è solo Dei verbo fidelibus de eâ constat, adeoque ex supernâ Dei revelatione. Et hinc quidem est, quòd Philosophorum gentilium sapientissimi, vel nihil de eâ sciverint, vel negarint prorsùs, vel dubij fluctuarint, vel si quid de eâ visi sunt statuere, illud ex alijs habuerint, statum verò animæ in illâ immortalitate prorsus ignorarint. Vide *Gerhard.* in L.C. Tom. 8. de morte. pag. 173. &c. *Aristoteles* Philosophorum Coryphæus, modò affirmare, modò negare, modò in dubio relinquere videtur, tam sibi non constat: fertur idem de *Platone*, quòd fluctuare se fassus sit. Etsi verò *Cicero, Socrates* & alij, animas post mortem superstites manere censuerint, atque in campos Elysios aut fortunatas insulas, ad præclarissimorum aliorum virorum animas migrare & colligi; ut tamen protinus immortales esse statuerint, nondum hinc colligi potest: imò assensionem istam omnem elabi sibi fassus est: libr. 1. Tusc. Itaq; latè inter gentes diffusa erat Epicuri sententia, de animæ interitu.

Nec mirum cùm in ipsâ etiam Dei Ecclesiâ non paucis ignotum fuisse hoc dogma Salomon confidenter asserat. Quod liquet ex vulgi apud Esajam proverbio, Esai. 22. 13. & Sadducæorum ipsorum sectâ, Matt. 22. ideò per interrogationem ait *Salomon*: *Quis scit?* q.d. *Quotusquisq;*.

Et certè nec ad sensum oculorum istud patet, cùm homo moritur, an spiritus ejus sursum vergat, an bestiæ deorsum: quò fortasse etiam respexit Salomon. Ideò è verbo Dei elicienda hæc cognitio, quæ evidentissimè ex illo patet; Eccles. 12. 9. Matth. 10. 28. & 22. 32. &c. quâ de re fusiùs ad locum Ecclesiastæ prædictum.

Us. Hæc eò faciunt, ut vanitatem nostram sic consideremus, ne interim dignitatis nostræ & immortalitatis obliviscamur: nam si in solam vanitatem nostram fuerimus intenti, næ in Epicureismum prolabemur. 1. Cor. 15. 32. Si autem immortalitatem ad animum revocaverimus, pietati operam dabimus, ut beata illa nobis in cœlis obtingat. Nam quod impios & sceleratos attinet, satius foret illis, ut corpore simul & animâ in morte perirent; quàm quòd immortalitas illis miserrima in gehennâ est obventura.

DE TERTIO.

Consectarium, quod ex contemplatione tam multiplicis miseriæ vitæ humanæ tum hîc elicit Salomon, tum sparsim alibi hoc libro, continet; remedium veluti quoddam, quo homo vitæ præsentis amaritudinem edulcare quodammodo valeat: nempe ut semotis curis, quibus mortalium animi aliâs distrahuntur, circa immodicum rerum terrenarum, veluti divitiarum, honorum, deliciarum profusarum, &c. appetitum ac desiderium; ipse potiùs in rebus præsentibus discat acquiescere, vocatione & labore ordinario defungatur, ex ijs quæ labore suo acquisivit tranquillè & hilariter vivat, ijsdemque jucundè, sine anxietate, quoad hîc vivit, fruatur: cum timore sc. Domini, sine quo vita tranquilla esse nequit, quod & *Plutarchus* animadvertit: Ne suaviter quidem, dicebat, vivi posse secundùm Epicuri decreta, si enim honesta vita exceditur, jucunda simul exceditur.

Ratio consilij hujus duplex:

(1.) *Quia hæc est pars seu portio ejus*: hæc verò est illud quod ex divisione hæreditaris redit ad singulos hæredes, de quo vivunt & lætantur. Sensus ergò est, id quod homo inter tot præsentis seculi ærumnas, de suis laboribus aufert, majus non est, quàm ex partis frugaliter & suaviter sine anxietate vitam ducere: hæc igitur pars insectanda. Etenim superfluæ solicitudines & inanes curæ circa caduca ista, non alium fructum pariunt, quàm quòd illis cor arrodatur & exedatur, & misera aliâs vita, majoribus pluribusque miserijs cumuletur; quis verò talem sibi partem aut hæreditatem optet?

(2.) Quia de futuro solicitum esse aut laborare frivolum, cùm futurorum scientia nos fugiat, nec futuros eventus ante nos scire contingat.

Text. Quis enim adducat eum, ut videat id, quod futurum est post ipsum.

Nihil est quod vitæ tranquillitatem magis perturbet, quàm *soliciudo de futuro*, quando homo vel de proprijs suis, vel suorum post ipsum seu obitum ipsius, eventis nimis est anxius: hinc enim fit, ut multis sese implicet curis ac negocijs terrenis, ad anticipandum malum, quod suspicatur sequi posse: id multos ad avarè colligendas opes trudit, quas

liberis

liberis relinquant; Idem ad consectandos honores, ut & liberi post ipsos sint in precio.

Sed, vanam hanc esse de futuro solicitudinem innuit Sapiens; quia ejus notitiam assequi homo nequit. Scire nemo potest, quæ vel ipsum vel posteros fata maneant; multove minus curis suis impedire poterit, quæ ipsos fata manent. Contrà sine te, tuisque curis, prospicere Deus potest posteris tuis: *quia semen justi est in benedictione.* Ps. 111. 2. Summa Horatianis illis continetur, lib. 1. od. 9.

Quid sit futurum cras fuge quærere, &
Quem fors dierum cunque dabit, lucro
Appone.

Quò & Christus ducit Matth. 6. 34.

Futurorum scientia, ut soli us est Dei, sic & eidem futurorum omnium quod res nostras concernit, eventus commendandi: Ipsi cura de nobis. Phil. 4. 6. Meliora speranda semper cum Davide. Ps. 42. 12. Huc enim nos ducit fides, spes, & fiducia in Deo collocanda, quæ non metuere mala, sed sperare semper bona jubet, nixa Dei promissionibus infinitis. Hebr. 13. 5, 6. Beati qui sperant in Domino.

Si ad *futuri seculi statum* verba ista referenda sunt, geminum patiuntur sensum: 1. Vel nescire hominem statum suum post mortem; quod equidem verum est, si de plenariâ & speciali futuri ævi cognitione sermo est, (est enim gloria filiorum Dei nunc quidem nobis abscondita & incomprehensibilis) Aliàs generatim norunt electi per fidem, æternam & beatissimam ipsis manere in cœlis partem. *Dilecti, nunc filij Dei sumus, sed nondum manifestum factum est quod erimus; scimus autem quia, ut quum ipse manifestus factus fuerit, similes ei simus.* 1. Joh. 3. 2.

2. Vel nescire hominem, quid post mortem hic in terris geratur aut eveniat; quod verissimum: atque ex hoc Salomonis loco colligi posse non diffitetur *Pineda* Jesuita in hunc locum, idemque ex Augustino confirmat. Unde jure concludimus,

DOCTRINA.

Si sancti defuncti nesciant, quid post se in terris geratur, adeoq; necessitatem nostram nosse non possint, multoq; minus preces tam oris quàm cordis audire vel exaudire, eos invocare esse absurdum.

Atqui verum prius, &c.

[1.] Quia ad hoc, ut quis nôrit omnium hominum necessita-

tes,quocunque sint in terris loco,atque cordium cumprimis affectus & desideria pernoscat,(cujus quidem rei certus esse debet,quicunque cum fiduciâ cotdis precari vult ;) necesse est, ut sit omniscius, & καρδιογνώστης.

Præsupponit id Salomon: *Omnem orationem, omnem deprecationem, quæ erit à quocunque homine,aut à toto populo tuo Israele , quum agnoscentes quisque plagam animi sui,expandet manus suas versus domum hanc,Tunc tu exaudito è cœlis,statione habitationis tuæ,ut condonans facias aut des unicuiq; secundùm omnes vias ejus,quas agnosces apud animum ejus: tu enim nosti solus animum filiorum hominis,*1.Reg.8.v.38.39.

Tales non sunt defunctorum animæ.E.

Ratio,quia omniscientia & cordium scrutatio,solius Dei sunt attributa essentialia: Unde errare *Papistas*,dum sanctos demortuos invocant,consequitur. Adde quòd ad hoc, ut quis undique locorum orantes audiat,omnipræsentia requiratur, quæ & ipsa Creaturæ nulli competere potest.

[2.] Quia quod *Angelis S.* non competit,nec etiam de animabus sanctorum statuendum fuerit.

At sanctos Angelos ubique locorum præsentes esse,ut norint omnium hominum necessitates; aut corda penetrare,ut desideria hominum cognoscant , &c. scriptura nuspiam testatur. Nuncios esse Dei constat,ut jussa Dei exequantur,& quidem particularia; non ut preces exaudiant,quod Deus antè fecit, quàm illos ad pios ablegarit. Præstò quidem sunt pijs, ad quos ablegantur, ut illis ministrent, non tamen omnes omnibus;nec nisi externos ipsorum casus norunt, internos cordis non intelligunt:& quæ præsentes norunt,absentes non item intelligunt,quod τὸ ζητούμενον. Summa,officium Angelorum, quod mortalibus pro suâ vocatione præstare debent, est illis ministrare, non preces audire.

[3.] Idem probatur dictis scripturæ,quæ D.Augustinus, eandem causam defendens,allegat in libro de curâ pro mortuis capit. 13.14.15.ex Ps.27.10.*Pater & Mater dereliquerunt me, &c.* Illustrat id exemplo suo suæque Matris, It.ex Esaj. 64.2.*Abraham non novit nos.&c.* Exemplo *Josiæ*, cui Deus pro magno beneficio pollicitus fuerat, quod antequam mala videret,moriturus esset.2.Reg.34.28. Expressè Job.14.22.*Si angeantur filij ejus,ignorat: (sc.demortuus)sin diminuantur, non attendit ad eos.*

Quæ

Quæ in contrarium afferunt Papistæ, nihil probant: esto enim, quædam norint vel Angeli, vel sancti demortui, idque vel ex Dei, vel aliorum, Angelorum putà, aut animarum hinc discedentium, (Dicunt enim Deum multa habere media mortuis revelandi, quæ hîc in terris geruntur) revelatione; hinc tamen non sequitur, quòd OMNIA norint, quæ in terris geruntur, adeoque omnes nostras necessitates ubicunque locorum versamur, cognoscant.

Ad hoc verò ut quis cum fiduciâ exauditionis & auxilij precetur, requiritur, ut credat eum, quem invocat, omnia nosse; aliâs enim in dubio hærebit, an etiam illud norit, ob quod ipsum invocat, si quædam duntaxat, non omnia cognoscit. Quòd si verò non norint, otiosa est invocatio ad demortuos directa. Adde quòd longè incertius sit, an vel Angeli, vel mortui hinc decedentes, narrent, aut narrare possint, residuorum hâc in vitâ necessitates ac eventus.

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT IV.

HOMILIA I.

TEXTVS. ℣.1.2.3.

Sed rursus ego quum viderem omnes oppressos, qui afficiuntur sub sole: ecce quidem lacrymas eorum, qui opprimuntur, sed nullus est consolator eis, aut evadendi è manu opprimentium se virtus: deniq; nullus est consolator eis: Laudabam primùm ego mortuos ipsos, qui iam sunt mortui, præ vivis qui vivunt adhuc: Sed melior postea utrisque visus est, qui adhuc non fuit, qui non vidit factum istud pessimum quod fit sub sole.

Duo

DUo sunt calamitatum genera, quibus præsens hæc vita gravatur: *Unum* earum, quæ à Deo justè propter peccatum hominibus infliguntur, eoque inevitabiles sunt; uti sunt castigationes Dei & varia ejus judicia, ipsaque cumprimis mors, quæ homini cum brutis communis est, ut præced. cap. docuit Salomon. *Alterum* earum, quæ mortales sibi ipsis inferunt; dum alij alios mutuò affligunt, aut sibi ipsi quandoque crucem & afflictionem fabricat homo. Et de hoc quidem posteriore genere humanæ miseriæ, videtur sapiens hoc Capite 4. cumprimis loqui.

In illo meritò primum locum meretur *oppressio pauperum & infirmorum*, quam à potentioribus hujus seculi sustinere coguntur, præsidio & solatio ab hominibus alijs destituti: de quo v. 1, 2, 3.

Videndum, ut hoc miseriæ genus Salomon

I. *Primò proponat atque explanet.*

II. *Dein suum de illo Iudicium subiungat.*

DE PRIMO.

Sed rursus ego, &c. Vel, *Conversus ego vidi omnes oppressiones, quæ fiunt sub Sole, & ecce lachrymæ oppressorum, nec est eis consolator, in manu opprimentium eos est potentia, nec est illis consolator. Converti me* sc. ad alia contemplanda: & hoc quidem exordiolo multiplicitatem miseriarum humanarum subinnuit: q.d. Esse illas instar Hydræ multicipitis, adeò ut quocunque se vertat homo, novum occurrat malum: *Abyssus abyssum invocat*, Psal. 42. 8. Experiuntur id pij: *Multæ, esse afflictiones justi*. Psal. 34. 20. sic ut unius clausula, sit alterius subsequentis initium. Porrò, rem ipsam suis veluti gradibus exprimit. Meminit enim

1. *Oppressionis ipsius.*
2. *Lacrymarum oppressorum.*
3. *Defectus solatij atque auxilij, ejusq; habendi ἀδυναμίας.*

1. *Oppressionis* nomine, Injuria & circumventio quæque significatur, seu per vim, seu per fraudem ac calumniam illata, quâ seu vitæ, seu famæ, seu fortunatum jacturam pati cogitur oppressus immeritò: Idque vel *in judicio*, à Judicibus injustis ac tyrannis, aut vitilitigatoribus ac sycophantis; vel *extra judicium* quocunque modo, ab ijs, qui aliâs authoritate, divitiis, potentiâ, amicitiaque & conjunctione eorum pollent, penes quos est summa potestas: *In manu opprimentium eos est potentia.* Text. aut qui jus in armis positum habent, uti solent furiosi & injurioſi milites, insontes, etiam quos in defensionem susceperunt, cunctis fraudare. Experti hoc malum, *Abraham*, cùm uxor ei surriperetur: *Loth* à Sodomitis: *Joseph* à fratribus, & uxore Potipharis: *Israelita* in Aegypto: *David* à Saulitis, ut passim in Psalmis conqueritur. *Naboth* à Jezabele: *Daniel* à Satrapis Persicis: *Lazarus* ab Epulone: *Christus Jesus* maximè, &c. ejusque servi, Prophetæ, Apostoli, martyres: *pij* quique, &c. Matth. cap. 5. ℣. 10. Joh. cap. 16. ℣. 2. Nihilque adeò in mundo tritius quàm pauperes & infirmos à præpotentibus infestari, ac opprimi. *Si oppressionem pauperis & interversionem juris & justitiæ videris in ipsâ provinciâ, ne mireris de istâ voluntate*, Eccles. 5. 8. Quin & perpetuæ sunt istæ in Prophetarum scriptis Dei querelæ, quòd Magnates utriusque & civilis & sacerdotalis ordinis, ex avaritiâ ac tyrannide seu juris perversione, ac violatione justitiæ vim inferant subjectis. Quibus tamen simul Dei severissimi Judicis interminationes adjunctæ leguntur: veluti Jerem. 5. Ezech. 22. Amos 8. In N. Test. Jacob. 5.

Usus. Ne igitur suâ potentiâ & authoritate abutantur, qui eminent alijs: Vident enim hinc, insolentiam hanc ipsorum ad notam sumi, aut vitio verti in tantum: ut qui flagelli sint instar, miseriamque vitæ humanæ aggravent. Facinus hercle turpe & indignum esse, qui luporum ac ferarum instar, homines alios suæ naturæ consortes, infestent, venentur, prædentur, opprimant, eosque devorent, sicuti majores pisces avesque minores sui generis, in prædam & escam sibi rapiunt: Hoc enim est humanitatem omnem exuere. *Et facies hominem velut pisces maris, ut reptile eui non est dominator? Quotquot sunt hamo educit, congregat illos plagis suis, & recipit eos reticulo suo, ideirco lætatur & exultat*; Hab. 1. 14, 15.

2. *Et lacrymas innocentium.)* Quid enim aliud egeni agant, quàm gemitus, lacrymas, ejulatus profundere? (Nam

Sedatur

Sedatur lachrymis egerituŕq, dolor.)

atque in hiſce neſcio quod levamen dolorum quærere? cùm vim vi repellere, aut illatam injuriam vindicare, imò ne quidem quiritari verbis ipſis quandoque liceat, innocentiſſimis quantumvis. Iſtis verò lacrymis oppreſſi injuriam ſibi illatam tum hominibus conteſtari ſolent: tùm verò ad Deum Judicem deferre, ejusque implorare præſidium & juſtitiam. Et has quidem lacrymas Deus videt & acceptat. Syrac.38.18. Exemp. *David. Migrationes meas numeraſti, pone lachrymas meas in utre tuo: nonne in libro tuo ſunt.* Pſal.56.9. *Judæi* captivi in Babyl. Thren.1.2. Pſalm. 126.5. *Chriſtus*, Hebr.5.7.

Usus. *Solatium* oppreſſorum; licet inutilè videantur eſſe remedium atque infirmum lacrymæ, hominum reſpectu, non tamen inane eſt apud Deum: *abſterget Deus omnem lacrymam.* Apoc.7.17. Luc.6.11. Jeſ.25.8.

Officium eorundem; non diras imprecari, maledicere opprimentibus; ſed lacrymis & gemitibus Deo cauſſam ſuam deferre, Pſal.37.5. Jacob.5.

Caveant autem ſibi opprimentes, ne hujuſmodi lacrymas egenis & humilibus exprimant. Plorabunt illi tandem. Luc.6.25.

3. *Et neminem Conſolatorem*) nedùm adjutorem. Id ſæpè accidit afflictis, ut ne quidem ſit qui commiſeratione ipſorum tangatur, ac cùm facto non poſſit juvare, ne quidem verbo ſoletur: quin immò non rarò ſint, qui aliorum malis in ſinu gaudeant, & dolorem ſi poſſunt dolori accumulent; Flebilis certè hic miſerorum eſt ſtatus, atque ad deſperationem janua: quia miſeriæ augmentum, deſtitui ſympathiâ aut ſolatio aliorum: Maximè, ſi, ut additur, tanta ſit tyrannorum vis, potentia, ac furor, *ut nullâ vi humanâ* reprimi poſſit; nihilque adeò præter lacrymas ſit reſidui quod triſtitiam levet. Experti hoc fatum *Job*, cap.2.℣.9,10. *Hieruſalem* à Babylon. direpta. Thren.cap.1.℣.2. *Tobias*, cap. 2.℣.22,23. *David*, ſive *Chriſtus*: *Expectavi qui condoleret, & non fuit: & conſolatores & non inveni*, Pſal.69.21. Martyres. Eſai. 63.5. Innumeri tales, qui quacunque injuriâ affecti, vix quandoque inveniunt, qui condoleat, qui ſoletur, qui juvet; quod vel nemo tentare auſit præ oppreſſorum potentiâ, niſi eidem ſe diſcrimini velit implicare. Cernere hoc eſt in foro, in bello, & privatorum etiam actionibus.

DOCTRINA.

Qui tamen verè sunt *innocentes ac pij, & solatium & refugium & auxilium habent in Deo. Profectò bonus est Israel Deus, sed mundis corde*, Ps.73.1. *Non deseret Jehova populum suum*. Psalm.94.14. *Deus jus dicit oppressis*. Ps.146.7. Ejusque quasi proprium est, oppressos liberare. *Omnia ossa mea dicant, Jehova, quis sicut tu, eripiens afflictum à fortiore eo, & pauperem & egenum à diripiente eum*; Confer Esa.59.15.16.Ps.12.6.Id pluribus sanctis evenit; *Lotho, Josepho, Davidi, Christo, &c.* ascendunt enim gemitus ad Deum, qui exaudit. Gen.4.10.Exod.3.7.cap.22.23.Jacob.5.4. Apoc.6.9.10.

Usus. Ideò abstinendum ab aliorum, pauperum maximè oppressione ac persecutione. Meminerint tyranni superiorem esse in cœlis.Eccl.5.8.Colost.4.1.qui innocentium Patronus, eorum oppressionem vetuerit, atque oppressoribus vindictam interminatus sit. Prov.22.23. Jacob.5.1.eandemque multoties præstitit: in *Sodomitis, Pharaone, Saule, Achabo & Jesabele, Insidiatoribus Danielis, Antiocho*, & tyrannis alijs compluribus. *Justus enim Deus & justa judicia ejus.*

Quin affici potiùs debemus *sympathiâ* erga eos, quos videmus ab impijs opprimi, nec aliud solatium habere, nisi gemendo ac plorando. *Ne pigreris infirmum invisere, nam ex hujusmodi rebus amaberis*. Syrac.7.37. *Flete cum flentibus &c.* Rom.15.12.quod *Iob* se fecisse testatur: *Annon flebam pro eo, cui dura erant tempora?* c.30.25. Juvemus illos ad Deum clamare, ejusq; implorare opem ac justitiam: consolemur illos, ac opitulemur illis, deniq; vindicemus eos pro viribus. Rom.12.13.Ex. *Samaritani*. Luc.10.

DE SECVNDO.

Miserrimus certè iste est mortalium status, qui injuriam patiuntur à fortioribus, nec aliunde pro tempore remedium sciunt, nisi in lacrymis, quibus nihilo beatiores redduntur. Hinc lamentandi caussam *Salomon* sumsit de vitæ hujus miseriâ, suumque judicium de prædictâ calamitate oppressorum exprimit v.2.&.3.

[A.] *Prior* aphorismus clarissimus est ac indubius: Nempe beatiores esse piè mortuos, quàm vivos: Ratio, quia præsentis vitæ miserias effugêre, & cumprimis, quia peccare desinunt. Vide de hâc materiâ Hom.in Eccl.c.7.v.1. *Melior dies mortis, die quo nascitur.*

[B.] *Po-*

[B.] *Posterior* Aphorismus cum discretione accipiendus est. Hic nempe, quòd is qui nondum fuit vel sit, beatior sit & vivo & mortuo. Hoc enim dictum non ita accipiendum est, quasi is, qui nondum natus est, sit, atque tum vivente tum mortuo felicior sit: falsa enim fuit Origenis opinio, de animabus ante corpora existentibus.

QUÆST. *Quæstio* igitur est, *An præstabilius vel eligibilius sit nunquam fuisse, vel natum esse, quàm vel vivere & tot mala hujus vitæ experiri, aut etiam mori & talia expertum esse?*

RESP. Solutionem videtur Christus dedisse, Matth. 26. 24. de Juda, inquiens, *quod satius ei esset, si nunquam natus fuisset:* respiciens videlicet ad miseriam æternæ damnationis, cui erat ille devovendus, ob proditionis Christi facinus abominabile.

DIST. Distinguendum ergò inter *pios* ac salvandos, & *impios* ac damnandos æternùm.

Quod enim illos attinet, etsi quod præsens attinet ævum, status illorum miserrimus & cruciatibus plenus esse possit, præstat tamen illis natos esse, quàm nunquam extitisse.

RATIO 1. Quia Vita per se insigne Dei donum: atque esse per se præstantius est, quàm non esse.

2. *Quia*, qui non est, aut fuit; nullum Dei, ceu summi Boni, cognitionem aut sensum ac participationem est adeptus; neque adeò operum ac beneficiorum Dei spectator aut fructuarius esse potuit.

3. *Quia* sine terrenâ vitâ, nemini licet æternæ ac beatissimæ illius vitæ participem fieri: cùm qui nunquam hic fuit, nec illic erit.

4. *Quia* quantæcunque sint præsentis vitæ miseriæ, non sunt tamen cum futura felicitate comparandæ, immò lucta sunt modò & aditus ad illam assequendam. Rom. 8. 18. Neque enim pœnitebit olim Martyres hic decertasse & dira sustinuisse. *Merces magna erit.* Matth. 5. 10.

Ergò hujus vitæ ejusque acerbitatum respectu, hyperbolica fuerit ista *Salomonis* sententia, quâ plus dicitur, quàm intelligitur, ad exaggerandas illas directa, ut fieri solet in communi sermone. Verè enim pijs quidem longè est eligibilius ac melius, dira quæque hoc in seculo subire,

ire, nedum alienam miseriam tueri, quàm æternâ illâ in cœlis felicitate non frui.

Quod verò *impios* ac damnandos attinet: omninò satius foret illis nunquam natos esse, quàm ut & hujus & futuri seculi cruciatus experiantur: quod è mente Servatoris est: atque mortem dicuntur in gehennâ imploraturi, quæ tamen ab illis sit fugitura. Apoc. 9. 6.

Nec aliter verum Græcorum adagium, *Bonum non nasci.* Cic. lib. 1. Tusc. Q. quamvis illi de hoc ævo intellexerint: Et huc facit alterum illud pervulgatum: *Melius est non esse, quàm in miseriis esse, sc: æternùm damnaturis.* Sicque optimè conciliantur *Augustinus & Hieronymus* quorum ille libr. 3. de lib. arbit. cap. 7. & 8. defendit, dignius ad eligendum quodcunque *esse*, quantumvis miserum, quàm non esse, &c. Hic verò statuit, melius esse, non esse, quàm vivere in supplicijs.

HOMILIA II.

TEXTUS vs. 4, 5, 6.

Videbam enim ego omnem laborem & omnem æquitatem factorum suorum ipsam esse invidiæ homini à proximo suo. Etiam hoc vanitas est, & afflictio spiritus. Stolidus complicat manus suas, & consumit carnem suam. Melior est, inquit, plena vola quietis, plenis pugnis molestiæ & afflictionis spiritus:

Egit

EGIT sapientissimus *Salomon* in antecedentibus de ejusmodi miseriæ humanæ genere, quod alij alijs inferunt, potentiores nimirum inferioribus, eos opprimendo injuriosè. Nunc aliud promit, æquè usitatum ac miserum, nempe *Invidiam*, quæ inter æquales maximè ac pares versatur; quâ quidem sibi ipsi nocet ac molestiam creare solet Homo.

Malum hoc *duas* quasi complectitur personas:

I. *Vna est illius cui invidetur: seu qui invidiam patitur.*

II. *Altera illius, qui invidet, & æmulatur.*

De utroque malo agit Salomon p. v.

DE PRIMO.

Et de *priori* quidem v. 4. quo indicatur,

(A.) Quid sit illud, quod Invidiæ malo sit obnoxium.

(B.) Adversus quos Invidia exerceri soleat.

(A.) Videbam ego omnem laborem, & omnem æquitatem (aut rectitudinem, aptitudinem) factorum, ipsam esse invidiæ homini à proximo suo, (vel quòd esset invidia viri in proximum.) Innuitur, Fortunam ac prosperitatem hominis omnigenam, invidiæ malorum expositam esse, quam virtute suâ & industriâ, atque successu suorum laborum ac rectè factorum assecutus est: ut sunt gloria, authoritas, divitiæ, possessiones, amicitiæ, &c. quanquam constet conflari invidiam undecunque quis prosperè agat, etiam malis artibus: & hoc quidem zeli genus justum & æquum esse putatur. Ita verò *fortunam & invidiam* insolubili nexu colligatas esse, veteres statuerunt appositè.

Quisnam impacatâ consanguinitate ligavit,
Fortunam invidiamq; Deus? quis iussit iniquas
Æternum bellare Deas? Stat. 5. Sylv.

Ὁ φθόνος πρὸς τὸν ἔχοντα ἕρπει: *Invidia penes eos qui rem habent serpit.* Sophocles in Ajace. Ita *Isaacus* opibus abundans, & regio favore gaudens, obnoxius erat invidiæ Philistæorum, Gen. 26. 15. Ita oderat *Cain Abelem, cùm Deus sacrificium ejus respiceret.* Gē. 4. 5. *Esau Jacobum* pro bene-

dictione, quâ benedixerat ei Pater. Gen. 27. 41. Filij Jacobi fratri *Josepho*, invidebant Patris gratiam, & tunicam polymitam. Genes. 37. 4. *Saul* cum suis oderat *Davidem*, Ps. 118. 12. *Circumdederunt me sicut apes:* nempe invidebant illi dulcissimum mel divinorum bonorum, quo exundabat *David:* Christum Sacerdotes, Joh. 11. 47. *Quid agemus, nam hic homo multa signa edit. Si omittamus eum ita omnes in eum credent, &c.*

)(Hinc miseriæ & infortunij indicium statuitur, immunem esse ab invidia aliorum. *Melior est invidia commiseratione.* Et *sola miseria caret invidiâ.* Valer. Max. lib. 4.

Appl. Unde miseria hujus seculi patescit: si quis enim virtutibus præclaris dat operam, si industrius est in officio quocunque, si felicem habet rerum successum, si nominis inde celebritatem, divitias, authoritatem, felicitatem consequitur; mox eo ipso invidiam æmulorum incurrit atque odium, qui insidiantur, convitiantur, persequuntur, omnibusque modis casum ejus meditantur: tantumque abest, ut quos fortuna amplexa est, securi, velut ab omnium invidiâ ac malevolentiâ alieni, vivere debeant: ut quantò fortunatiores sunt, tantò magis se invidiæ patere sciant. Ut enim impossibile est, non comitari umbram eos, qui in Sole ambulant: sic &c.

Usus 1. Quem ergò non tæderet hujus vitæ; quâ si malè egeris, judicium; sin benè, invidiam incurras: si adversâ fortunâ utaris, miseres; si prosperâ, miserior fermè, inimicorum nempe invidiæ expositus.

Usus 2. Nec tamen ad effugiendum hoc malum ne sit invidiosus, à virtutis studio, labore ac industriâ rectè factorum absterreri quisquam debet: *Invidiam virtute partam, non invidiam sed gloriam esse reputandam*, dixit Cicero, in Catil. Quin potiùs ut invidi se antagonistas præbent virorum bonorum: Ita hi strenuos se & pugnaces præstent adversus invidiam: Immò incitamentum capere debent ex aliorum invidentiâ, ut tantò impensiùs rectè factis dent operam: sicut David, 2. Sam. 6. v. 21.

Usus 3. Id tamen aliquod *remedium* videtur adversus invidiam, quod *Seneca* dat Epist. 105. *Invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaveris, si sciveris in sinu gaudere.*

Illi verò qui hoc affectu laborat, hoc remedium præscribit *D. Basil.* Homil. de Invidia; *Nihil ex his bonis, quæ materiam invidiæ suppeditant, magni-*

magnifacere, sed fluxa vanaq; prout sunt, existimare. Vitrum, florem, &c. *August.* hoc: Ea sc. quæ proximi sunt reputare pro nostris. *Tolle invidiam, & tuum est quod habeo, tolle invidiam & meum est quod habes*: In Ps. 139. Sed & *vitij huius turpitudo* animo obversetur: Etenim Invidia odit ac adversatur optimis quibusq; rebus, virtuti, industriæ, felicitati: ipsamque adeò Dei dispensationem, dona sua pro lubitu inter homines distribuentis, iniquitatis inimulat: uti fecisse constat mercenarium illum nequam: Matt. 20. 15. *Diaboli unum vitium.* Nam & Diaboli invidiâ mors intravit in mundum, Sap. 2. 24. Hominem ergo in Dæmonem immitissimum convertit invidia.

(B.) Sed & alterum attingit, Nempe, qui maximè Invidiæ pateant; Pares sc. seu æquales, quos *proximorum* nomine Ecclesiastes appellat. Ut enim tyrannis, de quâ ante, est superiorum erga inferiores, sic Invidia inter pares obtinet. Hinc dominari illam videmus

Inter fratres: Cainum & *Abelem*, Genes. 4. *Esau* & *Jacob*, Gen. 27. *Josephum* & Fratres, Genes. 37. *Rachel* & *Leam*, Genes. 30. *Mosen*, &c. Num. 12. *Fratrem prodigi*, &c. Luc. 15. *Romulum* & *Remum.*

Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Lucan. libr. 1.

Sic inter affines, consanguineos:

Inter viros in Republica eminentes: Ex. *Haman, Mardochæus*, Ester. 3. Satrapæ *Dary, Daniel: Cæsar* & *Pompeius: Crassus* & *Cicero*, &c. Nihilque inter aulicos frequentiùs Invidiâ. Benè *Plutarchus: Enimverò Regionem aliquam invenire liceat, quæ feris careat, quod de Creta narratur; Respublica autem nulla adhuc extitit, quæ nullam invidiam, nullam æmulationem, aut studium contendendi protulisset.* de capiend. ex hostib. utilitate.

Inter viros Ecclesiasticos. e. g. *Aaron & Mose.* Num. 12. *Christi discipulos*, Matt. 20. *Paulum & Barnabam.* Act. 15. 39. *Augustinum & Hieronymum*, &c. Invidia mera protulit Hæresiarchas quamplurimos.

Inter alios, qui eiusdem conditionis, status ac artificij sunt, adeoq; æquales, similis fortunæ ac studiorum: Ita divites divitibus, sapientes, eloquentes, sapientibus, eloquentibus alijs invident: Vicinus vicino invidet. Aristot. 2. Re. *Figulus figulum odit:* Das Handwerck haßt einander. Quin &

——— ——— *Mendico protinus invidet alter*
Mendicus, cantor cantorem lividus odit. Hesiod.

Quamvis autem par pari communiter invidet, tamen interdum

inferior majori, quia ei non coæquatur, inquit D. Augustinus, Genes. ad liter. cap. 14. Item *superior inferiori*, ne hic ei coæquetur, sicut pari par. Aliâs autem si nimis alta sit dignitas aut felicitas, cessat & extinguitur invidia. Neque enim privatus facilè Regibus & Principibus suam sortem invidet.

Cæterùm constat ex ambitione ac φιλαυτίᾳ Invidiam potissimùm manare. Invidus enim parem ferre nequit, sed semper vult antestare cæteris: unde in id innititur, ut, si quâ posset ratione, proximi dejectione & ruinâ sibi gradum ad altiorem gloriam, authoritatem & felicitatem conciliet, idque pessimis artibus ac horrendis non rarò sceleribus: de quibus summatim *Chrysostomus: Mater*, inquit, *omnium malorum, radix homicidij, subvertit Christianorum conventus, justitiam corrumpit, profert maliloquia & obtrectationes, peperit hæreses, & fraternam manum armavit.* Ideò *Paulus* φθόνον cum φόνῳ junxit, Rom. 1. 29.

DE SECVNDO.

Sed enim ut rebus tum publicis tum privatis nocentissima est Invidia, *tum omnium maximè obest illi, qui eâ est imbutus*: adeò, ut cùm peccatum sit iniquissimum, maximam tamen conjunctam habeat æquitatem, ac condignas pœnas de suo possessore sumat, eumq; inferius adhuc dejiciat, qui parem ferre non potest: De quo jam secundo loco agit *Salomon*, ostendens in quas miserias seipsum conjiciat, qui invidiâ laborat. v. nim. 5. & 6. *Stolidus complicat manus suas, &c.* Summa huc redit: quia invidus desperet assequi eandem felicitatem, quam habet is, cui invidet; ideo se potiùs dedere otio & ignaviæ, quâ seipsum, tum per invidiam, tum per pauperiem exedat ac conficiat: inde verò inani se lactare solatio, satius esse quietum, & sine curis ac labore ingenti vivere, utcunque parciùs ac mendiciùs; quàm magnam habere rerum abundantiam, conjunctam curis, laboribus ac miserijs. v. 6.

[Alij judicant, *secùs* hunc esse, quasi quis ad evitandam invidiam malit sese abstrahere ab omni labore ac industriâ, eoque se potiùs otio dedere, utcunque inde ad pauperiem miseram perveniat: ut sic miserendus potiùs evadat, quàm invidiosus. Sed hoc experientiæ adversum est.]

Ait ergò v. 5. *Stultus complicat, &c.*

Per

Per *ſtultum* intelligit *invidum*, quia verè ſtultus eſt, ut qui ſuâ invidiâ plus ſibi, quàm alijs nocet: tùm etiam *ignavum ac inertem*; quia invidi plerunque otioſi; malunt enim nihil agere, quàm fruſtrari eo ſcopo, ut alijs fortunatioribus coæquentur: Eâdem *ſtulti* notâ piger quoque inuritur Proverb. 6.6. & 12.11. nihil enim ineptius pigro, ut qui non conſiderat futuram neceſſitatem. Ergò ſtultus hic eſt, *tum invidus, tum otioſus*; quia invidi plerunque otioſi, tempus ſuum conſumentes maledicentiâ, & detrahendo aliorum laboribus, induſtriæ ac felicitati. De hoc proin ſtulto, h. e. Invido dicit, quòd *complicet manus ſuas*: h. e. turpi ſe dedat otio. Hic enim otioſorum & ſomniculoſorum habitus. Prov. 7.9,10. Manus enim agendi & laborandi organum à naturâ datum, quod proin non complicandum, ſed explicandum eſt ei, qui laborare cupit: quò ſpectat quod dicitur Prov. 19.24. *Abſcondit piger manum ſuam ſub axillâ ſeu in ſinu.* Et ſic etiam invidus nonnunquam præ dolore complicare ſolet manus. Sed quid ſtultus ejuſmodi, h. e. invidus & otioſus ex invidiâ ſua cum ignaviâ junctâ habeat lucri, pulcrè Salomon explicat, dicens, *Et comedit carnes ſuas*.

His tum *Invidiæ* tum *Otij* fructus deſignat Salomon.

2. *Invidus enim comedit carnes ſuas*, præ mœrore vel angore, quem concipit ex alienâ felicitate: quo non exquiſitius eſt tormentum: locutio hyperbolica. Confer Apoc. 16.15.

Invidus alterius macreſcit rebus opimis,
Invidiâ ſiculi non invenêre tyranni
Majus tormentum, &c. Horatius.

Animæ tineam, vocat Auguſtinus, *tabem, rubiginem, carnificem, viperam.* Serm. 13. de Tempore. (Perinde ut Hebræi *Invidiam eſſe hominibus inſtar morbi, & adducere tandem tabem.*) Eadem invidiæ hisque plura *Baſilius* epitheta percenſet, ut *vulturum* & *muſcarum*, quæ ex cadaveribus paſcuntur ac ulceribus. Homil. de Invidiâ: quia plerunque cum Invidiâ conjuncta eſt ἐπιχαιρεκακία: Unde, ſicut ſcarabæi alieno ſtercore nutriûntur, ſic invidi adverſâ aliorum fortunâ. *Putredo oſſium invidia*, ait Salomon, Prov. 14.30. *Animi ſerra*, Socrates. *Æterna miſeria eſt, alienis bonis torqueri; alienis delectari malis, voluptas inhumana.* Seneca. Epiſt. 105. ad Lucil.

Usus. Niſi quis ergò ſui-ipſius carnifex eſſe velit, contineat ſe ab invidiâ; *Mi fili*, ajunt Hebræi, *cave tibi ab invidia, nam illa cognoſci-*

tur in te, sed non cognoscitur in inimico tuo, h.e. tibi magis oberit quàm illi; sequaturque potiùs festivum illud Plinij Junioris monitum: *sive plus, sive minus, sive idem præstans; lauda vel inferiorem, vel superiorem, vel parem. Superiorem, quia nisi laudandus ille non est, non potes ipse laudari: inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam, quàm maximum videri, quem excedis vel exaquas.*

b. Idem obtingit quoque *Otioso, ut comedat carnes suas*, h.e. ut tandem ad pauperiem redactus, & necessarijs ad vitam sustentandam destitutus, sensim extabescat. Passim in Proverb. id docet *Salomon*, Desidiam matrem esse inopiæ, idemque & ratio ac experientia comprobat. Est ergò hîc dirisimæ & extremæ famis periphrasis advertenda; veluti qui cruciatibus famis adactus in propria viscera sæviat. Vide Esai. 9. ℣. 19, 20. Eum verò qui turpi, malitioso que se devovet otio, cùm posset operari, & evadere ex suâ indigentiâ, nolit tamen, dignum esse qui fame pereat, neminemque ad eum sublevandum teneri, Interpretes veteres statuêre, ex illis verbis Pauli, 2. Thess. c. 3. 10. *Si quis non vult operari, non manducet.* Confer. Prov. 20. 4. & non dabitur illi, &c. quod Monachis mendicantibus itidem esset faciendum.

Us. Laborandum ergò, &c. vitemus otium, quod gradum struit ad Invidiam. Atq; hæc dignissima merces Invidi, qui tempus suum otio terit, hocque otium impendit ad nefariam illam invidiæ praxin, quæ in maledicentiâ, obtrectatione, atque insectatione fortunatiorum consistit.

Est tamen aliquod solatium, quo se miser ejusmodi inaniter lactat.

Text. *Dicens, Melior est pugillus (unus) in requie, quàm plena utraque manus, cum labore & afflictione animi.* Sententia est in se verissima, atque ab ipso Sapiente alibi confirmata, veluti Prov. 17. 1. *Melior est buccea cibi sicci, qui cum est tranquillitas, quam domus plena mactatis animalibus, in qua est contentio.* Sic cap. 15. 16, 17. ut & Psal. 37. 16. *Melius est paululum justo, quàm divitiæ impiorum multæ:* sensusque est, Præstare victum utcunque tenuissimum ac parcissimum cum vitæ ac conscientiæ requie: quàm divitias immodicas, atque victûs lautitias exquisitissimas, cum animi ac conscientiæ angore, solicitudine, & inquietudine vitæ, &c. Immò satius vel egere, cum pace & lætitiâ animi; quàm saturum esse ac abundare inter jurgia & conscientiæ morsus. Quin immò, si res attentè consideretur, Nunquam eget pius; quia si non semper corpore, at animâ saturatur; acquiescit enim in Deo, cujus vivit

verbo,

verbo, atque αὐτάρκειαν habet. Avarus autem semper eget, ejus thesauri sunt insatiabiles: semper esurit plures appetens divitias, instar sanguisugæ, quæ semper dicit *affer, affer*, Prov.30.25. Ut verè penes pauperem pium sit abundantia & satietas; Penes avarum impium indigentia & fames perpetua; *Justus comedit ad saturitatem animæ, venter autem impiorum eget*. Prov.13.25. Adhæc si pugillo quantumvis perparco adsit Dei benedictio, quæ res etiam minimas auget ac multiplicat; ambabus verò avarorum manibus ea desit, quâ deficiente amplissimæ divitiæ evanescunt: quis non videt præstare pugillum pij, copiæ ambarum manuum impij. Quis enim pluris non faciet pugillum farinæ viduæ ac lecythum olei, cui tanta adfuit Dei benedictio, 1. Reg. 17.12. quàm plena horrea & cellas stulti illius Lurconis, Luc.12. Potissimum igitur, quod in quærendo victu observari meretur, est, ut is, quantumvis tenuis, sit cum requie sc. conscientiæ & animi, conjunctus: Vitandæque gazæ, quibus labor injustus ac ægritudo animi ac conscientiæ adhæret: Quis enim sanæ mentis tales expetat?

Sed enimverò inepissimè *stultus* ille, h.e. Invidus, ignavus proverbialem istam sententiam in patrocinium suæ stultitiæ atque ignaviæ adducit, seque in cassum eâ consolatur, sibique inaniter applaudit in sua invidiâ & desidiâ: q.d. satius esse egere, aut tenuiter vivere, dum nullis laboribus & curis divexeris, quàm abundare, dum vitam tamen laboribus & molestijs plenam habeas: Hoc enim dictum non invidis & ignavis patrocinatur; sed illis qui justo labore non plus assequuntur quàm modicum victum, pace interim tum domesticâ, tum spirituali in Domino fruuntur, atque in Deo sunt divites.

DOCTRINAE.

1. *Stulti & vitiosi solent vitia sua non rarò Verbo Dei palliare*, aut aliàs speciosis *prudentiæ* ac *honestatis* titulis excusare: e.g. superbiam gravitatis & magnificentiæ; inscitiam simplicitatis; prodigalitatem munificentiæ; fastum in vestitu mundities; fraudulentiam prudentiæ; temeritatem fortitudinis; avaritiam parsimoniæ & œconomicæ curæ; luxum & intemperantiam amicitiæ, & jucundæ conversationis; tyrannidem justitiæ; negligentiam supinam clementiæ & bonitatis; propolia, monopolia, expilationes proximi mercaturæ legitimæ. Illis, qui verbo Dei hîc tam nefariè abutuntur, verbum hoc vitæ *odor est mortis*

mortis ad mortem, 2. Cor. 2. 16. *lucerna* ista viæ *scopulus* est in quem impingunt: Hi, qui vitia sua virtutum nomine insigniunt, sunt illi ipsi, de quibus Esa. 5. 20, Væ dicentibus de *malo bonum esse, &c.* Similes Diabolo, qui se *transformat in Angelum lucis*, 2. Cor. 11. 14.

2. *Dum vitant stulti vitia in contraria currunt:* Nesciunt medium tenere, aut mediocritatem observare. Stultus enim dum declinare vult nimiam terrenorum concupiscentiam, otio se devovet, quo fit, ut etiam necessarijs destituatur, ac carnes suas comedere cogatur, ipsiq; obveniat, quod Prov. 21. 25. dicitur: *Desiderium pigri morte afficit eum, quia renuunt manus eius facere quidquam.*

——— *Medium tenuêre beati.*

3. *Incidit in scyllam, qui vult vitare Charybdin.* Stultus cogitat evitare solicitudinem & inquietudinem, quam sæpè magnæ secum divitiæ afferunt: sed majorem longè sibi ægritudinem & miseriam attrahit, dum se turpi devovet otio, quia dirâ tum fame pressus, de vitâ tuenda nimiò cogitur esse solicitus.

Laborandum ergò, &c. Necessarijs contenti simus, 1. Tim. 6. *Tyaneus* à Dijs petijt, *Concedite mihi panca habere, & nullius indigere.* Convenit cum eo Aguris: Prov. 30. v. 6. Quod *Ovenus* ita expressit in Epigr.

Non paupertates nec opes desidero magnas,
Nolo parum, nimium nec volo, sat mihi sat.

HOMILIA III.

TEXTUS v. 7. 8.

Sed rursus ego vidi, hoc esse vanitatem sub sole. Est unus aliquis cui deest secundus, cui tum filius tum frater deest; nec tamen est finis omni labori eius, etiam oculus eius

non

non ſatiatur divitiis; ut dicat, Et cui ego laboro, quòd deſtituo animam meam bono? etiam hoc vanitas & occupatio mala eſt.

VERISSIMÈ dictum, *Dum viuant ſtulti vitia in contraria currunt*, adeò ut medium tenere nequeant. Quod ipſum ſapientiſſimus Salomon obſervaſſe videtur.

Confert enim ignavum cum avaro; quorum ille in defectu peccat, hic verò in exceſſu: dum ille nihil agendo ad miſeram pauperiem & eſuriem prolabitur: hic verò nimis cumulando, dementiam prodit extremam.

Uterque exemplum præbet miſeriæ & vanitatis humanæ. De priore genere in præced. Nunc de iſto, *Avarorum* ſcil. hominum dementiâ ac obduratione.

I. *Eam primò deſcribit.*
II. *Remedium illi opponit.*

DE PRIMO.

Deſcribit avarorum ſortem, v. 8. Et quidem

[A.] *ab inutilitate ſeu vanitate*, Text. *Eſt ſapè unus, cui deeſt ſecundus, &c.* Vel, *eſt ſæpe homo unicus (vel ſolus) cui nec filius nec frater eſt, qui tamen nullum laborandi finem facit.*

Loquitur hîc Sapiens de ejuſmodi avaris, qui nullos habent naturales hæredes, puta filios, filias, aut fratres ſeu proximè cognatos ac conſanguineos; qui tamen continuâ cum animi inquietudine ac ſine fine laborant, eum ſaltem in finem, ut opes cumulent & congerant: quibus tamen nec ipſi uti velint vel auſint; nec habeant hæredes, ac conſanguineos proximiores, quibus illa relinquant. Atqui ſumma fatuitas & inutile ſtudium eſſe iſtud, nemo non videt. Nihil enim magis eſt inſulſum, quàm ſatagere multum circa illa, è quibus nec tu, nec tui, qui vel ſanguine vel neceſſitudine aliquâ tibi ſunt devincti, ullum fructum percipiant. At ſepereris tales (inquit hîc Salomon) qui ſolitarij

sint, quibus nec filius, nec frater, adde nec propinquus vel amicus ullus, cùm avari præ sordicie nullius amicitiam soleant ambire vel excupere, vixque sit, qui amicitiam arctiorem cum illis contrahat.

Superius cap. 2. 18, 19. 21. *de alio genere avari* locutus est, nempe eo, qui fraudat genium suum honesto victu & cultu, & animum suum tranquillitate, ut plura relinquere possit propinquiori hæredi, filio aut fratri; quem propterea perstrinxit, quia de hæredum istorum conditione sit incertus; Utrum sc. benè & sapienter an malè bonis abs se relictis sint usuri. Vide *Homil.* in hunc loc.

Hic verò de tali genere avari sermo est, qui solitarius est prorsus, ut qui nec hæredes naturales habet, nec alios assumere cupiat ac sibi per beneficentiam devincire; adeoque nolit sua bona cuiquam usui venire, nec dum vivit, nec postquam mortuus est. *Exemp.* Qualis videtur fuisse *Nabal.* 1. Sam. 25. 11. Lurco item ille prædives, Luc. 12. 20. Dictum enim est illi, *Quæ paraſti cujus erunt?* Nec rarò hodieque in tales incideris, qui ἀπίστους, simulque sordidissimi, die weder jhnen selbs noch andern etwas gutes gönnen: quæ quidem extrema dementia. Illi enim avari, qui vel filios vel fratres habent, speciem excusationis habere possunt: quia ideò se congerere dicent, ut filiis, liberis, aut proximioribus consanguineis illa relinquant. Qui quidem prætextus in se bonus est: Convenit enim *parentibus cumulare filius thesauros, &c.* 2. Cor. 12. 14. Prudensque ac pius Paterfamiliâs omninò rei familiaris suæ, aut etiam familiæ & cognationis curam habere debet. 1. Tim. 5. Servit hoc illis honori & amori, & post ipsorum decessum grates ipsis à pijs ac justis hæredibus persolvuntur.

Isti verò solitarij cur congerant prætendere nihil possunt. Et si maximè avari filios fratresque habeant, eosque prætendant, hic tamen eorum prætextus nil valet quicquam, si avaritiâ cor fuerit obsessum: Veluti *si tales soli maneant*, & metuant partis uti fruique, aut ex illis alijs benefacere: (*Soli* etenim manere videntur avari, si maximè filios aut fratres habeant; si bonis suis illis succurrere nolint; sed sibi solis immò ne sibi quidem ea servent) *Et laborent sine fine*, vitam sibi austeram & molestissimam reddentes, saltem ut plura acquirant: maximè omnium, *si non laborando sed aliquid boni*. Ephes. 4. 28. quod & hic innuere voluit Salomon, sed malis potiùs artibus, veluti usuris, monopolijs, flagellatione annonæ opes cumulare satagant; quæ artes nefariæ haud-

dubiè

dubiè Salomonis tempore inauditæ ac inusitatæ fuerunt; quas aliàs non vanitatis modò sed horrendæ impietatis ad orcum usque damnasset. Tales enim filijs ac fratribus non bona, aut benedictionem, sed maledictionem Dei congerunt ac transmittunt; quæ sæpè super posteros manet, opibus pereuntibus ac evanescentibus: immò peccatorum subsidia & impensas ipsis suggerunt, aut otij turpissimi, quæ vitiorum mater.

DOCTRINA I.

Patet interim hinc, *quem in hæreditatibus adeundis servari ordinem juxta Dei & naturæ leges oporteat.* Proximi omninò hæredes filij, (filiæ in V.T. ex immobilibus, nihil capiebant, ubi filij aderant,) è quibus juxta Legem Deutr.21.17. primogenitus duplam portionem sumebat; illis deficientibus filiæ demum succedebant, ex Lege Num.27.8,9. (quæ tamen apud nos alibiqué pari cum filijs jure gaudent) Liberis naturalibus deficientibus, hæredes erant fratres, post hos patrui, inde consanguinei alij ac affines, ex citatâ Lege, Num.27.

Usus. Peccare igitur non leviter videntur *hæredipetæ*, adulatorès, qui blanditiis suis & detractionibus ac delationibus aliorum, apud pecuniosos ita se quandoque insinuant, ut depulsis ordinarijs & legitimis hæredibus, ipsi in hæreditates involent: Etsi enim Testamento id fiat, ipsisque bona sint legata, furti tamen species est, quòd Testatoris cor quasi suffurati sunt blandiloquentiâ suâ; sicut de *Absolomo* dicitur, 2. Sam.15.6. sicque Testatoris animum corruperint. Excipiendi tamen, qui fortasse benè de testatoribus, meriti sunt: eoque jure anteferendi illis, qui nihil boni in defunctos contulère. Illi verò naturæ pariter ac divina jura violant, nec inter Dei benedictiones, hæreditates ejusmodi recensere possunt.

DOCTRINA II.

Etsi labor passim injunctus legatur in S. Scripturâ: *Modum tamen laborando excedere, saltem ut abundes opibus, vitio vertitur,*

Hic ab Ecclesiaste à *Davide* Ps.127.2. *Frustra vobis maturantibus surgere, tardantibus sedere, edentibus panem dolorum, &c.* Eòdem tendit Lex Sabbathi, quâ & bruta animantia gaudere voluit Legislator.

tor. Tales injurij sunt in se ipsos, corpus enervant, vires corrumpunt, animumque fatigant: & quî posset ergò penes tales vera esse erga proximum charitas, commiseratio, beneficentia? Lex charitatis est, ut diligamus proximum sicut nos: quòd si tales alios tractent, sicuti quandoq; seipsos, quis charitatem aliquam agnoscet? Habenda corporis ratio, Rom.13.14. multoque magis animæ. Joh.6.27. Matth.6.33. Luc.10.41,42.

[B.] *Ab insatiabilitate. Text. Nec satiantur oculi ejus divitijs.*

Venter cibo satiari potest, & humeri bracchiaque ponderibus auri argentique itidem satiari possunt: non animus avari, quia semper plura desiderat, semper eget: Prov.13.25.

Est enim instar *famelici* ac sitibundi perpetim,

instar *hydropici*:

quo plus sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ.

instar *scabiosi*, qui quò plus cutem scabit, tantò ipsum plus pungit. *Plutarch. in moral.*

instar *canis voracis*. Senec. Epist.72.

instar *tyranni*, sine fine & modo subditos exhaurientis, non contenti quantiscunque contributionibus.

instar *maris*. Eccles.1.7. Vide quæ in hunc locum dicta.

instar *olei*, igni infusi, &c.

instar *ignis*, qui cùm ligna, quæ consumit, acceperit, excrescit. *Gregor.* Quo enim plura apponuntur ligna, tantò major evadit ignis: ita avaritia rebus desideratis cùm potitur non extinguitur, sed augetur.

instar *hirudinis*, Prov.30.15.

instar *Inferni*, omnia devorantis. Augustin.

(*Ambros.* libr. de Nabothothe cap.6. *Voces avari sunt propriæ mendicorum, Da mihi, quid faciam?*) Hinc est, quòd avari quanto diutiùs vivunt, tantò magis in ipsis & avaritia augetur, non minuitur. Ut verè dixerit Hieronymus. *Omnia vitia in homine senescente senescunt, sola avaritia juvenescit.*

Usus. Ingens igitur plaga avaritia. Quis enim dirâ semper fame premi, non inter reterrima mala judicat? Quid febricitantes magis vexat, quàm sitis inextinguibilis? Inter Dei pœnas graviores est,

edere,

edere, nec satiari: quantum igitur malum avaritia, quæ inexplebilis. Levit.26.26.Syrac.14.9.

Notanter verò dicit de *Oculis, eos non satiari:* innuens, ut desiderium multa habendi oculis accenditur & irritatur; ita nihil prorsus gaudij vel fructûs habere avarum è divitijs suis, præter inanem oculorum aspectum; quod & seq.cap.5.10.innuit, qui tamen & alijs obtingere potest, non illas possidentibus. *Caligula* fertur nudus sese super acervos auri volutasse. Sic igitur adspectandæ aliorum divitiæ, non ut concupiscas easdem vel similes; hoc enim decimo præcepto vetitum; sed ut quibus quantisque rebus non indigeas, agnoscas, ut Socratem fecisse fertur.

DOCTRINA.

Oculis variè peccatur, immò janua velut sunt, per quam peccatum in hominem ingreditur. Custodiendi igitur, &c. (Vide Homil.8. in Ecclesiast.cap.2.

[C.] *Ab incogitantiâ & insigni animi vecordiâ.* Text. *Nec cogitat secum: Cui laboro, & genium meum defraudo.* Species hujus incogitantiæ est, quòd avarus laboret & congerat, & nescit cui: Non enim sibi; quia jam ante sat habet, nec hominis vita in abundantiâ bonorum consistit, Luc.12. Non alijs, quia sæpè nullos habet hæredes propinquos. De stultitiâ hac etiam Psalm.39.7. dicitur: *Congregat & nescit cuinam colliget ea:* & *Quæ paraſti cuius erunt?* Luc.12.20. Longè verò major est istorum hominum incogitantia & obduratio, quod non animadvertunt, cumulare se sibi injustâ avaritiâ, *thesaurum iræ Dei in diem iræ:* Rom.2.5. Parum enim est, quod sæpissimè immaturâ morte de suis divitijs rapiuntur. Ut perdix colligit ova; sed non excludit: ita comparans divitias, sed injuria, medijs diebus suis derelinquet eas. Sic Jerem. 17.11. Job.27.20. quod ipsi tamen in alijs non observant. Hic verò ingens stupor, quod non vident, quantum ipsos Mammon abducat à vero & sincero amore & cultu Dei: & quod dum terrenis inhiant, cœlestia perdant æterno suo exitio.

HOMILIA IV.

TEXTUS vſ. 9,10,11,12.

Meliores ſunt duo quàm unus; quia eſt ipſis pramium bonum ex labore ſuo: Nam ſi cadant, eorum unus erigit ſocium ſuum; va autem illi, unico illi qui ceciderit, quum non adſit ſecundus ad erigendum illum. Etiam ſive cubent duo, concaleſcunt illi; unicus autem quomodo incaleſceret? Sive fortior ſit altero unuſquiſpiam, ipſi ambo obſiſtent ei: denique filum triplicatum non citò abrumpitur.

DE SECVNDO.

QUémadmodum à perito Medico requiritur, ut non modò morbum noſſe ac indicare valeat; ſed inſuper ſalubria medicamenta illi averruncando præſcribat: Ita ſapientiſſimus Salomon, non ſatis habuit in hoc libro rerum humanarum vanitatem & miſeriam multiplicem, mixtis lamentis, deſcripſiſſe: quin ſubinde remedia illis utcunque levandis aut ſubterfugiendis præſcripſerit. Commune remedium & inſtar panaceæ illi eſt, Non nimium curarum, operis, ac laboris in hæc caduca, quanta qualiaque appareant, impendere; ſicque ſibi moleſtam & amaram reddere hujus lucis uſuram; ſed decorâ potiùs cum animi tranquillitate ac lætitiâ rectè partis uti ac frui; cætera Deo commendare, eumque

eumque sincero corde timere. In primo versu speciale aliquod remedium describitur, quod Salomon præscripsit illi avarorum generi, qui sicut canis in præsepi, solitarij degunt, simulq; nec filios habent, nec fratres, aut hæredes alios naturales ac consanguineos, qui tamen laborandi nullum faciunt finem, & nec sibi nec alijs opibus suis sunt usui ac emolumento, miserrimi mortalium! Ejusmodi hominem salutari consilio instruit hic Ecclesiastes: ut, ne tam solus sit, tamq; aliorum præsidio destitutus, faciat sibi amicos ex Mammonâ injusto, atque naturæ orbitatem resarciat & soletur aliorum societate, de quibus ingenuè, liberaliter, & benè mereatur; atque sic suis opibus vel unum saltem singularem, fidum, & familiarem amicum sibi conciliet, qui in secundis congaudere, in adversis solatio, auxilio & præsidio esse possit.

Videnda hujus consilij,

I. Propositio:

II. Confirmatio.

I. Melius est esse duos simul, quàm unum.

Commendat Salomon societatem & amicitiam in genere humano, quam quidem natura videtur illi implantâsse: unde Aristoteles de homine ait, quòd sit ζῶον πολιτικόν, seu sociale. Etsi verò primaria sit illa inter homines societas, quæ fit per Conjugium, quo duo in unam carnem arctissimè coalescunt; quò respiciens Deus itidem dixit, quod hoc Salomon, *Non est bonum hominem esse solum*: Non tamen propositum est hîc Ecclesiastæ Conjugium suadere; sed societatem potiùs cum quocunque homine. Suadet enim avaro, ut suis opibus sibi conciliet vel minimùm unum amicum, singularem, fidum, ac certum, cui assiduè, familiariterque conversetur, cuique ex arctissimâ amicitiæ lege arcana pectoris communicare ausit.

Notanter verò loquitur *de duobus*, non pluribus: quia aut nunquam aut rarò admodum tuta ac stabilis est inter plures, quàm duos, singularis ejusmodi & arctissima amicitia ac necessitudo. Eadem Syracidis mens cap. 6. 6. *Qui pacem colant tecum, multi sunto, consiliarij verò tuis unus ex millenis.* Nec Philosophis probatur amicitia inter multos diffusa, ut quæ *facilè marcescat* (uti Plutarch. Opusc. de amic. in multos diffus.) *aut vilescat, denique pereat.* Quemadmodum polygamia odia & æmulationes excitavit inter uxores, & erga maritum diffidentiam: Eadem

male-

suppullulant in amicitiâ plurium. Et quæ in historijs amicitia arctior commendatur, non nisi duorum fuit. Ex. *Davidis* & *Jonathæ*, in sacris. *Pythiæ* & *Damonis*; *Pylade* & *Orestis*. D. Augustin. l. de Amicit. cap. 5. ex hoc loco colligit, amicos *duos*, aut ad summum *tres* deligendos. Finguntur à Poëtis Gratiæ tres, quòd tribus maximè videatur coalescere amicitia: Tertius enim amicus videtur tollere quotidiani convictus cum uno & eodem satietatem: quin & tertij interventu & judicio, duorum suspiciones ac expostulationes sedari ac componi possunt.

Object. Videtur autem singularem ejusmodi atque arctam *amicitiam inter duos*, aut sanè paucissimos consistentem, *adversari Christianæ charitati*, ut quæ erga omnes protendi exercerique debeat; & quidem in tantum, ut proximum quemque sicut nos ipsos diligamus: quod dum sit, videtur non majora nos præstare posse ijs, quos amicos appellamus, quàm quæ cunctis alijs præstare teneamur, ex charitatis illâ Lege, Roman. 13. 1.

Resp. Gradus esse amoris & amicitiæ, sic ut salvâ generali charitatis Lege, in certas quasdam personas possimus & debeamus esse propensiores. Quis enim sanus negabit, conjuges, parentes, liberos, fratres plus esse diligendos, quàm extraneos? de quorum amore singularia quoque extant præcepta. Fidei domesticos plus esse diligendos, quàm infideles, innuit Paulus. Gal. 6. 10. Petrus itidem distinguit inter *amorem fraternum*, & *charitatem vulgarem*, 2. Ep. 1. 7. Ita ergò nihil prohibet, quin arcana magis & adstrictior sit, cum quopiam homine amicitia, quâ tamen nihil derogetur debito illi communi charitatis erga proximum. Sic Christus ipse teneriore amore prosecutus est Johannem præ cæteris discipulis: Joh. 13. 23. c. 21. 20. Sic nunquam fuit improbata Davidis & Jonathæ pacta amicitia, 1. Sam. 18.

Jam ut amoris & affectûs sunt gradus, sic etiam officiorum: Neque enim quæ conjugibus, parentibus, liberis, &c. debemus officia, benevolentiam, aut beneficia, eadem promiscuè in omnes conferre adstringimur: Ita nihil vetat, quò minus, amplius atque ultra id, quod cuique proximo debemus, in amicum bonum & fidum conferamus. Quemadmodum non peccant illi Reges, inter quos sunt fœdera, si fœderatis suis solùm succurrant, non item alijs; siquidem fœdera ejusmodi Lege Dei non improbentur. 1. Reg. cap. 4. v. 5. Ita nec charitatem Christianam violant, qui plura præstant erga amicos suos, quibus fœdere veluti quopiam juncti sunt, quàm alios quosvis.

II. Con-

II. Confirmationis loco allegat Salomon insignes & multiplices utilitates & commoda, quæ ex amicitia ejusmodi singulari ac arctiore prosiliunt. Idque

A. tum *in secundis:*

B. tum *in adversis.*

Amicitia & secundas res splendidiores facit, & adversas patiens, communicandoque leviores. Cicer.

[A.] *In secundis.* Text. *Habet enim mercedem (seu emolumentum) in labore suo.* h.e. fruitur labore suo. Dixerat ante de avaro, non finem facere laborandi, & quidem incassum, quia nullum ex illis usum, fructum, gaudium percipiat, quum sit solitarius: Atque eandem quæstionem objecit ab initio libri mundicolis: *Quid habet homo de omni labore suo, quem facit sub sole?* Eccles. 1. 3. Nunc verò respondet avaris qui solitudinem amant, id habere emolumenti, si opibus suis demereantur bonum amicum, cum quo sese exhilarent: quique secundis collætentur & congratulentur.

DOCTRINA.

Id *veri amici officium est, secundis rebus amicorum congaudere & congratulari. Gaudete cum gaudentibus.* Rom. 12. 15. Ex. Vicini Boas. Ruth. 4. 14. Accolæ & cognati *Elisabethæ.* Luc. 1. 58. Marc. 7. 37. Quod non faciunt invidi, &c. De quibus alibi. Vide Hom. in hoc caput 2.

Similiter & illi, quibus Deus prosperitatem concedit, gaudij & *felicitatis sua alios quoque debent reddere participes, nec sibi solis vivere.* Id ab avaro heic efflagitat Salomon. *Jacob* Esavo idem præstare conatus est, Gen. 33. 10. *David* Mephibosetho, Jonathanis filio, 2. Sam. 9.

)(Male igitur agunt, qui amicitiam omnem in suos modò usus convertunt: quæ quid fallax & turpis amicitia, si modò sit utilis amicitia, ut vocatur. Venustè Cicero, 2. de nat. Deor. *Amicitiam si ad fructum nostrum referamus, non erit ista amicitia, sed mercatura utilitatum suarum.*

[B.] In *adversis* verò triplex emolumentum redundare asserit Salomon ab amico fido:

1. *Solatium*, v. 10.
2. *Auxilium*, v. 11.
3. *Præsidium*, v. 12.

Cuncta hæc proverbialibus locutionibus explicantur à Salomone.

I. *Solatium & consilium.*

Text.v.10. *Nam si alterutrum ceciderit, &c. Væ, &c.* Simile à Viatoribus desumptum: Præstat enim cum comite iter facere, quàm solitarium. *Amicus jucundus in viâ pro vehiculo est.* Sunt autem *lapsus vel casus* duplices: *Corporis* & *Animi*; *Corporis* sunt illi, quibus corpus variè læditur, quibus morbi accensendi: in his saucius vel æger aliorum eget consilio & adjumento, nec potis est seipsum curare. *Animi* sunt, *vel tentationes* conscientiæ, quibus solatio è verbo Dei petito, occurrendum; vel *Lapsus in peccata*, quibus Correctio fraterna plurimùm commodat. Gal.6.1.

)(Istas veri amici partes convellunt *assentatores*, qui quæ in amico vitia deprehendunt, vel celant, vel annihilant. Ita non levant lapsum, sed amplius dejiciunt. Atqui amicus sincerus omnimodam amici sui salutem procurare debet, secus perfidus sit: Tales cùm sint assentatores, etiamsi summi affectûs & amoris speciem præ se ferant, osores sunt potiùs. Rectè Phocion Athenienſis: *Non potes me uti assentatore & amico.* David corrigi se optavit. Psal.141.5.

De *adulatione* prolixiùs alibi.

2. *Auxilium mutuum, Etiam sive cubent duo concalescunt illi, unicus autem quomodo incalesceret.* v.11. Non impudentiùs de viri & mulieris concubitu loquitur Salom. sed proverbiali locutione mutuam amicorum benevolentiam, describere voluit, quâ promptissimi feruntur ad mutua sibi invicem commoda præstanda, & auxilia ferenda; sic ut alter alterum superare contendat: sicuti alio Proverbio dicitur, *Manus manum fricat, aut lavat.*

Hic igitur alter est amicitiæ effectus, ut hyeme ac frigore calamitatum ingruente, mutuas sibi suppetias ferant. Ex. Marc.7.32. Matt.9.2.

)(Unde solitudinis malum perspicitur: Qui enim destituti sunt amicorum manibus adjutricibus, Væ illis! perire coguntur in suâ miseriâ: Expertus ille ad lacum Bethesda cubans, qui non habebat à quo demitteretur in piscinam: Joh.5.7. *Lazarus*, Luc.16.

3. *Præsidium & Defensio. Sive fortior sit altero unus quispiam, ipsi amboobsistent ei: denique filum triplicatum non citò abrumpitur.* v.12. Si quis enim ab hoste lacessatur, ac in vitæ periculum adducatur, illatam vim fortiùs repellet, adjutus ab amico, quam solitarius: quin immò

immò amico præsente & ad juvandum accincto, absterrebitur hostis ab adoriendo: Nam, *ne Hercules quidem contra duos*; faciliusq; omninò plures quàm pauciores vim repellunt, ac inferenti resistunt: quod ipsum Salomon *funiculo triplici intorto* eleganter adumbravit: Virtus enim unita fortior.

QUÆST. *An pro amicis mortis adire periculum, conveniat?*

RESP. Omninò. Joh.15.13.Rom.5.7.immò illustre charitatis ac fortitudinis est documentum.Senec. *Amicitia vera cum quâ homines moriuntur, pro quâ moriantur.* Ex. *Abiathar* erga David. 1. Sam.22. 23. *Jonath.in* 1.Sam.20.33.&c.

Atque sic Salomon insignem *Concordiæ fructum* explicat, si illa inter concives ac unius partis adsectas comperiatur: nempe quòd valentissima sit ad adversariorum impetus retundendos: cùm è contrà illâ deficiente, vis maxima ac numerosissima dilabatur. Quod sapienter *Hermocrates Syracusanus*, referente Thucydide, vidit: *Extraneos adv nientes, si fugimus juncti, repellimus: quoniam singuli etiam si lædimur, universi perimus.* Eòdem facit *Scilurs* Scythæ monitum ad filios 80. sub mortem, cùm fasciculum telorum frangere jussi, non possent, sed sigillatim unumquodque: *Si concordes eritis, validi invictiq; manebitis: contra si dissidys distrahemini, imbecilles, & expugnatu faciles.* Plut.in Apopht.& Stob.Serm.82. Similiter Christus Luc.11.17. *Regnum dissidens vastatur.* In omni vitæ genere ac statu valeat illud: *Concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur.*

DOCTRINA. I.

Videmus ergò Salomonem *dissuadere solitudinem*, seu vitam solitariam, ab hominum consuetudine semotam, aut ab omni hominum societate ac amicitiâ alienam. Sunt quidem qui vitam ejusmodi mirè extollant; tum quòd liberiùs solitarijs liceat vacare precibus & sanctis meditationibus; tùm quòd semoti ac velut egressi è mundo, illecebris illius non inficiantur, aut malo exemplo seducantur, peccatisque inquinentur: Atque hæc ferè *Monachorum ac Eremitarum* sunt argumenta. Sedenim præstat Salomonis consilium sequi. Quæ enim commoda vitæ solitariæ percensentur, rectiùs omninò in sociali ac amicabili piorum hominum conversatione habentur: Etenim ad preces & cultum Dei præstandum, jubemur in cœtus sanctos coire. Matth.18.19,20. Jacob 5.14. Hebr.10.25. Omninoque preces illæ efficaciores, quæ à pluribus funduntur,

tur; cultusque publicus Deo acceptior: quippe à Deo institutus. Solitudo nutrix melancholiæ, quæ balneum Diaboli. Solitarij tentationibus Satanicis magis expositi: tentati omni humano solatio, auxilio consortioque privati, facilius superantur. Secus quam scriptum: *Exhortamini vos invicem*, Heb. 13. 2. Adde, quòd & solitudo charitati Christianæ adversa omninò sit: jubemur enim proximum diligere, h.e. ei succurrere, eumq; officijs nostris juvare, quod facere detrectant, qui hominum consortia refugiunt, velut omnis humanitatis expertes: intereaque exercitijs nec Reipub. nec Ecclesiæ utilibus se emacerant.

DOCTRINA II.

Veri amici, qui adversis solatio, consilio, auxilio, præsidio suis adsunt. Perfidi amici sunt, qui secundis adsunt, adversis auffugiunt: inimici veriùs. Nec verò stabilis ea amicitia esse potest, quam mensa conciliat: hâc enim deficiente, amicitia perit. Talis illa vulgò dicta Sauffbruderschafft. Stabilis illa, quam pietas & admiratio virtutum in amico efficit, ubi idem nos quoque studium tenet: Hic enim in bono & honesto consensus, ac ejusdem studij similitudo, veram & perennem amicitiam efficit. Ea igitur quæ in malo est animorum conjunctio, nec vera est amicitia, nec constans, nec honesta, nec utilis: à quâ proin abstinendum. 1. Cor. 5. 11. & 15. 33. 2. Cor. 6. 14, 15. *Conspiratio* veriùs diabolica, quàm legitima amicitia dicenda.

HOMILIA V.

TEXTUS v. 13. ad fin.

Melior est puer indigus & sapiens; rege sene & stolido, qui nescit admoneri amplius. Nam ille è vinculis prodit ad regnandum: quum

quum hic etiam in regno ſuo naſcatur pauper. Vidi omnes viventes qui ambulant ſub ſole; adiungentes ſe puero illi ſecundo qui ſtaturus eſt loco huius: Non eſſe finem ulli populo; de ullo qui præſit ipſis etiam poſteros non lætaturos eſſe: nam, hoc quoque vanitas eſt & afflictio ſpiritûs.

DUo ſunt quæ maximè demiratur mundus, & in quibus hujus ſeculi felicitatem conſtituere ſolet, *Divitiæ* nim. & *Honores*: quotquot enim hujus ſeculi ſunt amatores, id agunt, ut vel alterutrum, vel utrumque aſſequantur, atque eum in finem ingentes labores, curas, & moleſtias ſubeunt, vitamque non rarò ſibi reddunt acerbiſſimam. Quorum hominum dementiam, ob vanitatem earundem rerum quæ tantopere inſectantur, paſſim hoc libello traducit & perſtringit Eccleſiaſtes.

Et hoc quidem prælecto Textu, *mundanæ gloriæ, dignitatis & authoritatis vanitatem depingit*; quæ cùm in ſummo gradu circa Reges verſetur; ideò Regum ipſorum, ſeu regiæ dignitatis, ampliſſimæ utcunque ac ſplendidiſſimæ vanitatem ac miſeriam perſequitur: unde tantò faciliùs de inferiorum dignitatum ac honorum titulis, ac inani eorum fallaciaque ſpecie, judicare eſt.

Tria verò ſunt, è quibus Salomon Regij ſolij vanitatem arceſſit: Nempe

I. *Ex inſipientiâ & ineptitudine Regum*;

II. *Ex inconſtantiâ & volubilitate Regnorum*;

III. *Ex contemptu & tædio ſubditorum.*

DE PRIMO.

Non despicit Salomon regale solium, aut alios honorum ac dignitatum gradus: Nam & honos eximium Dei donum, divitijs longè præstantius: Psal.91.14. sed eam modò damnat hominum incogitantiam, quòd non ex justâ caussâ honorem æstiment. Vulgus enim, vel eos suspicit, quibus amplæ sunt divitiæ, eosque in honore habet; juxta illud

dat census honores,
Census amicitias, pauper ubique jacet.

vel eos veneratur, *qui arduis præsunt officijs*, veluti qui in Magistratu versantur, aut in regali constituti sunt eminentia.

Indicat contrà Salomon, nec opes, nec gradus, homines verè honoratos efficere, *sed virtutem & sapientiam solam*; adeò ut quibus illa desit, minimè honorem mereantur, aut illo sint digni: quin immò Vanitatem esse meram, sc. in honore versari, nec tamen ijs instructum esse dotibus, à quibus verè honor & gloria dependet, dotibus nimirum ingenij, inter quas eminet sapientia.

Atqui passim regnat ista vanitas: Quot enim sunt è *Regum, Principum, Magnatum* ordine, & qui ad gubernacula Reipubl. sedent, atque etiam ob ætatem sunt spectatissimi, eoque in precio habentur; qui tamen inepti sunt, stupidi, fatui, & ne quidem admoneri, aut meliori consilio instrui sustinent: quique tandem suâ stoliditate regna & Respublicas pessundant? Exemplo sit *Rechabeam.*

Quot sunt *qui propter divitias* adorantur, nihil tamen à stultis differunt: veluti *Nabal*, 1.Sam.25. Epulo, Luc.16. Quorum certè præeminentia ac authoritas ludibrio magis ipsis cedit & contemptui apud saniores, quàm gloriæ vel honori: mera proin Vanitas: Honor enim in hominum existimatione consistit, quæ si abest, non honor est sed ignominia, in excelsiore gradu esse constitutum.

Hinc ergò est, quod Salomon hîc *etiam Regi utcunque seni, ast stulto & inemendabili, præfert puerum & pauperculum, ast sapientem*, h.e. qui sit bonæ indolis & expectationis; huncque honore digniorem censet illo, q.d. Quantumcunque quispiam ferat titulum, aut quocunque demum gradu sit constitutus, Nihil est, vana ipsius celsitudo, si careat virtute ac sapientiâ; nec tanti faciendus atque misellus aliquis ac mendiculus puer, in quo semina illius sese ostentant. At ingens horum hominum in mundo seges. Vana igitur mundana gloria.

DO-

DOCTRINA I.

Vera gloria & honos à virtute & sapientiâ proficiscitur, & in eâ subsidet. Scitum illud erat Gentilium, ad Templum honoris, non nisi per viam virtutis aditum patere, ac Sapientiæ cumprimis:

Honos alit artes.

Quum verò *Pietas*, juxta divinas literas summa sit sapientia, Psal.111.10. Prov.1.7. ideò summus quoque honos, atque is quidem cœlestis & æternus, à pietate proficiscitur. *Honorantes me honorabo*, 1. Sam.2. v.30. Psal.91.15. Prov.3.16. Non est major gloria quàm ea, quam pij martyres suâ constantiâ sunt assecuti. Ps.116.15. major longè, quàm bellica heroum catorthomata.

)(a. Futilis & nullus est honos, quum *ob divitias* ampullantur mortales, sibique honorem deferri volunt; si pietate & sapientiâ destituantur: Is honos non personæ sed auro defertur: Fatui, qui eos propterea venerantur. Perinde enim asinus sarcinas auro repletas bajulans, honorem merebitur. Esto: contempta sit paupertas in oculis mundi, juxta illud,

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quod contemptos reddat, &c.

attamen glorioſior est piorum paupertas, quàm sit opulentia improborum, Prov.28.6. Melior utiq;, quia major quæstus pietas, 1. Tim.6.6. Prov. 3.13,14. &c. quia non caducam, sed æternam felicitatem lucrantur. Quò faciunt similia Christi, de thesauro in agro abscondito, & margaritâ; Matt.13.44.45.

b. Non item *per se senecta honore* digna: utcunque venerari senes jusserit Deus. Levit.19. 32. Maledicta enim improborum senecta. Esai.65.20.

c. Non denique *potentia ac celsitudo* etiam regia: Honor omninò Regibus & Magistratibus debetur, etiam tyrannicis & fatuis; idque propter Dominum, cujus sunt vicarij. Qui tamen talibus defertur, externa potiùs est honoris umbra, dum interea subditorum animos odium & contemptus occupat. Si enim Regum ac Principum statui honos continenter adhæreret, nemo illorum non magnis laudibus à quibusvis prædicaretur: atqui plures illorum vituperantur tum vivi, tum mortui in historijs: nec alijs laus & gloria defertur, nisi quos virtus & sapientia commendatos fecit.

Usus.

Usus. Miseri ergò sunt qui ad Reipublicæ culmen adspirant, sapientiâ destituti, honori inhiantes; ut qui non nisi dedecus & opprobrium reportant.

DOCTRINA II.

Viri Principes & Magnates, ut honorati sint, maximè pietate, & sapientiâ ornati esse debent. Ægyptij sceptro regio oculum præferebant, prudentiæ symbolum: quod enim acies videndi est in oculo, id prudentia est in animo, quam proin rectè Aristot. ὄμμα τῆς ψυχῆς appellavit. Quantò visus reliquis sensibus præstantior est, tantò prudentia reliquas virtutes antecellit. *Sagacitas insideat labiis Regis, in judicio ne prævaricetur os ejus.* Prov. 16. 10. Primaria hæc est virtus, ab illis requisita. Ideò *Salomon* Rex, ante omnia eam à Deo expetivit. 1. Reg. 3. 9. Imitentur alij, Jacob. 1. 5. Sim. Ut navim interire proclive est, cui ignarus præsidet nauclerus. Ita *ubi non sunt prudentia consilia, corruit populus.* Proverbior. 11. 14.

Usus. In precio habendi sapientes Principes, & pro ipsorum Salute orandum.

DOCTRINA III.

Sapientia tale Dei est donum, quod in liberâ ejus est potestate, ne det eam cui vult, nec ad ullum certum hominum genus sit alligatum. Jac. 1. 5.

a. Non *senio.* Id quidem verum est, si ordinem naturæ attendimus, majorem penes senes, quàm juvenes esse posse ac debere sapientiam; quia major & diuturnior experientia, quæ seris venit ab annis: Non tamen negandum, quin, sicut aliquando fit, ut juvenum capillitio seu barbæ pili cani & albi hinc inde asperguntur: sic inveniri juvenes, qui senum prudentiâ instructi sint, imò qui senum multos sapientiâ & rerum agendarum dexteritate excedant: usque adeò ut canis ista alligata non sit. Ideò Regem annosum, & tamen stultum hic inducit Salomon. Confer Hom. 7. in Eccles. 1. p. 62.

Usus. Nec proin strictè juventa aut juvenes contemnendi, quod de Timotheo juvene sanxerat Paulus. 1. Tim. 4. 12.

b. Non

b. Non *divitiis.* Si res vendibilis esset sapientia, soli divites eam possiderent: sed enim adeò non conspirant divitiæ cum sapientiâ verâ, ut huic illæ potiùs sint obstaculo: nec major fatuitas uspiam reperiatur, quàm penes divites avaros. Ex. Nabal: Item is, de quo Luc. 12. 20. *Stulte, hac nocte anima repetetur abs te, &c.* Illi verò sapientiæ, quæ hominem ad salutem sapientem facit ex professo, adversatur divitiarum amor. Ex. Juvenis opulentus, de quo Matth. 19.

Usus. Unde divitiæ deferendæ suo modo illis, qui ad veram sapientiam adspirant, quæ æternùm felices reddit, *corde* sc. ne apponant cor, Psalm. 62. 11. sed perinde sint ac si nihil possiderent, 1. Cor. 7. 30. neve sperent in incertis divitijs, 1. Tim. 6. 17.

)(*Contrarium* valet apud *Papistas*, qui Religionem divitijs æstimant; quantò enim quisque plus offert auri Clericis, tantò religiosior habetur.

c. Non *potentia vel eminentia. Est malum quod vidi sub Sole, &c. Ponit ipsam stoliditatem in dignitatibus celsis & amplis, &c.* Eccles. 10. 5. sive enim *politicam* sapientiam respiciamus, infiniti extiterunt Reges, Principes, ac regentes, hique stolidi, insulsi, inertes, Rerumpublicarum perversores & eversores ac pestes. Contrà,

Quandoque est olitor valdè opportuna locutus.

Neque proin hominum tenuiorum consilia aspernenda: Sive *cœlestem ac divinam* sapientiam: Testatur Scriptura infimis potiùs ac contemptis eam à Dei spiritu obtingere, quàm potentioribus. *Gloriam tibi tribuo Pater, &c. quod hæc occultaveris sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus,* Matth. 11. 25. *Non multi sapientes secundum carnem vocati, &c.* 1. Cor. 1. 26. Matth. 18. 3. Jacob. 2. 1. 2. &c. *Ventus enim quò vult spirat,* Joh. 3. 8.

Usus. Aliud igitur Dei, aliud mundi judicium: Auff Erden veracht/im Himmel groß geacht.

DOCTRINA IV.

Cerebrositas Eigensinnigkeit/stultitiæ species; Contrà admonitiones suscipere, &c. prudentiæ est. Prov. 12, 13.

HOMILIA VI.

In eundem Textum.

DE SECVNDO.

Nam ille è vinculis prodit ad regnandum, quum hic etiam in regno suo nascatur pauper.

PRima hactenus expedita est vanitas, quæ circa regna & Reges versatur, consistens in horum ineptitudine & insipientiâ, unde non tam gloriæ quam dedecori ipsis cedit, in sublimi esse. Quia verò universale id non est, siquidem insignes virtute, pietate, ac sapientiâ, Reges ac Principes, non pauci, memorentur in historijs, hodieque adhuc extent: ideò aliud nunc Vanitatis genus attingit Salomon, cui regna quævis obnoxia sint, *instabilitatem* vid. quam ita exprimit Salomon, ut innuat, fieri posse, Deo sic disponente, ut non obstante hæreditario jure, quo quis ad Regnum devenit, ab eo tamen deiciatur: Contrà levissimus & contemptissimus alius velut è pædore carceris extractus, in ejus locum ad regni dignitatem evehi possit. Hic videtur allusisse Sapiens ad historiam *Josephi*, qui è vilissimo & ignominiosissimo carcere liberatus, ad totius Ægypti gubernacula adhibitus est. *Exemp.* aliud *Matthiæ* Regis Hungariæ Johannis Hunniadis Filij, quod historiæ Josephi parallelum, adeoque etiam loco illi illustrando quàm maximè quadrat. Hic Anno Christi 1458. ætatis 15. Rex Hungariæ eligitur, cùm adhuc in custodia apud Georgium Podiebracium Bohemiæ Gubernatorem detineretur. *Æneas Sylvius* historiam his verbis describit: *Matthias Hunniadi* Filius ex Viennâ ductus, quâ die Rex Ladislaus obijt, Pragam applicuit, atque in potestatem Podiebracij venit, nec multò post Rex Hungariæ designatus, magnis sponsionibus dimissus, *è carcere volavit ad regnum. Mira rerum mutatio*, Duo potentissima regna, eodem tempore Rege orbata, ex nobilissimo & altissimo sanguine ad mediocris generis homines pervenere.

Addit *Sylvius*: Nunc quisquis hæc legis, futura prædicito. Singulare prorsus humanæ inconstantiæ documentum, ex duobus adolescentibus ætate moribusque penè paribus: Alter *Ladislaus* Rex ex solio regio, dum novæ nuptæ thalamum exornat, defertur ad tumulum: Al-

ter

terdum sententiam capitalem exspectat trepidus, *ex carcere vocatur ad regnum*. Mirabile quod Matrem repentina lætitia non exanimaverat, cum tot cladibus afflicta, prius Regem appellatum audierit Filium, quam vinculis exemptum. Hæc Sylvius.

DOCTRINA I.

Regna & imperia mutantur, atque de gente in gentem, de familiâ in familiam transferuntur: quarum omnium mutationum Deus author, qui hunc deicit, alterum evehit. Deus mutat tempora & tempestates, transfert Reges & constituit Reges, Dan. 2. 11. *Dominatur excelsus in regno hominum, adeo ut cui vult, tradat illud, & abjectissimum hominum constituat in illo*, Dan. 4. 17. *Vinculum Regum dissolvit, & cingulum alligat lumbis eorum*, Job. 12. 18. *Infinite conterit validos & alios substituit in locum eorum*, Job. 34. 24. *Nec ab exortu Solis, nec ab occidente, neque ab Aquilone venit exaltatio, quoniam Deus judex est: hunc humiliat, & illum exaltat*, Psal. 75. 7. 8. *Detrahit potentes throno & exaltat humiles*. Luc. 2. 52.

Usus 1. Ut ut ergò vel successione hæreditariâ, vel electione voluntariâ, vel expugnatione hostili, vel ejectione seditiosâ, Reges constituti, mutari, dejici videamus: Id tamen omne Dei opus: Unde in medijs, aut causis illis secundis non subsistendum, sed ad supremam illam Numinis vim, atque directionem ascendendum.

Usus 2. Papa Romanus potestatem constituendi & abrogandi Reges sibi vendicans non minus vanus ac Diabolus, Matt. 4. 9. hâc porrò ratione Antichristum se prodit, 2. Thess. 2. 4.

Usus 3. Vanissimi quoque qui mutationes & eversiones regnorum ad sidera cœlestia eorumque influxus referunt. Hinc illusum Regi Babyloniorum, qui ex calculis Astrologorum perpetuum Imperium sibi pollicitus est, Esai. 37.

Usus 4. Qui rerum potiuntur, nequaquam propriæ industriæ, prudentiæ, potentiæ litent, regnaque ac imperia sua ascribant, instar *Nebucadnezaris*, Dan. 4. 30. ea propter humiliati Dan. 4. 31. &c. Spoliatur hac arrogantiâ Deus jure suo: Econtrà qui dominijs suis privati, manum Dei agnoscant neque fremant adversus successores, ac illegitimis medijs utantur ad ea recuperanda, sed Deo fidant, cujus dextera omnia potest mutare, Psal. 77. 10. quique quod abstulit restituere potest, si velit; ejus enim

regna. Ita affectus fuit David regno ejectus ab Absalomo, 2.Sam. 15. v.26,27.

DOCTRINA II.

Deus vinctos solvit, Psal.146.7.conf.Psal.68.7. Exemp.*Loth*.Gen. 14.12.*Joseph. Joiachim*,2.Reg.25.27.*Jeremias* Jer.39.14. *Apostoli*, Act.5.19. c.16.25,26.*Petrus*,Act.12.9.si non liberat,saltem *solatur*, Ex. Joh. Baptista, audiens famam de Christo,Matth.11.2.*Paulus*,2.Cor.11.23.& 6.5.*Jeremias*. c.20.11.

Usus. Novit Dominus per omnia impedimenta viam: Non vincula,catenæ,pessuli,januæ Deum impedire possunt,quin suos liberet,*conterit portaes æreas,& vectes ferreos confringit*. Psal.107.16. Confidamus ei, liberavit nos è carcere,longâ diriore,Diaboli sc.& mortis.Heb.2.14,15.

DOCTRINA III.

Quos Deus evecturus est,eos primò deprimit. Ita Salomon heic de eo, qui in pœdore & squallore carceris fuit,& post ad imperium evectus est,loquitur.Ex.*Mose*,*Joseph*,*David*,*Daniel* & socij, *Paulus*,&c. *Ante honorem humilitas*,Prov.16.33.Conf.Psal.113.7.

DOCTRINA IV.

Divitiæ instabiles adeò,ut etiam Reges ad paupertatem & incitas redigi possint; *Ne fatiges te ut ditescas, à prudentia tua desiste. An facies ut involent oculi tui in ea,quæ mox non futura sunt,nam omninò comparant sibi alas*,&c.Prov.23.5. Sunt instar *floris* aut graminis decidui. Jac.1.11. quæ vel à levibus blattis defendere non licet. Matth.6.20. Exempl. *Dionysius Syracusanus*, qui regnum adamantinis catenis firmatum possidere se gloriatus, reliquit filium, qui panem Athenis mendicare coactus est: Ludimagistrum tandem agere volens, nullos nactus est discipulos. *Crœsus* opulentissimus, regno & opibus tandem exutus, & ad rogum damnatus est. *Belisarius* ad stipem,emendicandam, & quidem exoculatus, redactus est. *Henricus quartus* Imperator,&c.

Gravissima autem paupertas est illis, qui ex locupletè fortuna in illam dejecti sunt. *Non tam grave est bona non accipere,quam semel acceptis privari.*

prævari ait Xenoph. in Cyri pæd. Calvis minore cum dolore pili evelluntur, quàm comatis.

Et quis non in morte egentissimus? nudus exit è mundo omnis homo, relinquens cuncta. Psalm. 49. 7. 1. Tim. 6. 7. Eccles. 5. 14, 15.

DOCTRINA V.

Tanta *fortunæ instabilitas*, ut ex summis ima, ex imis summa fiant, &c. Rex è mendico, è Rege mendicus.

Hac de re proxiùs alibi.

DE TERTIO.

Vidi omnes viventes qui ambulant sub sole, adjungentes se puero, &c. Esto verò *tertio*, manere regnum stabile penes quempiam, ea tamen adhuc restat miseria ac vanitas, ut Regem ad senium vergentem fastidire ac contemnere subditi occipiant; (licet eum primis annis amore & honore prosecuti sint, ita ut catervatim ante & retrò eum comitati sint, præ gaudio & favore, &c.) atque oculos & animum conijciant in successorem filium, magisque ejus gratiam & benevolentiam adfectent, quàm Patris: quæ tamen ipsa quoque sors & isti Filio obtingit cum tempore, ut nec in ipso lætentur subditi posteriores, seu illorum temporum, & acquiescant; sed perinde ad nepotem affectu & studijs divergant: & sic porrò. Nempe juxta Proverb. *Plures adorant Solem orientem quàm occidentem.*

DOCTRINA.

Populari favore nihil est levius ac inconstantius: animum, sententiam, affectus venti instar mutat. Expertus *Christus*: qui prius *Hosanna* super eum clamarunt, mox *crucifige* intonant: Expertus *Paulus* Actor. 14. & 28. 4. 7. Cumprimis Reges & Dynastæ huic malo obnoxij, ut nuncà vulgo ac subditis, immò & aulicis ac proprijs apparitoribus ac stipatoribus Deorum instar habeantur, mox ad necem quærantur. Expertus *David*, instigante *Absalone*. *Regum exitus* (inquit Curtius lib. 9.) *si reputaveris, plures à suis, quam ab hostibus interemptos invenies.*

Certè nihil magis in historijs decantatum vulgatumque magis, quàm argumentum de vanitate periculisque regnantium, deque popularis auræ ac favoris inanitate.

Zacharam Regem Israël occidit servus Sallum, 2. Reg. 15. 10. Hunc *Sallum*, *Menachen*, ibid. 14. *Pekohia*, *Pekah* ibid. 25. Istum *Oseas*, ibid. 30. Ex profanis à *Besso Darius*, *Caracalla* à *Macrino*, *Philippus* à *Decio*, à *Phocâ Maurus* interfectus est.

——sine cade & sanguine
Descendunt Reges.

Usus. 1. Falluntur ergo Reges, &c. qui perpetuam & constantem sibi felicitatem, ac subditorum favorem & applausum spondent, nimiumque adeò sese illi crediderunt.

2. Nihil adeò vanum ac fatuum, immò molestum, quàm popularem favorem sectari ac colligere

O funestus multis populi
Dirusq; favor; qui cum flatu
Vela secundo ratis implevit
Vexitq; procul; languidus idem
Deserit alto savoq; mari.
Seneca in octavia actu 5. in choro.

Gloria & Gratia tibi Domine Iesu.

IN

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS,

CAPVT V.

HOMILIA I.

TEXTUS ℣. 1.

Observa pedem utrumque tuum, quum adis domum ipsam Dei: idque paratus ad audiendum potiùs quàm ad dandum stolidorum sacrificium: nam hi non advertunt se facere malum.

QUemadmodum hominis conversio & sanctimonia duabus constat partibus, *abstinentiâ* scil. à malo, & *actione* boni: Psalm. 34. 25. Ita *Salomon* summam sapientiam, quâ felicitas vera acquiratur, hoc suo Ecclesiaste docturus, duo agit; *Primo*, ut animum hominis à mundi præsentis rerum mundanarum amore ac desiderio abstrahat, vanitatem illorum vanissimam demonstrando: *Secundò*, ut ad Deum sincerumque ejus timorem evehat, ostendendo ad veram & perennem felicitatem, illum homini aditum facere. Et hactenus quidem variè vanitatem rerum, actionum, ac studiorum hujus seculi insectatus est. Nunc digressione tactâ

Primâ

Primâ quidem hujus cap. parte, *Regulas* quasdam memorabiles exponit, quæ ad sincerum Dei cultum & Timorem spectant. ℣. 1-8.

Alterâ verò redit, ad avaritiam & divitiarum amorem immodicum culpandum.

E *regulis* illis Religionem attinentibus,

Prima est, *De attentione verbi.*
II. *De precibus concipiendis.*
III. *De præstandis votis.*
IV. *De timendo Deo.*
V. *De Providentiâ Dei.*

DE PRIMO.

De attentione Verbi duo *Salomon* commemorat:
I. Veram ejus audiendi rationem.
II. Rectè auditi præstantiam.

I.

Observa vel *custodi pedem tuum)* sermo tralatitius est, desumptus à consuetudine illorum, qui gravi aliquo pedum affectu laborant; seu, qui loco aliquo lubrico aut periculoso ambulant: solent enim illi providè & circumspectè ambulare, omnesque gressus suos observare, ne offendant aut impingant: Ita adeuntibus domum Dei prohibetur temeritas, incogitantia, levitas, &c. quæ culpatur in illis, qui rem arduam aggressuri, eam pro levi & facili habent, ut minus de eâ perficienda curiosi ac soliciti sint.

Pes hîc intelligitur tum *externus* corporis, tum *internus* animæ.

a. *Externus* corporis pes dum custodiri jubetur; sensus est: Hominem, toto corporis externo habitu, amictu, incessu ac compositione, modestiam, honestatem, timorem, reverentiam, &c. per se ferre debere, cùm domum Dei adit ad ingreditur, ad cultum ejus præstandum.

Cùm enim omnis per se inordinatus ac indecorus incessus reprehensione dignus sit, tum is maximè, cum Deo appropinquare in loco sancto cogitamus, Esai. 3.

Hinc

Hinc *Mosè* & *Iosua* Deum accessuri, jussi sunt calceos priùs exuere; ut hoc pacto humilitatem suam & reverentiam testarentur. Exod. 3. 6. Josu. 5. 16. Nec absurdum videtur, quod docti plures inde colligunt, perpetuam inde fluxisse consuetudinem, ut Sacerdotes apud Judæos non nisi discalceati sacra obirent, ac sacrificia peragerent: eandemque cæremoniam & vulgus Hebræorum observâsse, ut non nisi nudis pedibus loca sancta ingrederentur: qui mos à Judæis ad Saracenos, Turcas, & plerasque Orientis gentes transiit, hodieque apud eos viget.

Unde tabernaculum ingressuri pedes & manus ante lavare jussi sunt; de calceis ipsorum nulla mentio: Exod. 30. 19. uti nec uspiam alibi, etiam quando omnia sacerdotalia indumenta minutissimè in Lege describuntur.

Eleganter in hunc sensum *Seneca*, libr. 7. nat. Quæst. cap. 30. *Templa* (inquit) *intramus compositi, ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestia fingimur.*

Usus. Unde qui pomposo habitu, qui theatro potiùs quàm Templo conveniat, vultu audace, incessu insolentiore in æde sacrâ versantur, eo ipso se produnt, quo loco Deum ejusque cultum habeant; quamque præfracti ac irreligiosi sint animi: juxta illud Ecclesiastici, cap. 19. ℣. 25, 27. *Ex aspectu cognoscitur vir, & ex obvia persona specie cognoscitur, qui valet mente. Ornatus viri, & risus dentium, gressusq; hominis enunciant constitutionem ejus.* Nec Dei vindictam effugituri sunt: Amos 6. 1. Soph. 1. 9.

b. *Pes verò internus*, sunt cogitationes & affectus cordis: Ut cunctis alijs curis sepositis ac domi relictis, totâ mente occupati simus in his, quæ domo Dei peragi solent: *Mariam* imitati, non *Martham*: Luc. cap. 10. 39, 40.

Ut item affectus cordis vitiosos abigamus, fastum, libidinem, avaritiam, iram, odium erga proximum: &c. Quò ducit Servator, Matth. 5. ℣. 23, 24. Et *Petrus*: *Depositâ omni malitia & omni dolo & simulationibus & invidentijs, & omnibus obtrectationibus, Ut modo geniti infantes, &c.* 1. Ep. 2. 1, 2.

Ut denique cumprimis totius vitæ pedem seu iter ac semitam ad Legis divinæ præscriptum componamus. Psal. 15. & 26. 11. & 118. 20. Jerem. c. 7. 2, 3. *Audite verbum Iehova omnes Iudæi, qui per portas has intratis, incurvando vos adoraturi Iehovam. Sic ait Iehova exercituum Deus Israelis, bonas efficite vias & actiones vestras: tum faciam ut habitetis in loco hoc.*

Qui hoc modo pedem animæ suæ non custodiunt; ut vel alijs illa

gitationibus, terrenis sc. circumferatur: vel affectibus pravis obruti ac turbati sunt: vel denique vitam vivunt sceleribus inquinatam ac infamem: nec illi non inane modò, sed infelix Deoque invisum iter faciunt, quum ad domum Dei accedunt. Quia utcunque compareant, grati tamen esse Deo nequeunt, qui odit omnes impios. Psal. 5.5,6. Sicuti nec acceptus erat Regi, qui laceris & spurcis vestibus in nuptijs comparuit. Matt. 22.11,12. Cultus ab impijs præstitus, Deo non est gratus. Ps. 50. Jes. 1.

In domum Dei) Domus Dei quilibet est locus publicus, Deo, cultuique religioso peculiariter dicatus.

Erat is in V.T. ubicunq; primò Tabernaculum & Arca erant: inde Templum Salomonicum: hodie sunt quælibet Templa, quibus cœtus Christiani conveniunt.

Appellationis hujus origo ad *Iacobum* refertur, qui locum illum quo Deus ei somnianti apparuit, vocavit *Bethel*. Genes. 28.17. Non quòd Deus habitet in templis manufactis, Actor. 17.24. sed quia illis locis se gratiosâ suâ præsentiâ sistit, ubi nomen ejus colitur. Matth. 18.20. quam aspectabili nubis symbolo in V.T. testatus est.

DOCTRINA.

Hic verò *œconomiæ spiritualis Dei* admonemur. *Paterfamilias* Deus ipse: Domus ipsius sunt loca quæque cultui ipsius dicata, quibus spirituales filios generat, per semen verbi, illosque enutrit & educat per sacramenta. *Filij* & *confratres* sunt fideles quique invicem, qui ideò charitate fraternâ mutuò affecti esse debent. *Ministri* sunt verbi & sacramentorum dispensatores, 1. Cor. 4.1. Ut *Mose* Propheta & internuncius Dei. Hebr. 3.5. *Filius familias* propriè sic dictus (nos enim adoptatitij) Christus, ut ibid. testatur Apost. v. 6.

Usus. Hæc appellatio nos ad frequentandam istam Dei domum pellicere debet: Cùm Deus in ea sit & quasi habitet.

Plures se beatiss. judicarent, si totam vitam in magnificâ aliquâ Principis aut Regis cujusdam aulâ transigere possent, quâ delicijs quibusque frui ipsis liceret: cùm tamen verè dictum sit *Exeat aulis, qui volet esse pius.* Sed enim longè nobis suavius occurrere debet, in domo Dei pluries versari: quæ quidem mens fuit pij *Davidis*, Psal. 27.4. & 84.2. & 122.1. *Annæ* Prophetissæ, Luc. 2.37. Longè majores delicias illic sancti percipiunt,

piunt. *Saturabimur bono domûs tuæ, loco sanctiore Templi tui.* Psalm.65.5. Confer Psalm.36.9,10.

Qui rarò aut nunquam Domum istam Dei adeunt, similes sunt illis liberis, qui parentum suorum ædes negligunt, quia parentes ipsos fastidiunt; quod cùm sentiunt parentes, etiam ipsi affectum suum erga ipsos minuunt: sic isti se produnt, minus se Deum Patrem curare, quem contemptum ipse impunitum non relinquet. 1. Sam. 2.30.

Vt audiat.) Finis hic esse debet nostri in Dei domum accessûs, nempe ut audiamus verbum. Legemque Dei, legi & exponi, ad scientiam rerum divinarum capessendam, quâ ad salutem perventur. Johan.17.3. 2. Tim.3.15.

Hicque mos etiam in Veteri viguit Ecclesiâ, duraviteque ad Christi tempora & post illa. Luc.4.16. Actor.13.14.15.c.15.21.

Equidem domus Dei alijs quoque cultibus præstandis dicata fuit semper, quales sunt preces, sacramentorum administratio, &c. & in V.T. sacrificia, &c. quæ minimè excluſa voluit *Salomon.* Hujus verò ideò cumprimis meminit, quia necesse est ut primò audiamus & percipiamus è verbo Dei, quis cultus ille quem Deus requirit, sic ut cognitio principium quasi & basis sit religionis: zelus enim quantuscunque absque cognitione, inanis: Rom.10.2. Cultus quisque non ad limam verbi Dei institutus, Deo abominabilis. Esai.29.13. *Reverentia eorum erga me, quam præcepto hominum edocti sunt.*

Usus. Quis igitur cultus, quæ fides, quæ religio aut pietas, penes eos esse possunt, qui vix unquam accedunt, ut audiant: sed si maximè præsentes sint corpore, foràs tamen sunt animo; atque alio fine prorsus, quàm ut audiant, discant, proficiant, veniunt.

Scribit *Plutarch.* de Numâ, quòd instituerit, ut sacra faciente Sacerdote clamaret præco; *Hæc age.* Utinam vox ista auribus nostris semper insonaret, quum ad ædem Dei accedimus, & in eâ moramur.

Constat verò non externum modò Audire, sufficere, quod auribus corporis peragitur: qui enim hoc modo duntaxat audiunt, infrugiferis arvis assimilantur in parabolâ, Matth.13. sed maximè, ut corde & animo illud imbibamus, & intra nos velut recipiamus, ut fructuosa sit verbi attentio, nosque benedicta terra simus.

DOCTRINA.

Hoc ut fit, *audiendum nobis fuerit Verbum* (ut nunc alia requisita prætream.)

a. Humiliter. Et certè si fixum id est cordibus nostris, non hominum commenta esse, sed Dei ipsius voluntatem & sapientiam, quę nobis verbi prædicatione communicantur, ecquis non cum reverentia illud excipiat. Leone rugiente quis non timet, Amos.3.8. Quantò plus Tonante Deo? Huc pertinet exemplum *Eglonis*, Jud.3.20. Nec est, ut quis excipiat, non Deum ipsum, sed homines loqui; Sunt enim Ministri verbi *Legati Dei*, 2.Cor.5.20. *Qui eos audit, Christum audit.* Luc.10.16. Cedit nostræ infirmitati Deus, quòd ipsemet non loquitur, siquidem vocem ejus tolerare nequiremus. Exemp. Israëlitarum, Exod.20.19. Discipulorum Matth.17.6.

Agnoverunt id Thessalonicenses, de quibus Apostolus, *quòd acceptum de Deo sermonem, quam audierint ex se, exceperint non ut sermonem hominum, sed (sicut est verè) ut Dei sermonem.* 1.Thess.2.13. Inculcavit id sedulò suis Auditoribus D. *Ignatius* Episcopus Antiochenus: *Exclamavi voce* (ait) *magnâ, inter eos quibus locutus sum: Non est meus sermo, sed Dei.* Epist. ad Philad.

b. Fideliter, Aliâs enim nihil prodest externus ejus auditus, Heb.4.2. immò nocet veriùs. Joh.15.22. Est *Evangelium potentia Dei*, &c. sed *credenti*, Rom.1.16. Ut medicina non prodest ægro nisi utatur, seu eam adhibeat, sibique applicet: Ita nec sermo vitæ, si fides absit, quâ sibi illud proprium faciat Auditor.

c. Obedienter, Audiendi enim verbum duo significat, & foris audire, & obedire: Ea igitur demum vera est verbi attentio, quam obedientia & vita ad illud composita insequitur: quod hic indicare voluit *Salomon*. Plura in hanc rem exstant monita. Matt.7.24. & 5.19. Luc.8.15. & 11.28. Joh.13.17. Jac.1.22. Apoc.1.3.

II.

Iam secundo loco commendat *Salomon* rectum verbi auditum. *Melior est obedientia, quàm stultorum victima, qui nesciunt quid faciunt mali.*

Dictum

Dictum est eum esse verum verbi auditum, quem obedientia consequitur. Inter hanc jam,& victimas sive sacrificia externa,à stultis,h.e. impijs oblata comparationem instituit *Salomon*: atque illam his longissimè profert; immò hæc apertè damnat, atque in eo malum facere testatur stultos,quòd Deo putent externis sacrificijs abundè satisfactum; ut maximè impuris manibus ac inquinati varijs sceleribus eadem offerant,quæ turpis est ac exitiosa persuasio.

DOCTRINA.

Deus ergo pluris facit fidem & internam obedientiam,quàm sacrificia: immò,quantumvis illa instituerit ac mandarit,tamen abominationi sunt illi, si fide & obedientiâ destituantur: nec quicquam illis proficiunt hypocritæ apud Deum,quàm ut amplius eum offendant.

Significavit id apertè *Samuel Sauli* Regi,qui cùm sacrificasset Deum deliniturus,ei tamen refractarius erat.1.Sam.15.23. *Auscultare melius sacrificio,attendere, adipe arietum. Quia sicut peccatum divinationis est rebellio, & sicut superstitio & idola est repugnantia.* Conf.Hos.6.7. Matth.9.13. & 12.7.c.23.23.Prov.21.3.

Hæc causa,quòd passim Deus sacrificia Judæorum rejecit, non in se quidem,sed quia ab impijs & præfractis offerebantur.

Qualiaque sacrificia poscat, Psalm.50.notum fecit: quem in sensum Apostol.Rom.12.1.*vult ut corpora nostra sistamus, in hostiam vivam sanctam Deo placentem, &c.* Et D. *Gregor.* discriminis hujus pulcram rationem adducit: *quia* (inquit) *per victimas aliena caro,per obedientiam voluntas propria mactatur.*

Summa,externus cultus sine interno,nullus, immò stultitia & peccatum.

Usus. Malè igitur & hodie faciunt,qui quum externis ceremonijs cultûs sacri defuncti sunt, adeundo conciones, percipiendo sacramenta,preces fundendo,&c.ut maximè nulla sit ipsis vel cordis puritas, vel vitæ sanctitas, sed strenuè & prefractè peccatis quibuslibet insistant; abundè tamen se Deo satis feciſse,& salutem suam procurasse sibi fingunt.

At stulti sunt,h.e. impij hypocritæ,qui non Deum,sed seipsos decipiant persuasione vanissimâ.

Optimus & acceptissimus Dei cultus, cui litare nos convenit,est

internus, in verâ εὐσεβείᾳ, obedientiâ mandatorum Dei & resipiscentiâ consistens.

HOMILIA II.

TEXTVS. ℣.2.3.

Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne festinet proferre quicquam coram ipso Deo: nam Deus ipse in cœlis est, tu autem super terram; idcircò sunto verba tua pauca: Quia ut prodit somnium multa occupatione, ita vox stolidi multitudine verborum.

DE SECVNDO.

NUper de rectâ audiendi verbum Dei & cœlestem doctrinam, præcepta dedit Salomon; è cujus scientiâ reliquus Dei cultus omnis ebullit; Nunc de *Oratione* ad Deum concipiendâ loquitur, quæ primaria velut est cultûs divini pars.

Ad hanc doctrinam, primò *sibi transitum parat generali aliquâ Propositione.*

Deinde *quid in Oratione vitandum sit maximè*, docet.

Denique, *doctrinam istam suam confirmat.*

I.

Ne acceleres, Vel *temerè quid loquaris.*) Propositio generalis: q.d. cùm in universum linguæ accurata sit habenda ratio, ne ex præcipitantiâ ac festinatione temerariam ac impræmeditatam orationem effutiat, quæ & Deum offendere, proximum corrumpere, ipsique loquenti nocere possit; tùm maximè in precibus ad Deum id observandum.

DO-

DOCTRINA.

Taxat ergò Salomon *Temeritatem* ac *præcipitantiam* in loquendo, quando quis inconsultò effutit quæcunq; in buccam veniunt: atque inconsideranter aliquid vel asserit, vel narrat, vel promittit, ut *Herodes* Antipas Matth.14.9. vel petit, ut Mater filiorum *Zebedæi*. Matt.20.21,22. *Petrus*, Luc.9.33. Ingentis lingua nonnunquam causa incendij, Jac.3.5,6. Econtra *Qui observat os suum & linguam suam, conservat ab angustijs animam suam*. Prov.21.23. Orandum ergò, *Pone Jehova custodiam ori meo, custodi ostium labiorum meorum*. Psal.141.3. Vide de hac materia plura. Hom. 7. in cap.I.p.63. & cumprimis Hom.6. in cap.3. in hæc verba: *Tempus loquendi, tempus tacendi*. Horrenda cumprimis illa sermonis temeritas, quæ pluribus familiaris in pejerando, execrando, blasphemando, &c. Quæ severius puniri deberet. Lev. 24. De *Ludovico* XI. Rege Gall. refert *Cominæus*, quòd blasphematoribus ferro candente linguam aduri voluerit.

II.

In Oratione ad Deum habendâ, duo maximè vitia vitanda esse docet *Salomon*: *Præcipitantiam*, & *Loquacitatem*.

I. Præcipitantiam. *Neque animus tuus* Vel *Cor tuum sit velox: ad proferendum sermonem coram Deo*.

Quidam verba sic interpretantur, ut sensus sit, de Deo & rebus divinis, parcè, sobriè, modestè & præmeditatò esse loquendum: quia natura Dei quæ spiritualis inscrutabilis sit homini terreno: cui sententiæ consonare videntur sequentia: *Deus enim in cœlo*, &c. Esai.55.9. Ideò sapienter *Simonides*, ab Hierone petente, quid esset Deus, spacium diei, inde bidui, rursum quatridui, ac deinceps duplicatum semper postulabat; sicque ullum satis esse negavit; quò enim diutiùs rem considerasset, tantò videri obscuriorem. Ridiculus, qui subsiliendo cœlum tangere conaretur, sic, &c. Itaque sobriè omninò de Deo rebusque divinis loquendum, ut non ultra id quod revelatum est, sapiamus. Rom.12.3. Sed commodior videtur esse sensus, Salomonem præcipitantiam & incogitantiam in precibus prohibere voluisse. Hæc verò vel maximè committitur circa res petendas: dum quæ minus conveniunt vel *Dei gloriæ* vel *nostræ salutis*, temerè à Deo flagitat Homo:

a. *Ad-*

a. *Adversum* erat *Deo*, quod Job, Elias, Jeremias, Jonas, præ impatientia quapiam mori petierunt: *Christo*, quod Discipuli petierunt, Luc.9.55. *Petrus*, Matth.14.28. Matth.17.4. Mater filiorum *Zebedæi*, Matthæi 20.21,22.

Usus. Quorum lapsibus moniti, est, ut exploremus quæ sit voluntas Dei bona & placens, Rom.12.2. tum enim demum fiduciâ illâ triumphabimus, de quâ 1. Joh.5.14. *Hæc est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus secundùm voluntatem ejus nos auditurum.* Ex Salomonis, 1.Reg.3.11,12.

b. *Noxium* fuit Israelitarum in deserto votum carnes petentium, nam per coturnices præfocati sunt. Num.11. nec melius quum Regem petijssent, Hos.13.10. Item *Midæ*, qui à Baccho petijt

——— *effice quicquid*
Contigero manibus fulvum vertatur in aurum.

Ita qui aurum, argentum, potestatem, &c. petunt, perinde faciunt *Socratis* judicio, atque si talorum ludum, vel prælium peterent, quibus dubium subest, cujusmodi eventum sint habitura. Contra hos facit illud Jacobi: *Petitis & nihil accipitis, eò quòd malè petatis, ut in voluptates vestras insumatis.* c.4.v.3.

Usus. Tutissimus ergò orandi modus, quem *Plato* in Alcib. præscribit: *Deus, nobis semper da, quod optimum etiam non petentibus, malum nunquam da, etiam petentibus.* Ita *Hieronymus Nebridium* Nobilem quendam laudat, petere solitum, *Deus semper da quod salutare, ut maximè quid hoc sit, non semper intelligam.*

2. Culpatur secundò in Precatione Loquacitas seu inanis Battologia, atque otiosa verborum ac prolixa congeries, quam in Ethnicis & Pharisæis damnavit Servator, Matth.6.7. Elias salsè irrisit in Baalitis, 1.Reg.18.27. cùm sc. citra fidem & devotionem verba multiplicantur, quasi hac ratione moveretur ad audiendas preces (cùm tamen Deus potius propter bonitatem suam quàm verba nostra nos exaudiat, & ut Augustinus ait, lachrymis plus efficiatur, quàm verbo, & fletu plus quàm affatu) vel informari deberet ad intelligendas nostras necessitates, quas tamen etiam tacentibus nobis, & antequam precemur, habet perspectissimas.

Licet cæteroquin etiam prolixius precari. Longiusculi sunt Psalmi aliquot. Longiuscula Danielis illa precatio, c.9. Christus ipse aliquando in

do in precibus pernoctavit, & ante mortem prolixè precatus est. Joh.17. Non omnem ergò prolixitatem vituperat Sapiens, sed inanem saltem cùm ait: *sint pauci sermones tui*; sed tantò plus meditati, ac diligenti examine perpensi. Certè preces breviores sed frequentiores humanæ imbecillitati magis opportunas judicavit D. *Augustinus* Epist.121. ad Probum. Dicuntur (*aut*) fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ orationi plurimum necessaria est, per productiores moras, evanescat ac hebetetur intentio. Ac per hoc ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, sic enim perdurare non potest; ita si perduraverit, citò non esse rumpendam. Sic *Chrysost.* hom.2. de fide Annæ, docet ex Christi & Pauli doctrinâ, breves sed crebras fieri precationes.

III.

Confirmat hæc sua præcepta; de concipiendâ oratione ad Deum, duobus argumentis:

1. Primum petitum est à Consideratione *Dei*. *Deus* (inquit) *in cœlo, & tu super terram*. Ducit his verbis Salomon

a. Ad Dei *omnipræsentiam* & *omniscientiam*; utpote qui in cœlo tanquam in summâ speculâ desidens, cuncta quæ in terris fiunt, videat, audiat, rimetur, Psal.52.3. ut non tam sit opus multis verbis, quàm precandi affectus, & attentio cordis: *scit enim pater vester cœlestis, quibus opus*, &c. Matth.6.8.

b. Ad Dei *majestatem* & *potentiam*; per collationem cum hominis imbecillitate & ἀδυναμίᾳ. Deus enim in cœlo, homo in terrâ: Tantò itaque Deus altior, immò infinities, quàm homo miser in terrâ repens: Ideoque congruere, ut homo Deum precibus compellaturus, utatur oratione compositâ, præmeditatâ, decorâ; non turbulentâ, præcipiti, verbosâ.

Sicque *humilitatem* & verecundiam usurpandam precantibus esse Salomon innuit, quæ omnem sermonis pompam excludit. Ex. Pharisæi & Publicani Luc.18. Ita *Gestibus* quoque humilitas contestanda, genuum inclinatione, Ex. Dan.6.11. Stephani, Act.7.59. Pauli, Act.21.5. caput declinando, Es.9.6. Luc. 18. toto corpore in terra procumbendo Ex. David 2. Sam.12.16,17. Christi, Matth.26.39. Externis istis cor respon-

deat. Jes. 66. 2. Ex. Abraham, Gen. 18. 27: Jacob. Gen. 32. 10. Esras, Prodigus, Publicanus, &c. 1. Pet. 5.

2. *Alterum* desumptum est *à stultitiâ & ineptiâ* multiloquij seu dicacitatis, quæ à colloquentibus Deo abesse debeat, cùm & sanis hominibus illa sit odiosa ac invisa. Declaratur similitudine ab insomnijs desumptâ.

Quia ut prodit, &c. Text. Simile hoc reciprocum potest habere sensum: Ut multæ occupationes gignunt somnia; sic multa verba gignunt seu effutiunt stultitiam: vicissim, ut somnia vana ac delira signum sunt mentis, per varias curas ac occupationes perplexæ; sic multa verba seu garrulitas, signum est mentis stultitiâ occupatæ.

Seu, ut qui multis occupationibus distrahuntur, multa quoq; habent somnia: Ita qui stultitiâ abundant, facundi sunt quoque per ineptam garrulitatem: aut quorum cerebrum stultitijs repletum est, multa quoque stulta ore effutiunt; quorum enim cor plenum est, os exundat. Nec leven interdum stultitiam, sed cui gravia admixta sint peccata; videl. mendacia, fraudes, circumventiones, perjuria, &c. juxta illud Proverb. 10. 19. *In multiloquio non deest peccatum.*

Hic verò discrimen observandum, tùm inter curas, tùm somnia: Ut enim non omnes promiscuè curæ rejiciuntur, sed inanes duntaxat, amentes, ac otiosæ; non quas vocatio legitima ac gravis exposcit; Ita nec cuncta insomnia: non divina certè; nec omnia naturalia: nam & hæc non omnia sunt vana & stulta, homine sc. interdiu circa res justas seriasque occupato, quæ somniantibus de nocte obversantur; atque benæ dispositionis & corporis & animi signa sunt: sed de illis quæ curis diurnis futilibus, ludicris, supervacaneis, &c. respondent, & ipsa sc. nugacia ac delira.

Usus. Ut ergò vita nobis sit suavior ac pacatior, abigendæ curæ otiosæ ac turbidæ; curis nostris in Deum jactis. 1. Pet. 5. 7. Phil. 4. 6. Ut minùs peccemus, nobisque curas fecellamus, abstineamus à curiosâ garrulitate, Ephes. 4. 29. Matt. 12. 36. Ut gratæ nostræ sint preces Deo, battologiam Pharisaicam vitemus, ut plus cor quàm lingua oret.

HO-

HOMILIA III.

in ℣.4–7.

DE TERTIO.

Quum nuncupaveris votum Deo, ne differto persolvere illud; nam non oblectatur stolidis: id quod voveris, persolve. Melius est ut non voveas, quàm ut voveas ac non persolvas. Ne permittito ori tuo ut peccato obstringat carnem tuam; & ne dicito coram angelo illo errorem istud esse: ecquid efferveſceret Deus ipse propter vocem tuam, & perderet opus manuum tuarum? Nam ut multitudini ſomniorum vanitates, ita verbis multis inerunt: ſed Deum ipſum reverere.

QUemadmodum fidi Doctoris officium requirit, non modò indicare quæ falſa ſunt ac noxia; ſed maximè quæ vera ac utilia: Ita Salomon ſapientiſſimus Rex, non ſatis habuit hoc libello vanitatem rerum humanarum deſcripſiſſe, atque ad eas nimio affectu proſequendas dehortatum eſſe: ſed inſuper ſalutaria quæque præcepta immiſcuit, de cultu & timore Dei, de que præſente vitâ, cum decoro facultatum terrenarum uſu & gaudio, tranſigendâ; atque ſic ſalutaribus præceptis & ad præſentis

& futuræ vitæ felicitatem assequendam manuducere hominem intendit Salomon. Quod præcepta attinet Dei cultum spectantia, duo hactenus expendimus sub initium hujus cap. 1. erat de *attentione verbi*, 2. alterum de *precibus concipiendis*.

Nunc ergò ad tertium accedimus τὸ Θεῖον, quod est de *votis*. Considerabimus hîc,

1. *Regulam, quam de Votis tradit.*
2. *Ejusdem confirmationem.*

I.

Regula est, V. 4. *Quum voveris Deo votum, ne tardes reddere illud.*

Votum est promissio Deo facta ab homine, quâ is se obligat ad aliquid præstandum, quod faciat ad nominis ipsius gloriam. Vota hujusmodi in V.T. erant pars aliqua cultûs divini, & quidem ejus qui in ceremonijs consistebat: Unde certa quoque in Lege præcepta extant, de votis nuncupandis, præstandis, redimendis, rescindendis, &c. In N.T. etsi pars divini cultûs non sint, (quippe de quibus nulla extant præcepta, cùmque ceremoniæ illæ legales per Christi adventum sublatæ sint) ad cultum tamen divinum ac religiosum spectant, ut ejus adminicula ac subsidia: Unde sequitur

DOCTRINA I.

Vota soli Deo esse pangenda; utpote cui soli cultus religiosus debetur.

Quò faciunt cuncta illa dicta, quibus Deo vota reddi præcipitur, de quibus pòst, inter quæ & præsens est locus *Salomonis*. Cui enim reddenda sunt, eidem soli quoque sanciendam: nec ullum est in scripturis dictum, quo vel Angelis vel hominibus, vel ulli alij creaturæ vota nuncupari posse perhibetur.

Usus. Vota igitur Idololatrica sunt, quæ *Gentiles* suis Idolis & falsis Numinibus nuncuparunt. Sic *Judæorum*, quæ aliis voverunt. Jerem. 44. 25. Item quæ *Papista* nuncupare solent, B. *Mariæ* vel Divis, uti sunt vota peregrinationum, altarium, sacellorum, cereorum, redituum legandorum, &c.

Grati-

Gratitudo enim vel pœnitentia, quæ per ista vota intenditur, Deo debetur, non hominibus. A quo enim cuncta bona manant, eidem & gratitudo debetur: Deo sc. soli. Jacob. 1.17. Cui soli peccavimus, in eum quoque solum pœnitentia dirigenda est: Deum sc. Psalm. 51.6.

DOCTRINA II.

Vota legitima Deo facta, implenda sunt: atque eò homo per conscientiam obligatur.

Hoc vult Regula hęc *Salomonis* hoc loco tradita. Dicta parall. *Vir quum voverit votum Jehovæ, aut juraverit juramentum obligatione obligando seipsum, ne profanato verbum suum: secundum omne verbum quod prodierit ex ore suo faciet.* Num. 30.2. *Voventes votum Jehovæ pendent.* Jes. 19.21. *Redde altissimo vota tua.* Ps. 50.14. *Vovete & reddite Jehovæ omnes, qui estis in circuitu ejus.* Psalm. 76.12.

Ratio. Quia aliàs id foret Deum ludificare, ejusque summam majestatem despicere.

Simil. ab humanis, qui promissa non præstant, aut datam fidem violant, mendaces aut perjurij habentur, atque infamiæ notam incurrunt: Ergò blasphemi ac sacrilegi omninò censendi sunt, qui quod Deo stipulati sunt, non servant. Vota instar debiti. Hinc mos loquendi: solvere aut reddere vota: Solutio igitur votorum non est amplius in nostra potestate ac arbitrio; sed de necessitate. *Quia tu vovisti, jam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Augustin.* in Epist. ad Arment. & Paulinum.

Tantumque abest, ut Deus vota irrita facere impune sinat, ut ne minimum quidem de illis velit remittere; adeò etiam ut pecus, aliàs voluntarijs oblationibus apta, ad vota tamen inidonea sit, si justam membrorum proportionem non habet. Levit. 22.23.

DOCTRINA III.

Quæ Deum ejusque cultum spectant maturè, eoque prompto & hilari animo expedienda sunt.

De *votis* hîc ait *Salomon, Ne moreris.* Ita: *Si voveris votum Jehovæ Deo tuo, ne differto solvere.* Deut. 23.21.

De *precibus*, Psalm. 5.4. & 63.2.

De *primitijs* non differendis Lex extat, Exod. 22. 29.

De *eleemosynis Paulus* ait: *Hilarem datorem diligit Dominus*, 2. Cor. 9. 7. *Ne dicito proximo tuo, abi, deinde revertere, cras enim daturus sum, quum fuerit penes te.* Prov. 3. 28.

Ratio, *Bis dat, qui citò dat*, h. e. adeò gratum quod datur maturè atque si duplicatum daretur. Contrà, mora pœnitentiam facilè gignere potest, quâ invalescente, perit voti gratia utcunque tandem persoluti: ergo ad amputandam pœnitendi occasionem celeritate opus est. *Ex.* Ideò *David* non simpliciter vovit, se arcam Domini deportaturum ad statum & certum locum Hierosolymis, sed ut nonc unctanter id faceret, ampliùs se obstrinxit, se non ante migraturum in novum suum domicilium, quod recens ædificandum curavit in civitate suâ. Psal. 132. ℣. 2. & seqq.

Usus. Hoc igitur observemus, ut in omni cultûs divini exercitio alacres simus, fervidi, voluntarij, prompti ac festini. Psalm. 110. 3.

Cumprimis periculosa est cunctatio in præstanda pœnitentiâ, quam Baptismo Deo vovimus. *Sera pœnitentia vero vera:* verissimè: ut ergo vera sit, matura esto. *Hodie si vocem ejus audiveritis, ne obdurate corda vestra.* Hebr. 3. 7.

II.

1. *Prima ratio* petita est à *Dei displicentiâ*. Text. *Quia non est beneplacitum* (sc. Deo) *in stultis.*

Stulti vocantur, qui pœnitentiâ votorum factorum ducti ea non præstant, sed rescindunt: hinc enim patet, temerè ac inconsultò, (quod stultorum est) prorupisse ad vota nuncupanda.

Hæc verò temeritas in vovendo, & neglectus in præstando, Deo placere non potest: Illa quidem ideò displicet, quia *rationabilis* esse debet cultus noster. Rom. 12. 1. Hic verò ideò, quia fraudat Deum eâ re, quæ ipsi instar alicujus debiti persolvi necessariò debet: quod dum non fit, Deus ab homine contemnitur, eique illuditur; quod quidem Deus ægerrimè fert. Gal. 6. 7.

DOCTRINA.

Vota igitur prævia deliberatione, ac maturo consilio pangenda sunt: ne pœnitentia ex præcipitantiâ ac incogitantiâ subsequatur, quod obtigit *Jephthæ*, Jud. 11. 37.

Quin

Quin immò in omni cultu deliberatò agendum est, prævijs precibus, ac præparatione animi piâ: 1. Cor. 11. 28. Simile Luc. 14. 18. *Quis ex vobis si velit turrim ædificare, non prius considens computat sumptum*, &c.

2. *Secunda ratio* petita est à *peccati gravitate*. ℣. 5. Text. *Melius est non voveas, quàm ut voveas & non reddas.*

Vota nuncupare res erat semper libera & adiaphora, ut liquet ex Deut. 23. 22. nec verò Deus pœnam non voventibus ullam statuit: Interim tamen qui non vovit votum, cùm justam ejus rei causam haberet, ad gratitudinem suam erga Deum declarandam, etsi non peccavit in Legem cæremonialem, peccavit tamen in Legem moralem, quâ honor & gratitudo nobis erga Deum injungitur. Præcipiuntur hoc sensu vota, Psalm. 76. 12. *vovete & reddite*, &c.

Eatenus igitur qui vota intermisit, bonum intermisit, ad quod ex communi gratitudinis Lege tenebatur, sicque peccavit: At verò graviùs multò peccatum ait esse *Salomon*, vovere & non præstare, quàm prorsus non vovere.

Appl. Sententia hæc ℣. 5. *Papistis* objici potest: Qui vovent & non reddunt, dum nimirum talia vovent, quæ præstare vires ipsorum planè superat; cùm nihil vovendum sit, nisi quod est in nostrâ facultate positum.

Vovent illi *perpetuum cælibatum*, atque à conjugio abstinentiam: Atqui continentia singulare Dei donum est paucis concessum, nec in hominis facultate positum, Matth. 19. 11. Atque eventus nimiò id confirmat; Quid enim monachorum & monialium claustra, quàm lupanaria fœdissima?

Vovent item illi *paupertatem voluntariam*, quâ suis renunciare bonis videntur, atque ad vitam mendicatione transigendam sese obstringunt: sed enim locuples ista mendicitas, quibus omnium rerum opulentia copiosissimè affluit; omninò enim mendicitatem vovent, ut abundent: An verò hoc est paupertatis votum exequi?

Satiùs igitur istis hominibus foret non vovere, quàm ut voveant nec reddant, sed mundo imponant, Deum ludificent.

3. *Tertia ratio* petita est à *pœnæ atrocitate*, cui se faciunt obnoxios; quia vota sua temere violant, hancque ipsam dein voti præstandi negligentiam mendacio excusare annituntur, quasi per errorem & quidem inculpatum voverint.

Ne-

Ne permittas ori, vel ne *des os tuum)* h.e. ne permittas ori tuo temerè sermonem profundere, ad excusandam voti violationem. Simil. phras. Job. 31.30.

Vt peccare faciat carnem tuam,) nempe ruptis votis licentiosiùs vivendi; quò quidem caro nostra inclinat:

Neque dicas quod error sit) q.d. prætentâ hâc excusatione mendaciter à te confictâ, quasi error sit, & quidem inculpatus, h.e. quasi per errorem seu ignorantiam aut imprudentiam voveris, eoque venia voti neglecti aut non persoluti tibi sit omninò concedenda. *Coram Angelo,* qui sc. tibi astat, & spectat aut videt, quicquid agis; Confer Matth. 18.10. 1. Cor. 11.10. Multi ex nostris Interpretibus per Angelum hic intelligunt Christum Angelum fœderis, Jehovam, cordis scrutatorem qui vanas & futiles excusationes pervideat, & acriter ulciscatur. Colligunt hoc ex Articulo demonstrativo הַמַּלְאָךְ Angelo illo, &c. Judæi quidam per Angelum hic intelligunt Levidam, &c.

Vt quid irascceretur Deus propter vocem tuam?) Quare Dei iram in te concitares, quam cavere potes, duplicatione peccati, voce seu sermone temerario a te commissi; tum sc. quòd audacter initiò voveris, tum quòd mendaci ac frivola excusatione culpam voti violati declinare coneris?

Et dissipabit opus manuum tuarum?) h.e. Te ipsum, & quæ tua sunt, aut quæ fecisti. Pœnæ enim Dei non in personam modò delinquentis, sed in omnia quæ ad ipsum spectant, derivantur.

Quæritur: An ergo promiscuè vota qualibet præstanda sint, & rescindenda nulla?

Resp. Distinguendum inter vota *legitima* & *illegitima.*

Legitima sunt, quæ cum verbo ac voluntate Dei; cumque proximi charitate conspirant: *Illegitima* contrà, quæ sc. verbo Dei sunt contraria, eoque peccatum subinferunt; quæque cum charitate proximi pugnant.

Quale fuit votum sicariorum 40. illorum, qui in necem *Pauli,* mediante voto, conspirarunt. Actor. 23.13,14.

Talia vota omninò rescindenda sunt: Quia hujusmodi vota Deo sunt adversa; nec verò Deus vel flagitat à nobis ut malum quid ei voveamus, vel ut fidem ei servemus in malis: Unde duplò peccat, qui talia

vota

vota præstat, primò quòd temerè ea vovit; dein quòd eadem servat; cùm omninò frangere deberet,& pro priore delicto veniam à Deo precari. Ita legimus Jerem.44.25.exprobrasse Deum Judæis,quòd vota Astris cœli facta solverint,erant enim vota Idololatrica,eoque illegitima. *Simil.* Ut juramenta illicita rectè negliguntur, sic & vota. *In malis promissis rescinde fidem,in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti ne facias, Nustia enim promissio quæ fudere adimpletur.* Isidorus.

Appl. Dicimus ergò, Vota Monastia,*cœlibatûs,paupertatis,regularis Obedientiæ* non obligare, sed salvâ conscientiâ rescindi posse, ac debere: quia tum verbo Dei,tum proximi charitati sunt adversa.

a. Votum enim *cœlibatûs*,si faciant illi, qui donum continentiæ non habent, (ut certè paucissimi habent ex grege Monachali) Mandato Dei adversatur: Genes.1.13. Et 1.Cor. c.7.v.9. Item de viduis junioribus,1.Tim.5.14. Adversatur item libertati Christianæ, dum sc.isti novos sibi laqueos injiciunt. 1.Cor.7.35.

b. Votum dein *paupertatis*; 1.adversatur *mandato Dei*,quo Deus vetat, Mendicos esse: Deutr.15.4. Lex ista abrogata non est,etsi ob exiguam egenorum curam neglecta. Interim Mendicitas professa, ex professo Legi Dei sese opponit.

2. Adversatur dein *chartiati Christianæ*: Mendicantes enim isti, nullo certo vitæ genere ac statu prodesse volunt humano generi; Gal.5. ℣.13. sed maximo potiùs ei sunt oneri, dum sc.pigri isti ventres aliorum laboribus alendi ac sustentandi sunt; secus quàm docet Apostolus 2. Thess.3.10.

c. Votum denique *regularis Obedientiæ* etiam verbo Dei adversatur. Obstringunt se Monachi(instar Pharisæorum,Matth.15.3.)ad obedientiam Abbati vel Superiori præstandam, ad præscriptas regulas cujusque Ordinis in omnibus,tum quæ cultum divinum, tum etiam externum vitæ genus, spectant: atque ita statutis humanis sese mancipant,cùm non nisi verbum Dei regula & norma nobis esse debeat tum vitæ tum fidei & cultûs; magisque adeò hominibus subjiciuntur,quàm Deo ipsi: secus quàm docet Apostolus 1.Cor.7.23.*Precio empti estis, ne estote servi hominum.* Summa,libertatem Christianam fastidiunt & contemnunt, quam tamen nobis observandam & custodiendam esse in Christi nostri honorem,liquet ex Gal.5.1.Col.2.16.

Quando ergò hoc loco Salomon culpat eos, qui vota rescide-

runt, prætexentes quòd error sit, non de illegitimis votis id statuit, sed de legitimis: quæ non persolvere, sed obtentu erroris eorum neglectum excusare, grande nefas esse judicat, atque ejusmodi votifragum, iram Dei, justamque ejus vindictam in se provocare asseverat.

HOMILIA IV.

In eundem Textum.

DOCTRINA I.

Nihil proficiunt, qui peccata sua, quorum in conscientiâ sunt convicti, apud Deum palliare aut excusare nituntur. Veluti qui votum quod legitimè fecit, negligit; prætendens, quasi per errorem prolapsus sit ad votum illud nuncupandum. *Ne dicito coram Angelo errorem illud esse, &c.*

2. Ratio: *Quia Deus cor ac conscientiam introspicit ac dijudicat.* Jerem.17.10.1.Joh.3.20. *Custos hominum est*, Job.7.20.

Appl. Quod notent illi, qui per imprudentiam, aut ignorantiam, aut ebrietatem, aut errorem, &c. non datâ operâ, non scientes aut volentes hoc vel illud se commisisse prætendunt: Quod si falsum est, commiserationem quidem & veniam apud homines quandoque meretur; qui corda non introspiciunt; apud Deum non item. Ideò Deus tales tantò severiùs plectit, tum quia peccarunt, tum quia mendacia peccato superaddunt, illud excusaturi, Deo hoc modo illudentes. Atque hoc ipsum est, quod hîc Salomon urget. Longè igitur satius est, dicere nos quod res, fateri peccatum, veniam deprecari. Prov.28.13.1. Joh.1.8,9. Psal.32.3, 4,5. *Peccavi quid agerem tibi ô custos hominum*, Job.7.20.

b. *Quia omnium nostrarum actionum spectatores ac arbitros habemus Angelos.* Coràm illis igitur mentiri, vota negare, Deum ludificare nobis nefas esse debet: Quia metuendum est, ne quos Custodes nobis Deus adjunxit, ad nos vindicandos & puniendos armet. Serviunt enim Deo in executione judiciorum ipsius.

Qua-

Queritur hîc, *an cuique homini singularis aliquis Genius vel Angelus à Deo associatus sit?*

R. De hoc Scriptura nihil tradit: In genere saltem docet Angelos piorum esse custodes & administros, Ps. 34.8. & 91.11. Matt. 18.10. Heb. 1.14. sed quòd singulis hominibus singuli Angeli destinati sint, nuspiam è Scriptura colligi potest: utut quorundam Scriptorum Ecclesiasticorum ea fuerit sententia. Scriptura econtrà testatur, magno interdum populo unum Angelum dari, Ex. 2. Reg. 19.35. & uni homini integrum exercitum. Ex. Genes. 28.12. Jacob vidit *Angelos ascendentes & descendentes* per scalam. Gen. 32.1. ipsi obviam venerunt Angeli Dei, quibus visis dixit, *Acies hæc Dei est*, &c. Sic 2. Reg. 6.17. *Mons erat plenus equis & curribus igneis circa Elischachum.* Nec obstat quod narratur Act. 12.15. Esto enim istos sic statuisse, forsan adhuc versati sunt in communi Judæorum errore, ut non necessum sit stare illorum sententiâ.

USUS. Gaudeamus Angelorum præsidio: In salvos conductus nihil non impenditur, hîc nihil nisi preces & vitæ puritas requiritur. Hîc verò edocemur, Cavendum nobis esse, ne temerè vel verbis vel factis peccemus, idque propter angelos: quos ut spectatores præsentes habemus; peccantes offendimus, abigimus, ad nos coràm Deo deferendos concitamus, atque ad pœnas de nobis sumendos, Deo ipsis jubente, provocamus. Hoc argumento dissuadet Christus contemptum tenuiorum, Matth. 18.10. Paulus 1. Cor. 11.5.13. suadet, ut mulieres velatæ in templo orent.

APPL. Sint ergò colloquia & acta nostra verecunda, pia, sancta; qualia futura essent, si graves aliqui pijque nobis assisterent viri; Ita retinebimus Angelos nobiscum, tutores, defensores, consolatores, ductores, &c. Sin minus, cacodæmones astites habebimus, squalidâ porcorum specie, uti senex ille vidisse eos fertur; apud impuram profanorum hominum turbam. In *Vitis Patr.*

DOCTRINA II.

Votifragi non abeunt impunes. Text hîc. Deutr. 23.21. *Nam omninò reposceret illud* (votum) *Jehova à te, & esset in te peccatum.* Pari enim passu ambulant cum perjuris, quorum scelus gravi pœnæ subjicit Deus. Mal. 3.5. Pœnæ in votifragos gravitas æstimanda est, 1. *Tum* ab

irâ Dei, tanquam vindictæ principio. Text. *Utquid iratcetur Deus propter vocem tuam?* Illud enim pœnæ genus, quod ab amore potiùs Dei profluit, quomodo dilectos suos filios castigat Deus, mitius utique fuerit atque tolerabilius quàm illud, quod ab irato Deo proficiscitur: Ad quod discrimen respiciens David Psal.6.2,3. rogat, ne in ira & excandescentiâ suâ Deus ipsum castiget. Hoc verò non ita capiendum est, quasi ira in Deo esset, prout in hominibus, in quibus est vehemens quidam affectus, ac mentis perturbatio; hujusmodi enim passiones in Deum non cadunt; sed metaphoricè & ratione effectûs Ira Deo tribuitur, & per eam intelligitur voluntas seu Justitia Dei scelerum vindicatrix, vel ipsa Dei vindicta. Gravitas iræ Dei incomprehensibilis; *Consumimur in furore tuo; in ira tua terremur.* Psal.90.7.&c. ideò anxiè nobis cavenda.

b. *Tum* à genere vindictæ, quæ Dei est maledictio, quâ ferit non modò hominem ipsum, sed cuncta ejus quoque opera, labores, instituta; facultates, possessiones, &c. juxta interminationem Levit.26.& Deut.28.

Usus. Vota ergò nostra Deo diligenter præstemus. Christiani omnes *communi voto* nos Christo Domino & Servatori nostro obstrinximus, quòd ipsi servituri simus in sanctitate & justitiâ omnibus diebus vitæ nostræ, Luc.1.74.& contrà peccato, mundo, diabolo renunciaturi: idque *in nostro Baptismo*, uti Petrus monet. 1.Petr.3.21. Hoc ipsum votum repetimus & innovamus, quoties ad mensam Domini accedimus: Sed quotus quisque est inter nos, qui voti hujus solutionem, eo quo par est zelo & integritate prosequatur? quàm hîc sumus oblivioni? quoties à carne & mundi illecebris abducimur? quoties Satan suis tentationibus prævalet? Ecquis posset sine mendacio dicere, se votum illud legitimè unquam servasse? Quid igitur mirum, si publicis & privatis calamitatibus nos visitet Deus passim; adeò ut innocentiam suam nemo hominum eatenus urgere ausit, sed omnes necesse habeamus confiteri & deprecari cum divino Psalte ex Psal.130.3.& 143.2.

Ut verò *specialiora* vota premam, Quot sunt eorum, qui vel parentibus ac propinquis, vel Magistratui, vel pastoribus stipulatâ manu condixerunt, se vitam emendaturos, & porrò à luxu, prodigalitate, ebrietate, impudicitiâ, exsecrationibus, jurgijs, contentionibus, otio, profanitate, &c. destituros, Conciones sacras diligenter frequentaturos, vocationi gnaviter vacaturos, &c. quod certè perinde est, atque si Deo ipsi se voto adstrinxissent: Sed enim quomodo hujusmodi homines promissis suis stent,

stent, nimiò satis prodolor eventus testatur, dum canis instar mox redeunt ad vomitum, & porci instar ad volutabrum cœni.

Hoc verò solenne est, Deo nos promittere resipiscentiam, quum adversa nos premunt: in periculis, morbis, angustijs ac calamitatibus alijs, præsertim quum media auxiliaria nos deficiunt; tum certè omnimodam nos Deo despondemus pietatem ac obedientiam, modò nos juvet ac liberet. Sed quomodo vota talia Deo persolvimus? Perperam! Imitamur infantes, qui quod modò dederunt, mox rursus adimunt. Imitamur Judæos perversos, qui Rege Babyloniæ *Nebukadnezare* civitatem Hierosolymam obsidente, fœdus pepigerant, se juxta Legem Dei servos & ancillas in libertatem dimissuros, ut sic iram Dei averterent: qui mox quum Babylonij ab obsidione urbis abscessissent, servos suos in pristinam servitutem compulerant, à qua publicâ fide eos ante liberaverant: unde Deus illis excidium minatus est: Jerem. 44. 10. 11. Ita quum Deus nos obsidet suis judicijs, bello, fame, peste, quum ingruunt privata mala, morbi, egestas, afflictio, &c. vovemus, nos superbiam, avaritiam, injustitiam, intemperantiam aliaque scandala publica abacturos: sed quàm primum desinit Deus à nobis obsidendis, deteriores evadimus, quàm unquam antè.

Testes hujus rei *jejunia publica* quæ celebravimus, itemque *Reformatio promulgata*, quæ pericula & judicia Dei nobis imminentia extorserant; sed quàm vota ista nequiter frangamus, atque quælibet effugia quæramus, quò minus ad ea præstanda astrictos nos judicemus; plus satis prodolor loquitur experientia. Perinde enim nos gerimus, atque si Deo superbiam, injustitiam, avaritiam, &c. vovissemus, ita cuncta hæc vitia magis magisque grassantur.

Constat *Pharaonem perinde* Deo illusisse: quandiu enim ille à plagis Dei constrictus & territus esset, humilem se & obsequiosum, ac paratissimum declarabat, ad dimittendum populum Dei: plagis ademptis, mox in suâ nequitiâ se obfirmabat. Aliquoties id factum: donec tandem, propositi tenax, populum Dei prorsus deleturus, ipse cum omni exercitu rubro mari periisset. Idem metuendum nobis, ne ludificatio ista Dei, dum toties emendationem spondemus, nec præstamus, &c. exitium tandem nobis afferat.

Quum pericula, bellica præsertim, imminent, aut aliæ nos premunt calamitates, perinde affecti sumus ut Israëlitæ, quum Dei vocem

tonitrûs instar è nube & igne personantem audissent; tum enim ingenti terrore perculsi petierunt à Mose, libentissimè se cuncta Dei præcepta observaturos, modò ne cogerentur porrò terribilem Dei vocem audire, metuendum enim ipsis esse, ne ab igni hoc consumente, pereant: ac fortasse serium hoc erat multorum propositum, Deutr. 5. 29. sed quales se præstiterunt Israëlitæ? Aversi perfidè egerunt, ut majores eorum conversi sint, ut *arcus fallax*: dicitur Psal. 78. 57. Tales nos sumus: Deo tonante ex igni & nebulâ afflictionum & plagarum publicarum, terremur ad tempus, spondemus obsequium, exhibemus nos sagittarij instar, qui jaculum congruenter applicavit balistæ, & scopum versus appositè collimat, ut videri possit sine errore jaculaturum: sed quum ad actum deventum est, deprehenditur arcus fallax, eumque plurimùm à præfixo scopo aberrasse: Ita certè sæpius spes aliqua emendationis apparet apud nos, quæ tamen quum in rem ventum est, inanis & fallax deprehenditur: omnia in fumos abeunt. Nempe, sicut aqua fervida tamdiu calida manet, quandiu sub illâ ignis ardet, quo semoto sensim frigescit: Ita fervidi quadantenus comperimur, dum ignis afflictionum nos adurit, quo semoto fervor omnis mox tepescit, donec protinus tandem evanescat & congeletur.

DE QVARTO.

Ex occasione præcedentium delabitur Ecclesiastes ad Dei *Timorem* inculcandum, in quo quippe cardo divini cultûs & pietatis omnis vertitur.

Dixerat antè abstinendum esse in *precibus* à verborum multiplicatione; quia ut in somnijs, sic in verbis cumulatis multiplex vanitas & stultitia perspiciatur. Pòst cùm de *votis* egit, dissuasit, nè temerè ea violentur, néve quis præsumat verbis neglectum aut violationem eorum excusare; ita enim in se Dei iram & vindictam concitarum.

Nunc in hac materie pergens, docet, verbis utcunque speciosis ac prolixis nihil apud Deum effici, sed meram esse vanitatem, quodcunque in illis quæritur præsidium, non minus atque in somnijs multiplex vanitas comperiatur: adeoque non plus valere coràm Deo verbosas excusationes ob neglecta perfidiùs vota, quàm somnij enarrationem. Inde Regulam præscribit, juxta quam cuncta nostra instituta sint dirigenda,

genda, quando ait, *sed Deum time:* q.d. Agnosce Deum conscientiam tuam introspicere, nec te verbis quicquam apud eum proficere, si cor tuum te condemnet; Ergò hoc habe, Deum time, ita nec temerè quid voveris, nec licenter vota nuncupata violaveris, ne si feceris, pœnam Dei incurras.

DOCTRINA I.

Timor Dei à malo avocat, & ad id quod rectum est agendum impellit. Prov. 8.13. & 16.6. Ex. *Joseph*, Gen. 39.9. & 42.18. *Hobadias* 1. Reg. 18. 3.4. *Nehemias* c. 5.9,15. Plura vide ad cap. 12. v. 15. Eccles.

DOCTRINA II.

Timor itaque Dei eximit ab irâ & pœnâ Dei: Et contrà benedictionem cœlestem hujus & futuræ vitæ conciliat. Psal. 33.18, 19. & 34. ℣.8. Item Psal. 112.1. & 128.1, &c. est arbor vitæ, Prov. 3.

Usus. Timorem igitur Dei habeamus, ut omnivariâ Dei bonitate fruamur. Deut. 6.13. c. 10.20. Prov. 20.13. Quam ut assequamur, oremus cum Davide, Psal. 86.11.

HOMILIA V.

in ℣.8.

Si oppressionem pauperis, interversionemq; iuris ac iustitiæ videris in ipsa provincia; ne mireris de ista voluntate: nam altus superior alto observat, imò altissimus superior istis.

DE

DE QVINTO.

SEquitur quinta Doctrina de *Providentiâ Dei*, quæ quidem apprimè utilis est scituque homini Christiano perneccssaria. Facit enim ad

1. *Institutionem* in verâ Dei cognitione, &c.

2. ἐλεγξιν *Epicureorum*, qui omnia hoc in mundo casu cœco, sursum deorsumque ferri, sine Numine, statuerunt.

3. ad *correctionem hominum profanorum*, qui sibi impunitatem scelerum pollicentur, quasi scilicet Deus minus rerum humanarum satageret.

4. ad *institutionem in justitiâ*, quia Deus sit spectator & retributor bonorum & malorum.

5. ad *consolationem*: Quum cuncta regantur à Dei providentiâ, acquiescendum nobis esse quacunque sorte; fretis, diligentibus Deum cuncta ad bonum conferre, Rom. 8. 28.

Videtur autem Salomonem non incommodè doctrinam istam de Dei providentiâ antecedenti hortationi ad Timorem Dei, subtexuisse: Quia enim objici poterat, non usque adeò magnam urgere necessitatem cur timendus sit Deus, cùm experientiâ constet, pauperes à potentioribus opprimi pro lubitu, omnemque justitiam passim conculcari, & quidem impunè, &c. Ideò Salomon ad diluendam istam objectionem, ad asserendam Dei providentiam delabitur, q. d. Non præsumendum esse, ex eâ quæ in mundo quandoque grassatur violentiâ & iniquitate, quasi nullus esset in mundo Deus qui timendus sit: quin immò eum curiosissimè cuncta ista perspicere ac observare, certo dein consilio permittere, donec suo tempore vindicet.

Tria ergò nobis circa vers. hunc dispicienda.

1. *De Malo quod in mundo grassatur.*
2. *De carnis circa illud censurâ.*
3. *De Dei super illud providentiâ ac judicio.*

I.

Si oppressionem pauperis interversionemque juris & justitiæ videris.

deris. Malum quod hîc tangit *Salomon*, est 1. *oppressio pauperum*, h.e. eorum, qui potentiâ, authoritate, ac auxilio destituuntur, ut se contra vim injustam tueri ac defendere possint; Qui enim opibus abundant, facile sibi tutelam ac defensionem redimere valent largitionibus: 2. *iam etiam iuris ac iustitiæ perversio ac violatio.* De hoc malo itidem conquestus est suprà cap.4.℣.1.&c. Vide Hom.in h.l.

Usus. Minimè sunt excusati seu injusti tyranni, seu alij violenti inferiorum oppressores, quòd usitatus iste & vulgatus semper in mundo mos extiterit; ut, quâ quisque polluerit potentiâ & authoritate, sit usus; justitiam nunquam strictè observatam, nunquam ad amussim fuisse cuncta revocata: pauperum semper fuisse hoc fatum: rigidos nimis esse censores qui cuncta velint esse plana, dandum esse aliquid ac connivendum humanæ fragilitati, &c.

R. Fateor equidem semper injustitiam ac violentiam in mundo hoc obtinuisse; nec verò meliora speranda esse; sed mundum mansurum mundum, ad usque sui consummationem.

Interim sciant violenti isti, non perinde ut illi leviter de tanto crimine sentiunt, sic apud Deum quoque stare; Mundus enim *in malo jacet*, 1.Joh.5.19. Est *inimicitia adversus Deum*, Jacob.4.4. *Peribit cum suis illecebris.* 1.Joh.2.17. *Deus illum est judicaturus.* Actor.17.31.

Ergo, ne *conformemur præsenti sæculo.* Rom.12.2. Ne *erremus, quicquid seminaverit homo metet.* Gal.6.7. *Non est penes Deum personarum acceptio.* &c. Rom.2.11.

II.

Text. *Ne mireris.* Ergo ea per se est hominum censura, *quòd mirentur:* Inde verò longiùs vergunt, ut occipiant subdubitare de Deo ac ejus providentiâ, An sit Deus? & siquidem omninò sit, an aliqua ejus sit rerum humanarum cura? cur ista permittat? cur injustos ac tyrannos non plectat, oppressos vindicet? siquidem justus sit ac judex mundi.

Demiratio ista etiam sanctos quandoque perplexos reddidit, ut parum abfuerit, quin in cultu & timore Dei ac studio pietatis segniores ac remissiores facti essent. E.g. Job.c.21.7. Asaph.Psal.73.2.&12. Jerem.12.1. Habac.1.12. Malach.3.14,15.

Quin & plurimorum inter nos istæ voces: Je ärger Schalck/je besser Glück: Huren vnd Buben gehts am besten.

Sed enim carnis hoc iniquum & præposterum est judicium, minimè admittendum, sed abigendum: quippe quo pudendam insciti am prodit homo; atque in Deum injuriam valdè.

Ideò & *Salomon* hic monet, *Ne mireris*, q.d. Facessant istæ cogitationes, quasi cœco casu cuncta sursum deorsumque ferrentur sine Deo, &c.

DOCTRINA.

Rationis judicium suspectum nobis esto, illudque ad trutinam verbi Dei exigamus. 1. Cor. 2. 14. *Cogitabam ut scirem hoc, sed labor fuit in oculis meis: Donec ingrederer in sanctuarium Dei, & intelligerem novissimum eorum.* Psalm. 73. 17. Hâc de re plura alias.

III.

Hinc ergo *Salomon* Providentiam Dei adstruit, ostenditque ea, quæ à nobis confuse fieri videntur, & nemine curante evenire; à Deo tamen per certam ac arcanam suam providentiam observari ac gubernari. *Simil.* Ut tempestatibus infra nubes grassantibus impetuosissime, supra illas placida ac serena sunt cuncta: Sic quum putamus cuncta sursum deorsumque ferri in mundo hoc inferiore; penes Deum tamen miro ordine reguntur.

Hoc ergo Dei regimen, ejusque providentiam seqq. documentis asserit *Salomon*.

1. *Primo* enim innuit, injustitiam & violentiam grassari in mundo, non præter Dei voluntatem & arbitrium:

Text. *Ne mireris de voluntate*, sc. divinâ. (ut rectè Mercerus explet) Nihil enim in mundo evenit vel fit præter vel contra Dei voluntatem: secus enim sequeretur Deum non esse omnipotentem, qui impedire non posset, quod præter vel contra ipsius voluntatem eventurum esset.

DOCTRINA.

Adeoque & mala non pœnæ saltem, sed & culpæ non præter Dei voluntatem eveniunt:

Hæc tamen voluntas non est nisi permissiva, juxta quam Deus certo consilio & fine, peccata permittere decrevit; non autem approbativa, multò

multò minus effectiva, prout bonarum actionum Deus primarius est author.) Permittit autem Deus mala & peccata fieri, optimo & sanctissimo fine, ad quem ea quoque dirigit, neque enim aliàs permitteret.

Et injustitiam quidem ac violentiam erga pauperes ideò, ut, si pij sint, hoc pacto probentur, ac exerceantur in fide, spe, fiduciâ, patientiâ, precibus, &c. Ex. *Joh. David.* Sin impij, ut per tyrannos plectantur suo merito. Ex. Israëlitæ à finitimis, cumprimis Babylonijs.

Usus 1. Hæcque causa est, si Deus tyrannicos Magistratus populo alicui præficiat: nempe ut populum aut civitatem per illos plectat. Desistendum igitur à peccatis, quibus summus rerum omnium Dominus lacessitur, si à tyrannico dominatu immunis vult esse populus.

Usus 2. Huic igitur divinæ voluntati oppressi sese subjiciant, eaque sese adversus impatientiam obfirment, ac solentur, quia in ipsorum bonum, cuncta tendunt.

2. Testatur *secundò*, Deum, quem *Excelsissimum* vocat ista observare, atque ceu *Custodis* alicujus in altâ speculâ constituti, Job. 7. 20. Psal. 21. 4. cuncta quæ geruntur in terrâ animadvertere. Testim. Ps. 14. 2. Prov. 15. 3. 2. Chron. 16. 9. Jerem. 23. 23, 24. Hebr. 4. 13.

Usque adeò verum est, Deum injustas mortalium actiones spectare & observare custodis instar, ut etiam intimos cordis recessus penetret, & cogitata ejus dignoscat. 2. Chron. 6. 30. Jer. 17. 10. Joh. 2. 25. 1. Joh. 3. 20.

Ὑπόθεσις. Quare (ut ad scopum nostrum pergamus) omninò Deus observat & perspectas habet injurias, quibus pauperes afficiuntur; nec minùs subversionem juris & justitiæ ab iniquis judicibus perpetratam ad noram sumit: Psalm. 10. 14. & 56. 9. Esai. 49. 16. Apoc. 2. 9.

Usus 1. Ad *compescendam* injuriosorum hominum *petulantiam*, qui quidvis sibi licere præsumunt in pauperes, persuasi neminem esse, ne quidem Deum in cœlo, qui ista observet: Psalm. 94. *Plantator* auris, &c. Servus ille nequam non ausus fuisset conservos percutere, si præsentem herum scivisset; sed quia peregrè esse norat, hinc ipsi animus crevit, ad opprimendum illos: Ita, &c. Matth. 24. 48, 49. Meminerint ergo tales, Deum adesse custodem, speculatorem, arbitrum, excelsiorem ipsis. Immò omnes nos, eam ob causam abstineamus à turpibus factis; quæ enim non facturi essemus si gravis aliquis vir præsens nos videret; ea multò minus tentemus, quòd sciamus Deum ipsum adesse custodem.

Usus 2. Ad piorum *solatium*: Ne putent planè se commissos esse

potentiorum petulantiæ, quasi Deus nullam ipsorum gereret curam: Immò norint, ut non præter Dei voluntatem eamque justam & optimam injuriæ tales illis obveniunt, sic etiam Deum omnium illorum probè esse conscium, & diligenter pervidere. Itaque ad patientiam se componant, eique jus suum committant. Psalm. 37. 5. Jacob. 5. 6, 7.

3. *Tertiò.* Judicem Deum introducit, cui Reges, Tyranni, Judices iniqui, oppressores violenti omnes in universum subjecti sunt, atque ad rationes ei reddendas obstricti, quemadmodum inferiores præfecti supremo Magistratui rationes villicationis suæ reddere tenentur: Ideò vocat Deum, *Excelsum, qui sit supra excelsos*, h.e. Principes & Judices terræ, cunctis sc. sublimior, Rex Regum, & Dominus dominantium: à quo regna, imperia, & sceptra habent illi cuncti, Dan. 2. 21. & 4. 17. cujus sunt judicia, & cujus nomine & loco imperant in terris, 2. Chron. 19. 5, 6, 7. quique injustos judices, & violentos suorum oppressores certò sit judicaturus & vindicaturus, si non hoc seculo, quod sæpissimè fit, ast in futuro ac extremo judicio infallibiliter: quò facit quod addit, & *Excelsi super eos*; ubi nonnulli per *excelsos* istos intelligunt sanctos Angelos velut judiciorum Dei administratores, qui & ipsi superiores & excelsiores sunt Regibus ac Principibus quibusque terrenis. Malo tamen per illos intelligere Sanctos quosque, qui & ipsi mundum dicuntur judicaturi, 1. Cor. 6. 2. Sessuri in thronis cum Christo Judice, Luc. 22. 30.

DOCTRINA I.

Deus *igitur est excelsissimus ille qui jus dixit*, dicit, *dicet oppressis.* Psalm. 146. 7. (Hom. I. in Cap. 4. Eccles.) vel hîc, vel illic. Rependet injuriam injuriam alijs illatam, &c. 2. Thess. 1. Coloss. 3. 25.

Usus. Animadvertite igitur ô Reges & Judices terræ, &c. Ps. 2. Considerate, quàm horrenda sit futura vox Judicis, Redde rationem villicationis tuæ, Luc. 16. 2.

Reges tremendorum in proprios greges
Reges in ipsos Imperium est jovis. Horat. libr. 3. od. 1.

Prodit *Optatus* de *Constantino*, cùm Donatistæ in suâ causâ Judicem ipsum interpellavissent, sive ut de Galliâ Judices sibi dari præciperet pleno livore (i. zelo & irâ sed justâ) dixisse: *Petitis a me in hoc seculo judicium, cùm ego ipse Christi Judicium expectem.*

DO-

DOCTRINA II.

Injustitia & oppressio quæ in mundo grassatur, & quidem impunè nonnunquam, insallibilis est nota futuri extremi judicij, quo judicabit Deus juste orbem terrarum. Ratio, quia Deus est ipsa justitia, itaque injustitiam mundi aliquando corriget ac damnabit.

Usus. Eò igitur cogitatibus suis ferantur oppressi, si vident in hoc seculo non se vindicari. Apoc. 6. 11. Vide Hom. cit.

Gloria & Gratia Tibi Domine IESV.

HOMILIA VI.

TEXTVS. ℣. 9. 10. 11.

Iam emolumentum terræ pro omnibus est, Regi de agro servitur. Qui amat pecuniam, non satiatur pecunia; & qui amat ullam multitudinem, non saturabitur proventu; etiam hoc vanitas est.

Arte cap. *primâ Salomon* utilissima præcepta dedit de cultu & timore Dei, quæ ad æternam felicitatem assequendam faciunt.

Nunc *alterâ* ejus parte ad institutum redit, describendas sc. vanitates hujus vitæ; quodque omnium sit optimum ac felicissimum vitæ genus in præsenti seculo ostendit.

Initium facit à vituperio *Avaritiæ*, quam supra quoque aliquoties jam traduxerat: quia circa opes terrenas earundemque assequendarum studium, ac amorem, maxima eaque perniciosissima vanitas perspicitur.

Pulcrè verò ac concinnè istam avaritiæ vituperationem orditur à com-

commendatione *Agriculturæ*, quasi per quandam oppositionem utriusque; ut sensus sit: Beatissimos esse Agricolas, qui ab alijs omnibus curis vacui, proventibus terræ abs se cultæ vescantur; ac licet sordido ac infimo vitæ genere esse videantur, adeò tamen illud necessarium esse, ut vel Reges ipsi agriculturâ opus habeant, ad vitam & statum suum tuendum; Nihil contrà infelicius avaris, qui medijs alijs proximo nocivis utantur ad opes immodicas congerendas; cùm illis nihilo beatiores, sed infeliciores maximè reddantur. Audiamus ergo

I. *Laudes & Encomium Agriculturæ.* ℣. 9.
II. *Criminationem Avaritiæ.*

DE PRIMO.

Porrò utilitas terræ in (pro) omnibus est: Regi de agro servitur, vel *Rex agro servit.* Sensus est culturam terræ, suâ utilitate in omnibus vitæ humanę studijs antecellere: Ratio annexa est elegans: *Rex agro servit*: q.d. Illud utique excellentissimum est, cui etiam Reges ipsi, qui aliàs cunctis eminent, & imperant; tamen subijci ac obsecundare coguntur: Hoc verò est ager, seu terra ejusque cultura: huic ipse Rex servire cogitur, hanc omnibus modis procurare, promovere, tueri, &c. ni velit ipse cum omni suâ familiâ, comitatu, exercitu, immò regno toto perire: Hinc enim alimenta, quibus mortalium omnium, ne Regibus quidem ipsis exceptis, vita sustentatur. Videntur ista commodè prioribus adnecti, ubi pauperum ac contemptiorum injuriosa oppressio à *Salomone* damnata est: Inter istos autem vel maximè censentur Agricolæ, qui in vilissimo genere hominum habentur: Atqui utilissimi sunt, carere illis nullus ordo ac status humani generis potest: Minimè ergo sunt conculcandi: Quin contrà Reges, Principes, Magistratus officij sui admonentur, ut agricolas ceu pedes in corpore Reipubl. curent, tueantur, à vi & injuriâ potentiorum defendant, nec permittant, ab alijs seu vi seu juris obtentu opprimi ac excoriari.

DOCTRINA.

De *Laudibus Agricolationis* dictum suprà. Cap. 2. Hom. 3. Doct. 1.

quibus

quibus hâc vice hæc addimus, referenda cumprimis ad membrum hujus doctrinæ primum, quòd agricultura sit *honestissima*.

Initium Agricolationis *Deus ipse* fecit, dum hortum Hedenis plantaret, Genes. 2. 8. Ex hominibus primus ruricola fuit *Adam*, quem Deus in hortum Hedenis collocavit, ad colendum & custodiendum illum, Ibid. vers. 15. etiam ante lapsum: Tum verò minus durus ei fuisset ille labor, sed mera oblectatio: sicuti Salomoni Regi fuit, qui in suâ agricolatione non nisi delicias quæsivit & nactus est, atque eatenus Adamo similis erat. Post lapsum verò dictum ei: *In sudore vultus tui, &c.*

Patriarchæ reliqui victum suum per agriculturam & pecuariam (de quâ peculiariter suo loco) quæsiverunt. Sic *Filij Jacobi*: Hinc somnium Josephi de fasce suo stante, &c. Genes. 37. 7.

De *Noacho* constat, finito diluvio vineam plantasse, & agriculturam exercuisse, Genes. 9. 20. Reges populi Dei, rus coluisse, suaque prædia habuisse, quibus familiam suam sustentarent, liquet ex 1. Sam. 8. 12. *Hæc erit ratio Regis, filios vestros accipiet, ad arandum arva sua, & ad metendum messem suam.* 1. Reg. 8. 12. Nominatim de *Saule*, 2. Sam. 9. 7. *Achabi* 1. Reg. 21. 2. *Ussiæ* 2. Chron. 26. 10. Idem de *Pharaone*. Genes. 47. 23. memoratur. Jobus etiam de seipso: *Si contra me terra mea clamaverit, & pariter porcæ ejus fleverint. Si vim ejus comederim absq; pecunia, &c.* c. 31. 38. *Eliseum* quin etiam ab Aratro ad munus Propheticum obeundum, abduxit Elias 1. Reg. 19. 19. 20. E profanis Persarum, Græcorum & Romanorum historijs constat, maximos quosque inter ipsos agriculturæ operam dedisse. *Cyrus* minor ad Lysandrum Lacædemonium ait: *Etsi sum Rex Persarum, tamen me nunquam puduit agriculturæ.* Strenuissimi Romanorum milites agricolæ fuerunt: nec rarò ad Dictaturam, Consulatum, Senatum ab agro & aratro vocati sunt, qui munera illa obirent: Celebre est exemplum *L. Quint. Cincinnati*, ab aratro tracti ad dictaturam. *Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agriculturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.* Cicer. in Offic. Cæterum tanto honestior est agricultura, quanto innocentior est quæstus inde proveniens, utpote quem labor & sudor, non fraus & circumventio proximi; Deus non Mammon subministrat. *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed Deus, qui dat crescendi vim.* 1. Cor. 3. 7. *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ patienter animo cum exspectans, dum accipiat pluviam matutinam & serotinum.* Jac. 5. 7.

Usus

Usus. Minimè ergò agricolæ contemnendi & exagitandi sunt; Repereris, quos si rusticos, aut è rusticis natos diceres, magnæ id ignominiæ loco haberent: Atqui omnes abhinc originem trahimus: Nec quisquam erit, qui si majores suos retrò omnes excusserit, non tandem ad rusticos deventurus sit, aut alioquin in suâ familiâ rusticos sit deprehensurus. Præstaret quosdam esse rusticos, bonâ famâ & conscientiâ pollentes; quàm quòd quæstuariâ ingeniosâ sese è rusticorum statu exemerint quidem, bonam interim famam & conscientiam, & (ni resipiscant) æternam etiam vitam perdiderint.

DE SECVNDO.

Salomon Avaritiam, aliâs abs se proscriptam, pluribus nunc adductis argumentis ex professo damnat.

Primum argumentum desumptum est ab *Avaritiæ Insatiabilitate: Quis amat peccuniam non satiatur.* (*Non satiatur,*) quidam sic intelligunt, quòd avarus argentum comedere nequeat; ut ea, quæ ex agricultura habentur: Sed rectiùs hęc accipiantur de insatiabilibus avarorum desiderijs. Quo de fusiùs actum, Hom. 3. in cap. 4. Quibus concinunt dicta profanorum poëtarum,

Horat. libr. 3. Oda 16.

Crescentem sequitur cura pecuniam
Majorumq; fames. Et paulò pòst,
Multa petentibus desunt multa.

Idem Epist. 2. libr. 1.

Semper avarus eget.

Juvenal. Sat. 14.

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Videtur autem *Salomon* hujus mali originem adduxisse; Dum ait, *Qui diligit pecuniam: Non qui habet*, vel possidet (Sunt enim multi divites quibus quod habent sat est) *sed qui diligit*: q.d. Ideò avaritia est inexplebilis, quia est Amor nummi: Amor autem affectus est vehementissimus, qui finem & modum fermè nullum habet: quò respiciens *Paulus* Avaritiam vocat Idololatriam, ad intensissimum amorem ac desiderium indicandum, quo feruntur avari erga pecuniam, velut erga Numen aliquod. Et tales sunt, quos in divitijs confidere ait *Servator*.

Ga-

Galenus de dignosc.animi morbis,cap.9. hanc dat rationem, quia avari nunquam ad eos spectant,qui pauciora possident; semper autem ad eos qui plura, & hos ipsos superare conantur. Cupiditas omnis sedatur, cùm Amans rei desideratæ particeps seu compos factus est: At verò quo modo potest spiritus seu cor hominis particeps fieri pecuniæ vel auri extra ipsum in arca vel bursâ manentis? Ut fames corporis non sedatur quandiu panis manet in cophino, sed tum demùm, cùm corpori immissus fuerit: Ita mens auri fame laborans, satiari nequit, nisi illam ingressum fuerit; Hoc autem cùm fieri nequeat, ideò perennis manet illa ac insatiabilis fames. *Non enim magis insaniat qui corpus vento, quàm qui putet spiritum rationalem posse corporalibus satiari; & non eo solo qui replet in bonis desiderium* (Psal.102.5.)*id est Deo*, inquit *Bernardus* de dilig. Deo,cap.2. Adeò ut avarus aliàs omnium indigentissimus, nullius rei majorem habeat abundantiam, & quidem infinitam, quàm famis & cupiditatis opum. Has enim expetit propter se-ipsas; unde Paulus, *Qui volunt diteſcere*, 1.Tim.6.9. non propter commoda aut delicias præsentis vitæ; aliàs enim ista nactus acquiesceret: sed cùm propter se illas expetat,ideò nec illis utitur, nec maximis etiam contentus est. Unde meritò *cœcus amor* dictus est.

Consect. Pœna igitur ingens, si quando Deus hominem avaritiâ plectit. Diriſſima pœna,fame vel siti torqueri; Dirior,avaritiâ: Illa enim sedari cibo fameque potest: Hæc nunquam,immò,quò magis curatur,eò amplius exasperatur.

Usus. Tractanda igitur avaritia sicut gangræna aut alius serpens morbus; cui omnibus modis prospicitur velut repagulis obductis, ne extendatur, aliâs totum hominem occupaturus & enecturus: Ita,&c. Coherceatur *precibus*. Oremus cum Davide: *Flecte animum meum ad statuta tua,neq; sinas deflecti ad quæstum.* Psal.119.36. αὐταρκείας studio.Heb. 13.5.providentiæ & bonitatis divinæ seriâ ac fideli consideratione; Mat. 6. vanitatis divitiarum intuitu,&c.

HOMILIA VII.

in ℣.10.b.& 11.

Qui amat ullam multitudinem non (ſatiatur) proventu: etiam hoc vanitas eſt. Quum multum eſt bonum iſtud, multi ſunt qui comedunt ipſum: quid ergo commodi domino eius advenit prater aſpectum oculorum ipſius?

Alterum argumentum vituperij avaritiæ petitum eſt, ab ejus *inutilitate*, ℣.10.b.& 11.

Hujus argumenti,

Primò *Propoſitio:*

Deinde *Confirmatio ſpectanda.*

I. *Qui amat copiam ſeu multitudinem, non (ſatiatur) proventu,* Vel *eſt ſine fructu, proventu.*

Videtur Salomonem loqui de alijs opum generibus, cùm prius de argento ſeu pecuniâ dixiſſet, vid. de ædificijs, fundis & agris, cujuſmodi avari ſolent cumulare ac conjungere, ut eſt Eſai. 5.8 eorumque copiam amare: quanquam ad omnem divitiarum copiam trahi poſſint verba. Ait autem avarum ex copiâ tali nullum percipere fructum, aut proventum. Similitudo eſt, ab agris ſterilibus & incultis, qui nihil ferunt fructuum, eoque inutiles ſunt poſſeſſori ſuo, utut ingentem eorum habeat copiam: Aut à pecuniis in fœnus non datis, aut ad mercaturam non adhibitis, ſed aſſervatis, unde nihil lucri redit ad Dominum. Unde ſubdit, *Etiam hoc Vanitas.*

II. Sed audiamus *rationes* Salomonis; Neque enim ſine ſale affirmandum eſt, Divitias eſſe inutiles. Illarum duæ ſunt:

A. *Priorem* indigerat Sapiens quum ait, Qui *amat copiam*, h.e. divitias

divitias: Quod quis impensè amat, id omnibus modis retinere & conservare sibi studet. Talis divitiarum amor incessit avaros; *ardens ac furens instar concupiscentiæ carnis*, ut ait, *Ambros.* Amant autem divitias propter se ipsas, non propter commoda vitæ quæ ab illis haberi possunt: Ex hoc insano amore est, quod expendere & spargere illas nolunt, sed intactas servare: Unde ipsis inutiles & infructuosæ evadunt. Non ergò simpliciter divitias ut inutiles culpat Salomon; sed avaritiam, quæ illis uti prohibet.

DOCTRINA.

Avaritia igitur reddit opes inutiles; ipsa inutilissima. Avarus enim divitijs uti veretur, ne immiuuantur. Nihil ergò ipsi prosunt, nullum habet ex ijs emolumentum, nisi fortè quòd oculos eorum aspectu, pascat. Perinde ut illi Luc. 14. 18, 19. aspectûs saltem meminerunt: *Agrum emi, exibo eum inspecturus, &c.* At

Quid juvat aspectus si non conceditur usus,
Quid mihi divitiæ quarum si dempseris usum,
Quamvis largus opum semper egemus ero. Aul. Gellius.

Ut cibus vel in penu reconditus, vel oculis saltem visus non nutrit vel reficit: Ita nec opes aliquid commodi aut voluptatis etiam afferunt non usurpatæ. Ut semina horreis recondita nullum ferunt fructum, nisi terræ mandentur, & dispergantur: Sic nec divitiæ arcis inclusæ, nisi expendantur in proprium & aliorum cumprimis egentium commodum. Sterilescunt igitur divitiæ tùm alijs, tùm suo ipsimet possessori. Quam ob causam quoque *Idololatriæ* assimilatur avaritia. Quemadmodum enim Idololatræ idola sua templis inclusa venerantur, neque tamen ijs appropinquare aut ea contingere audeant, ob magnam reverentiam qua ea prosequantur: sic avari pecuniam habent in tantâ veneratione, ut arcæ quidem inclusam servent, contingere tamen nonaudeant, sed velut rem sacrâ illibatam ad posteros transmittant. Miseros homines, qui eo quo alij ad lucrum tam turpiter postea abusuri sunt, ad necessitatem & honestatem uti non audeant! Et quemadmodum idololatræ è templis suis idola transportari nequaquam ferunt, sic avaris nihil gravius potest accidere, quàm si pecunia ex arcâ eximenda, cujus tanquam non ad usum, sed implendas tantùm arcas factę condi semper sunt, nunquam promi,

)(*Vtiles* contrà sunt opes, si expendantur, & quidem in decentes ac legitimos usus: de quibus Conc.6.in cap.2.Neque enim in possessione bonorum, sed recto eorum usu, divitum consistit felicitas, quæ tantopere à mundo commendatur:

Sunt enim instrumenta piorum, ad exercendas omnis generis virtutes conducentia, quæ ad Dei honorem & proximi charitatem vergunt: *Bona est sapientia (pietas) cum possessione*, ait Ecclesiastes noster infra cap.7.11.Equidem pietas per se ipsam est bona, nec tamen illa bonitatem suam erga alios declarare sine divitijs commodè valet. Ita enim absque hoc medio *Abraham* non ita hospitalis, *Job* non ita misericors & beneficus, *Salomon* non ita magnificus in Templi structurâ, *Constantinus M. Theodosius, Carolus M.* in propagando Dei cultu & Christianâ fide, *Joseph* non ita liberalis erga fratres, *Tabitha, Cornelius* alijque non ita benigni erga pauperes esse potuissent.

Hic ergò observandum, Divitias ipsas non facere bonos, aut virtutes tales omnibus ingenerare, quibus illæ obtingunt (contrarium enim docet experientia); sed medium duntaxat esse, quo qui virtutibus prædictis aliâs præditi sunt, illas tantò melius exercere possint.

Sim. Penna bona, organum est benè scribendi; non tamen illa bonum scriptorem efficit: sed si scriptor aliàs bonus fuerit, elegantem scripturam illâ exarabit, secus non. Utut quis musicalia instrumenta sine numero habeat, non tamen Musicus erit, nisi sciat illis convenienter uti: Ita virtutes Christianæ prærequiruntur in homine, ut divitijs rectè utatur, non easdem instillant.

Usus. Frivolum igitur est commendari à divitijs, quòd utiles sint: illæ, nisi constet, pietate & virtutibus pollere qui eas habet, ut rectè illis uti norit. Hinc scitè Sapiens, *Corona sapientum sunt divitiæ eorum, stultitia stultorum stultia manet.* Prov.14.24. Ut enim pijs exercendarum virtutum media sunt divitiæ; sic stultis & impijs, exercendæ stultitiæ & impietatis nervi sunt ac stimuli. De stulto, ait idem Sapiens, Prov.17.28. *quòd pro sapiente æstimetur, quandiu tacuerit*; innuens stultitiam ejus mox apparituram, si loqueretur: Ita certè pauperes multi pro pijs habentur, quandiu illo sunt statu; quòd si divitiæ illis obtingerent, tùm certè se proderet multorum nequitia, fastus, luxus, vindicta, insultatio, petulantia, &c. Sic ergò divitiæ qui boni, pij, sapientes sint, declarant, non faciunt: & contrà.

Ελεγ-

Ελεγξις. *Papistæ* divitiarum utilitatem nimis extollunt, ut dicant conducere eas ad impetrandam remissionem peccatorum, ex Dan. 4. 24. emptionem regni cœlorum, Luc. 16. 9. nempe si erogentur non modò in verè pauperes per eleemosynas; sed in pigros monachos, ad redimendas vigilias, Indulgentias Papæ, si legentur cœnobijs, &c. Sed enim isti homines sibi non constant in suâ doctrinâ. Modò enim paupertatem extollunt, & perfectionem hominis in eâ constituunt, ut defendant paupertatis voluntariæ votum quod faciunt Mendicantes, atque huc trahunt, acta Christi cum Juvene opulento. Matth. 19. Modò divitias extollunt, atque ex illis scalas fabricant, quibus liceat in cœlum conscendere. Hoc si verum sit, væ pauperibus quibus divitiæ non suppetunt, his enim non licebit in cœlum meare: sin illud, væ divitibus, qui divitias suas retinent, nec omnes illas profundunt in Monachos præsertim mendicantes. At quæ dementia, è terra velle eruere clavem, quâ sibi cœlum aperiat homo. Clavis cœlum aperiens, de cœlo nobis subvenire debet; aliunde haberi nequit: sicuti claves civitatis alicujus dare nemo alius potest; nisi qui in ipsâ civitate præsunt. Clavis ista Dominus noster Jesus Christus est, simulque ostium, Joh. 10. 9. *Crux Christi clavis paradisi.* Is nobis à Deo cœlitus datus, *factus nobis sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio.* 1. Cor. 1. 30. Non id præstant pecuniæ. Esai 55. 2. nimis totius mundi opes, si in unum congeras, exiles sunt, ad cœlestis regni gazas emendas. Si pro margaritis preciosis stercus mercatori offerres, insanire te diceret: At quid aurum & opes nisi terra, immò Judice Paulo *stercus*, Phil. 3. 8. An ergò putas hâc te mercatione cœlum acquisiturum. Nec id præstant eleemosynæ, aliaque opera bona. Qua de re alias.

B. *Altera* ratio, quæ inutiles avaro divitias esse probat, versu 11. habetur. *Quum multum est bonum istud, multi sunt qui comedunt ipsum: quid ergò commodi Domino advenit præter aspectum.* Atque exceptionem continet prioris rationis, aut si mavis confirmationem: Duplex enim Avarorum genus, *Unum*, qui opes suas servant intactas: *Alterum*, qui urgente necessitate ad usus œconomicos eas expendere coguntur: Utrisque inutiles esse divitias asserit Salomon. Priori quidem generi ideò, qui illis non utuntur, ideò non inutiles sunt, de quibus hactenus. De posteriori genere hoc agit versu; cujus sensus est: si avarus spargat fortè pecunias suas, coactum id facere, ut ita ampliam

habeat familiam, ob agrorum & fundorum copiam qui colendi sint: tum etiam pecorum, quorum habenda sit cura solicita: unde necessariò sumptus facere cogatur in servos & domesticos: Hos ergò esse qui maximam proventuum partem absumant, minimam ad Dominum redire, qui plus quàm uni homini sufficiat absumere non possit: Eoque nihil è copiâ suâ habere emolumenti, quàm oculorum aspectum, eundemque amarum, dum quæ nactus est, videre cogatur brevî ab alijs absumi: aut saltem inanem & vanum, si quæ residua manent oculis tueatur, minus in usus suos convertens.

Accedit his, quod qui divitijs abundant, quia plerumque honorum sunt avidissimi, magnos sumptus facere cogantur, ad dignitatem quam aucupantur assequendam & retinendam; ut sic reditus expensis æquentur, aut sæpè sint inferiores. *Cadavera lupi, musca mel, prædam non hominem sequitur turba.* Seneca. *Ubi cadaver, ibi aquilæ.* Aut ergò in contemptu ipsis vivendum, aut erogandum: quod dum faciunt, valet illud:

Sic vos non vobis nidificatis aves, &c.

Testis hujus rei ipse Ecclesiastes, per experientiam. Ut enim regum ditissimus memoratur: Ita uspiam literis proditum est, tantas expensas in regiæ aulæ administrationem ullum unquam regem fecisse, quales ipsum erogasse memoratur. 1. Reg. 4. Sic Patriarchæ abundabant pecoribus & jumentis, sed & servos & ancillas habebant magno numero: *Abraham* 318. vernas in militiam eduxit ad Lothum redimendum, Genes. 14. 14. *Jacobi* domestici duarum erant acierum instar: cui reduci à Mesopotamiâ frater Esau 400. servis in occursum processit. Genes. 32. qui proventus utcunque magnos absumebant, ut tandem Jacob fame pressus ex Ægypto commeatum petere coactus fuerit. Sic *Jobi* magnæ erant opes, sed & famulitium multum, Job. 1. 3. Simile de *Nabale* legitur, 1. Sam. 25. Ingredere principum aulas, & vividum habebis hujus rei exemplum: quantillâ enim parte redituum amplissimorum fruitur princeps, cùm plus cibi sumere nequeat, quàm quod uni homini sufficiat? reliquum omne in aulicos omnis generis ministros, apparitores, lixas item coquos & calones confertur, qui principe ipso sæpè suavius delicatiusque victitant. Immò tanti reditus sæpè non sufficiunt. Benè *Horatius* libr. 1. Sat. 1.

——— quid habet pulcri constructus acervus
Milia frumenti tua triverit area centum:
Non tuus hinc capies, venter plus quàm oculus: ut si Reticu-

Reticulum panis, venales inter onusto
Forte vehas humero: nihilo plus accipias quàm
Qui nil portarit.

Manet igitur copiæ nullus alius usus quàm aspectus *oculorum*; qui quidem si divites minùs avaros respicias, inanis est ac verè inutilis. Quid enim sive ad animi sive corporis emolumentum faciat divitias aspexisse? Aut quæ differentia inter pauperem alienas divitias aspicientem, & divitem suas? Stolida vox.

——— ——— mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Si divites avaros, non vanus modò est iste aspectus, sed injucundus, & gravis planè. Miserè enim ipsos torquet, dum visas opes quas retinere mallent, expendere coguntur: hinc enim est, quod victum domesticis suis invideant, tristique & torvo vultu eos vescentes aspiciant.

DOCTRINA.

De sanctâ Avaritiâ.

Sanctam avaritiam voco, quâ sancti pari li amore, studio & cultu erga Deum feruntur, quo avari erga Mammona: sint igitur Avari hactenus nobis exemplar, unde discamus amorem & pietatem erga Deum exercere: quemadmodum & Servator proposito œconomi infidelis exemplo, beneficentiam exercendam esse docuit; sic ut quod ille malè egit, nos benè agere discamus.

a. Aurum vix somnum cultori suo indulget & requiem, vigilantis autem totam mentem & cogitationes occupat: Ita perpetua Dei recordatione ferri nos oportet, & meminisse ejus in nos bonitatis. *Ubi thesaurus ibi & cor.* Matth. 6. 21.

b. Avaritia ad parsimoniam adigit: Ita amor Dei temperantiam ac vitæ sobrietatem in nobis excitet, quidem ut cum *Paulo* assuescamus esurire, si ita ferat Dei gloria, & nostræ preces id flagitent, Philip. 4. 11, 12, 13.

c. Avarus per mare per ignes currit auri causâ, nihilque periculorum aut molestiarum refugit: Ita & nos parati simus ob Dei amorem & gloriam ac veritatis Evangelij confessionem exilia, persecutiones mortes obire.

d. Avarus usuris inhiat è pecunijs in fœnus elocatis: Ita nos beneficentia & amore in proximum propter amorem Dei præstitum remunerationem æternam sectemur, Heb.11.26.Luc.16.9.

e. Avarus indies plus auri coacervare studet: Ita nos thesauros in cœlis colligere convenit bonorum operum, indiesque fide, charitate ac spe ditiores & perfectiores evadere.

f. Avarus à bonis suis manus abstinet, tanquam à rebus sacris: Sic & nos abstineamus à Deo peccatis offendendo, & sceleratis manibus attingendo.

g. Avarus aurum & opes diligenter in arcis reponit, conservatque, metuitque ne ullo pacto ijs fraudetur: Ita & nos studeamus Deum solicitè cordibus nostris per fidem preces asservare, salutem nostram in timore operari, depositumque hoc custodire. Phil.2.12.2.Tim.1.12.&c.

h. Avarus plus diligit opes suas quàm Deum, atque in bivio constitutus mavult Christum deserere cum Juvene opulento, quàm opes Matth.19. quàm porcos, cum Gadarenis Matth.8. Nos contra plus Deum quàm opes caducas diligamus, ut hæc potiùs cuncta deseramus, quàm à Deo & fide Christi deficiamus, Luc.14.26.Matth.16.25.

Discrimen est ingens quod usum fructumque attinet, utriusque avaritiæ bonorum insectatorum, & asservatorum. De bonis terrenis hunc usum habere divites seu avaros docuit Sapiens, quod oculis illa aspiciant; quem tamen oculorum aspectum inanem esse ac vanum docuit. Certè otiosus est & inefficax. At aspectus ejus boni, quod pij insectantur, Dei sc. Optimi Maximi, summa erit (quæ nunc incomprehensibilis) voluptas ac felicitas: quia per aspectum illum Dei, communione ejus fruemur, illi uniemur, atque in ejus gloriam pro capacitate nostrâ transformabimur. Psalm.16.11. & 36.10.2.Cor.3.Phil.3.1.Joh.3. non instauratâ modò in nobis Dei imagine in eum statum quo Adam eam accepit, sed amplificatâ & perfectâ.

HOMILIA VIII.

TEXTVS. ℣.12.13.

Dulcis est somnus illius qui servit, sive parum,

sive

sive multum comederit: saturitas autem ipsius divitis non permittit ei ut dormiat. Est malum afferens ægritudinem quod vidi sub sole: divitiæ quæ asservantur domino suo in malum ipsius.

TErtium argumentum est, à *molestiâ divitiarum*, quam illæ creant avaris, vers. 12.

Dulcis est somnus ejus, qui servit (operanti) sive parum sive multum comederit: saturitas autem ipsius divitis non permittit ipsi ut dormiat.

Tractat hoc argumentum Salomon per oppositionem *Divitis* avari, cum *paupere* operario: ostenditque avaros eam felicitatem quam in divitijs congerendis quærunt, non invenire, sed potiùs contrarium: Pauperes verò ac servos suo illo statu feliciores ipsis esse, & felicitate opulentis illis negatâ, suaviter perfrui. Vulgò persuasum est, in id conferre divitias, ut curas & solicitudinem victûs & sustentandæ familiæ minuant, laborandi necessitatem demant, in otio & tranquillitate vitam præsentem vivere concedant; Breviter vitam beatam ac exoptabilem reddant: sed enim contrarium plane sequi docet Salomon. Ostendit enim divitias homini reddere vitam planè molestissimam, ac gravissimam, ideò, quia ne quidèm dormire pacatè sinant, sed somnum auferant: Quum è contrà pauper aliquis operarius ac servus, suavissimè somnum capere valeat.

PROPOSITIO. Necesse est sanè, ut res sit omninò pernicioſa quæ molestam adeò reddit vitam hanc, ut leniter indormire non liceat.

Somni laudes.

Si quid enim uspiam suave ac utile est homini mortali, certè *somnus* est, ut non immeritò à Sapiente nostro hoc epitheto *suavis* insignitus sit, quod apud Poëtas quoque usitatissimum. Confert enim *corpori*: digerendis cibis, restaurandis viribus, leniendis ægritudinibus ac doloribus; Unde *Sicyonij* pingebant somnum Leones domantem: ideò, quia nullus tam sævus dolor, qui non sopiatur somno. (teste *Pausania*) Atque à *Ter-*

tullianus, inter alia, *Recreator corporum* dicitur: l. de anima cap. 43. Confert *anima*, minuendis curis, quæ vigilantes exercent atque exhauriunt. Unde quum Ethnici res illas è quibus commodum aliquod captabant, inter Numina retulerint, etiam somnus inter Deos recensitus: Hinc Ovidius lib. 2. Metam.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministerijs mulces, reparasq; labori.

Nec minus venustè Cicero, l. 2. de Divinat. *Perfugium videtur omnium laborum & sollicitudinum esse somnus.*

Assumptio. Atqui *abundantia divitiarum seu saturitas, somno tanto bono spoliat divites ac avaros*, ut dormire suaviter nequeant: idque dispares ob causas, prout dispariter divites avari sunt affecti:

a. Quidam enim *sordidi* sunt, qui divitijs etiam in proprias necessitates uti nolunt, sed toti sunt in illis asservandis ac augendis. His certè cura & solicitudo illa somnum frangit, ac prohibet. Nunc enim malè eos afficit, si pecuniæ postulentur, atque expendendum est aliquid: nunc lucri aut quæstus meditatio; nunc metus perpetuus amittendi; nunc lites forenses, quibus de opibus concertatur; nunc rationum seu exactiones seu redditiones; aliaque id generis negocia, quibus avari occupantur: nunc tempestates minùs avaritiæ convenientes angunt, prosperas enim exoptat solicitè agricola proventui amplo inhians, adversas annonæ flagellator nefarius, quas ingravescere indies cupit: adde quod invidia non paucos vexet, cessisse alijs, quod sibi optassent, &c. Taceo quantis non modò curis & vigilijs, sed tormentis excarnificentur avari, si quam bonorum jacturam passi sunt: ut non rarò in seipsos immanes eum sibi somnum accersant, quo nox est perpetua una dormienda. Quomodo (ait Ambros. Psal. 1.) *Potest dormire, qui solicitam auri exercet custodiam? qui damna formidat? qui lucra cogitat? qui usuras computat? qui hypothecas numerat?* Ob ejusmodi, inquam curas, opulentia avaros molliter dormire non permittit: neque enim

——— membris dat cura quietem:
——— somnos abrumpit cura salubres. Virg.

Ratio physica: Quia in cerebro spiritus vitales agitantur, qui calorem concoquentem à ventriculo prohibent; à quo à frigiditate cerebri condensato, sopor oboriri deberet. Refert *Ænaas Sylvius*, de Sigismundo Impe-

Imperatore, quòd cùm aliquando ex Hungaria 40000. aureorum ei allata essent, eaque læto animo accepisset, crebrioribus vigilijs ita fuerit divexatus, ut convocatis familiaribus & domesticis dixerit: *Videte carnifices meos* (loculos aurum continentes monstrans) *qui mihi somnum eripiunt. Accipite, & inter vos dividite, ut tranquillè possim dormire.* Perinde *Anacreon* Lyricus, cùm auri talentum à Polycrate accepisset, reddidit illi dicens: *Odi munus quodcunq; vigilare cogit.*

b. Quidam verò divitum sunt *luxuriosi*, qui otio & luxu vitam transigunt, corpusque ingluvie & ebrietate distendunt, unde sibi noctes insomnes adducunt. Sicuti & *Syrac.* monet, *Laboriosa vigilia & cholera terminaq; adsunt viro insaturabili, &c.* cap. 31. 23. Et hunc quidem sensum præter priorem intendisse quoque Salomonem ex antitheti colligunt Interpretes: quia scil. pauperem multum vel parum comedentem præmiserit; nunc addat, At saturitas, sc. cibi vel potûs, divitis non finit eum dormire.

Dicit ergò *Operanti*, quo hominem servilis conditionis intelligit, mercenarium, servum, aut alium qui labore panem venatur: Huic dicit somnum esse dulcem, ideò quia labor & ex eo prodiens lassitudo somnum provocat. Nam

—— *Fessos sopor irrigat artus.* Virg. 3. Æn.

Porrò somnus laborantem pariter subit; *sive multum comederit*, h.e. largius solito, quia propter exercitationem corporis & fames intensior, & stomachus valentior ad cibum digerendum, unde nulla ei cruditas oritur, quæ somnum impediat: *sive parum comederit*; quia victus etiam modicus non oberit, quò minus suaviter indormiat, somnum aliàs provocante labore & lassitudine.

)(Contrà de divite ait, *quòd saturitas ei non permittat dormire:* Benè quidem divitias cum satietate conjunxit, quia illæ solent esse gulositatis administræ, atq; otij suasores & allectatrices: Causa verò naturalis subest, cur gulosi somnum capere nequeant: Quia scil. ventriculus tantam cibi & potûs copiam concoquere nequit, cùm tales homines totos simul dies otientur, intereaque splendidè & immodicè epulentur: inde cruditas oritur stomachi atque apepsia, unde insomnium ac vigiliæ. Accedunt morbi, qui varij ex ebrietate & gulositate ac ciborum varietate oriuntur, atque pervigiles faciunt noctes; sicque suavissimâ vitæ oblectatione, h.e. somno tranquillo ac molli divites hujusmodi epulones fraudantur.

DOCTRINA.

Mira hinc *Dei* eluceſcit *ſapientia*: *Pauperi* Deus laborem imponit, victumque tenuem modicumque admetitur; ſuavem interim ac pacatum largitur ſomnum: *Divitem* otiari ac deliciari epulis ac vino ad nauſeam permittit; negat interim ſomnum, graveſque ei facit noctes. Uterque facie pallet ac maciem oſtendit, pauper ex fame & inopiâ, ille ex ebrietate & ingluvie: ſed utri melius, pauperi an diviti hactenus? Nempe illi judicio Regis ſapientiſſimi. Hujus divinæ diſpenſationis *rationes* eſſe poſſunt iſtæ:

1. Ut oſtendat Deus quàm ſibi placeat labor honeſtus ac aſſiduus, utpote quem tantâ ſuaviſſimi ſomni voluptate remuneretur: contrà quàm ſibi otium cum luxu & crapulâ diſpliceat, ut quam inquietudine, ac inſomnio, plectat.

2. Ut oſtendat paupertatem laborioſam, divitijs delicioſis ac otioſis longè præſtare: quum illi voluptas verius accidat, ex ſomno, cibo icem & potu, quem licet tenuem pauperes aviditate maximâ capiunt: Quum contrà qui quotidianis diffluunt delicijs abundantia, cibi faſtidiũ, crapula vigilias pariant. *Anima enim ſaturâ calcat favum*, Prov. 27. 7.

3. Ut oſtendat quanti facienda ſit ſobrietas ac Temperantia, quippe quæ valetudinem firmam, ſomnumque ſuavem reddat: cùm è contrà Intemperantia cum otio conjuncta vigilias & morbos varios, nec rarò mortem inopinam gignat. Us. Cùm igitur tantam moleſtiam pariant divitiæ, magna eſt ſtoliditas, felicitatis ſummam in illis locare; atque omninò infelices ſunt, qui tantoperè illis corradendis inſudant: Ut vel hoc nomine Avaritia cunctis odioſa eſſe debeat. Felices ruſtici, pauperes, operarij, ſuâ ſorte & demenſo contenti: utpote quibus ea voluptas aliud agentibus ex Dei benedictione obtingit, quam divites avari non aſſequuntur. Beatiſſimi omnium qui pietatem cum labore, laborem cum temperantiâ, hanc cum αὐταρκείᾳ conjunxerit.

Quartum argumentum, à *divitiarum noxa*, verſ. 13. *Eſt malum afferens ægritudinem, (ægrum) quod vidi ſub Sole: Divitiæ quæ aſſervantur Domino ſuo in malum ipſius.* Exponitur illud per ſimilitudinem, à morbis nocivis, periculoſis ſeu lethalibus petitam: Ut enim illi

illi exitium & mortem afferant: Ita inſit Salomon, *Eſt malum agrum*, ſeu *morbidum*, id eſt morbus malus ac exitialis, Quid? *Divitiæ conſervatæ*, quia ſc. *Dominis ſeu poſſeſſoribus ſuis in malum aut* perniciem ſervantur: Cujuſmodi hoc ſit *malum* variant interpretes. Quidam de varijs periculis exponunt, quibus divites objecti ſint, propter fures, latrones, homines alios invidos ac doloſos, qui & ipſis & opibus ipſorum inſidiantur, ut Nabotho accidit, 1. Reg. 21. alij de ægritudine animi, quam creent avaris divitiæ, &c. Sed videtur Pauli expoſitio hîc accommodatiſſima, 1. Tim. 6. 10. *Avaritia radix omnium malorum*: q. d. Non modò ipſa malum, ſed & malorum omnium radix: Mala autem intelligit peccata, quæ verè ſunt animæ morbi & ægritudines, quas mors tandem non corporis modò, ſed animæ, h. e. æterna damnatio ſubſequitur.

DOCTRINA.

Avaritia nocentiſſima & exitialis.

A. Quia ad conquirendas opes, ad quævis crimina & ſcelera patranda adigit avarum. Quod inductione ſingulorum decem præceptorum probari poſſet.

B. Quia divitiæ acquiſitæ occaſionem ac illicium dant ad vitia quævis, ſine quibus illis litare minimè liceret: uti ſunt luxus, libido, ebrietas, ſuperbia, vindicta, injuſtitia, corruptio Judicum, oppreſſio pauperum, alea, ac multiplex proximi circumventio &c. Denique ad avaritiam maximè, quæ ſuâ naturâ inexplebilis eſt, ſtimulum addit. Summa. Quicquid mali in homine eſt, pecuniæ media & anſas exhibent, illud exequendi.

C. Quia denique à bono omni avocat ac impedit. Contraria eſt ſincero cultui ac Pietatis ſeu religionis exercitio, Matth. 6. 24. Auditionem verbi Dei reddit infructuoſam, Matt. 13. 22. Subvertit preces. Marc. 10. 14. Inimica eſt beneficentiæ erga egenos. Ex. Nabal 1. Sam. 25. Opulentus Juvenis, Matth. 19. vigilantiæ Chriſtianæ, Luc. 21. 34.

D. Unde ſequitur, Quum avaritia ſcelerum omnium radix ac mater; Virtutum omnium ac ſinceræ pietatis ac cultûs divini hoſtis ſit ac expultrix; reos facere avaros tùm *corporalium pœnarum*: quæ multiplices, tùm *æterna damnationis* ac exitij 1. Tim. 6. 9. Prov. 21. 6. Matt. 16. 26.

Uſus. Multum igitur aberrant divites, ſi ſe propter divitias ſuas

beatos existiment: atque judicium valdè præposterum ac insanum est, si tales felicitatis omnis apicem attigisse existimantur, quod aliàs vulgi judicium: Er hat was er wil/ Er hat gnug/ geht jhm wol/ Er ist ein außgemachter Herr/ fehlt jhm nichts mehr. Equidem verum est, Divitias domum esse Dei; eas tamen Deus dispari animo & scopo mortalibus largitur: Quæ enim pijs beneficio sunt, ea impijs pœnæ initium esse possunt: ideò observandum, an dextrâ an lævâ manu divitias porrigat. Quibusdam enim indulget divitias pari ratione, quâ Israelitis coturnices, quibus præfocati. *Sicut* refractario populo Regem dedit, nempe in irâ suâ, Hos.13.11. *Sicut* Christus Judæ marsupium concredit; Unde avaritia ejus lacessita, exitium ei attulit. *Sicut* bovibus opimiora pascua committuntur, nempe ut saginati, ad lanienam ducantur: Jer.12.1.&c. Ingens hûc discrimen, Bonis & pijs Deus adornat *mensam opiparam*, in testimonium suæ erga ipsos bonitatis: Ps.23.5. Impijs in *laqueum*: Ps.69.22. Præceps igitur judicium, si quis ex divitijs concludere velit, vel de hominis felicitate, vel Dei erga hominem gratiâ ac amore, cùm omnia contraria esse possint. Si bos ratione præditus esset, nunquid suspicaretur, quod ipse lautis pascuis otiosus foveatur, cùm alia animantia utiliora rigidiùs & parciùs tractentur, id fieri ideò, ut tandem saginatus mactetur, adeoque nec amoris Domini esse indicium, nec se feliciorem ob id esse. Ita certè si mentis benè compotes essent divites avari, dum vident alios pientiores se, vix panem habere: nunquid formidare deberent, divitias ipsis in pœnam accidisse? Nempe quia ingrati, luxurioſi, profani, injusti, &c. accrescere finit Deus ipsis divitias, ut crescentibus simul ipsorum sceleribus & impietate, tantò justius ac atrocius sibi judicium accersant. Rom.2.4,5.

Miser ille *Haman* putabat, quòd à Reginâ Esther solus ad regium convivium invitatus esset, tantò se majore esse in precio: Atqui illa ideò id faciebat, ut occasionem haberet ampliorem ipsum coràm Rege accusandi: Ita miseri Mammonistæ chariores se Deo quandoque existimant, quòd tantâ præ alijs abundantiâ opum polleant; cùm non alio fine ipsis accidant, quàm ut tantò gravior ipsorum sit accusatio & damnatio in illo judicio, ni resipiscant, Esth.5. Ut Jaël *Sisseræ* lac & hospitium concessit ideò, ut securè dormituro, necem inferre posset: Ita Deus impijs divitias indulget, ut securiùs in illis pro more deliciantes, suâ culpâ pereant. Jud.4.

Atque

Atque hoc est, cujus hîc Salomon nos vult meminisse; *Lethiferum esse malum, divitias asservatas in perniciem sui possessoris:* quibus subindicat, divitias etsi *bona* nominentur, non tamen omnibus esse *bona*, sed pluribus *mala pessima* & exitialia. Accuratè igitur divitibus observandum, An cum bonis illis fugacibus, simul ipsis summum Bonum, h. e. Deus se communicarit; An quod maximè appetendum, gratioso se Deus oculo respiciat? &c. Id enim si non est, miserrimi sunt in suis divitijs; dumque bona se asservare vel sibi vel suis existimant, reapse mala & damna custodiunt, maledictionem Dei & exitium: Dumque studiosè providentiam, ne bonis illis suis à quoquam fraudentur, seipsos animabus suis earumque saluti miserrimè spoliant ac defraudant.

HOMILIA IX.

TEXTUS vs. 14, 15, 16, 17.

Aut pereunt divitiæ illæ in occupatione malâ; ita ut quem genuit filium, non habeat in manu sua quicquam. Quemadmodum prodiit ex utero matris suæ, nudus iterum abit ut venerat: & quicquam non reportat labore suo, quod deferat in manum suam: Quamobrem etiam hoc malum est afferens ægritudinem; omninò prout venit, ita abit: ecquid emolumenti est ei, quòd laboraverit vento: Etiamq; omnibus diebus suis in tenebris comederit; id est, indignatione

tione multa, & ægritudine ſua, & ferven-te irâ?

Vintum argumentum à *divitiarum inconſtantia.*

Pereunt divitiæ ipſæ: qualescunque & quantæcunque ſc.

DOCTRINA.

Divitiæ caducæ, inſtabiles, fugitivæ.

Ne fatiges te, ut diteſcas, à prudentia tua deſiſte: An facies ut involent oculi tui in ea, quæ non ſunt? nam omninò comparant ſibi alas, ut aquila avolat cœlum verſus, avolantia. Prov.23.4,5. Nec unquam perdendi, amittendique tempus emanet de quo ſuprà cap.3. Inter ſublunaria ac terrena nihil divitijs fugacius; quantò nimirum illæ ſunt à cœlo remotiores; utpote quæ è remotiſſimis terræ adytis eruuntur. Et quis quæſo divitum fuit unquam, ne Regibus quidem excluſis, cujus non perierint divitiæ? quâm multa tum in ſacris tum profanis litteris extant exempla hominum opulentiſſimorum, qui mirâ fortunæ converſione brevi ad incitas ſunt redacti? Pauca è multis. *Job*; Victi ab Adonibeſeko *Reges*, 70. Jud.1.7. *Jeconias, Cræſus, Belſarius, Henricus IV.* Imperator. Mille enim caſus ſunt, quibus momento cunctis opibus ſuis exuatur homo. Vid.Hom.in cap.3.Eccleſiaſt.

(1.) Amplificat *primò* divitiarum inſtabilitatem Salomon ab *incredibili animi triſtitiâ* ac cruciatu, in quam opulenti & avari incidunt, dum fortunarum jacturam patiuntur:

Text. *in occupatione mala:* Sic cap.1.13. cap.3.10. Poſſunt hæc verba ad ſtudia avari trahi, ut ſenſus ſit, opes dilabi avaro etiam tum cum eſt in illis corradendis per peſſima quæque media occupatiſſimus: à qua interpretatione experientia non abludit: Id enim ſæpè accidit avaris quod cani Æſopico, ut dum majoribus inhiant divitijs, ita ſeipſos implicent ac ſeducant, ut poſſeſſis antè minoribus ſimul exuantur; juxta Proverb. Wer zu viel wil/dem wird zu wenig. Sed non minus rectè illo quoque ſenſu accipiuntur: Peſſima enim illa occupatio, quâ de amiſſis fortunis torquentur, illisque inaniter reparandis ſatagunt avari-

vari-

vari. Dolor certè & mœror eos occupat inexplicabilis. Verè quidem supra dixit Salomon. *Affluentiam divitis ei non permittere ut dormiat*; sed multò plus id evenit, cùm illa disperierit. Ex. Nabal, Juvenis opulentus, Matth. 19. Ratio, quia Deus & Amor horum hominum periit, cui totâ erant mente defixi: quid igitur hinc nisi turbatio, dolor, furor, desperatio? Satius fuisset nihil ipsos unquam habuisse, quàm quòd ex locupletè fortunâ in paupertatem dejecti sunt. Hom. ult. in c. 4.

)(. *Piorum* tamen alia est ratio: quia enim divitijs corde minus adhærescunt, minore certè cum difficultate jacturam eorum ferunt: Quod quis non curat aut vilipendit, dum habet, minus angetur cùm perdiderit: Piorum gazæ in cœlis, hinc illis terrenarum contemptus. Gurgustium spernit, qui alibi splendidam habet basilicam. Ex. *Mose, Abraham, Job, Apostoli. Hebræi, &c.* Horum exemplo *simus ut non habentes*, 1. Cor. 7. v. 30. Ne *fidamus* divitijs incertis, lubricis, 1. Tim. 6. 17. Quæramus thesauros firmiores in cœlis: Matth. 6. 21.

(2.) Amplificat *secundò*, ab *inopiâ & egestate sobolis*: Text. *Et genuit filium, & non est in manu ejus quicquam.* q. d. Adeò quidem instabiles sunt divitiæ, ut quandoque vix de Patre in filium perveniant, sed sub ipsius Patris manibus diffluant, ut filio nulla supersit hæreditas. Ex. *Mephiboseth*, non modò regno, sed omnibus facultatibus privatus, 2. Sam. 16. 4. nec totum regnum Salomonis filio Rechabeamo cessit, (Conc. ult. in cap. 4.) *Alexandri M.* Imperium non filijs, quorum duos reliquerat, cessit; sed Duces inter se partiebantur. Aliàs vulgò dicitur, *de malè quæsitis non gaudet tertius hæres*, sed plus hîc dicit Salomon. Vide Hom. 11. in cap. 2. & hom. ult. in c. 4. Hoc tamen maximè de impiorum divitijs malè acquisitis capiendum est: piorum enim opes ritè partæ, utut ipsæ quoque tandem evanescant, hactenus tamen stabiliores, quod bono posterorum cedant, Prov. 13. 22.

Usus. Rursum ergò hîc avarorum stoliditas patescit. Quæras enim à multis, Cur avarius congerere divitias non desinant, cùm satjam habeant, ut sine ulteriore curâ vitam transigere possent? Respondebunt, ut liberis suis hæreditatem relinquant. Miseri! quasi primò penes ipsos staret, ut certò divitiæ posteris in manus deveniant; cùm contrarium & hîc testetur Sapiens, & cum eo experientia.

2. Posito, capiant filij hæreditates à parentibus; ast quia malis ar-

tibus parentes acquisivêre, annexa est illis Dei maledictio; adeoque suis liberis thesauros relinquunt non bonorum, ut appellantur, sed divinæ maledictionis, quæ nec emanet; juxta tenorem secundi præcepti.

3. Studium hoc & scopus iste, pestis est liberorum: qui enim amplas hæreditates sperant, artes & honestam omnem disciplinam refugiunt, atque à juventute turpi otio & luxuriæ se dedunt, minimè soliciti de pane lucrando. Hinc vitia quæque: Tandemque sensim exhaustis opibus, cum nihil lucrari possint, ad miseram stipem deveniunt, justo Dei judicio. Rectè Plutarch. *Qui filijs ditandis omnem curam impendunt, eorum autem mores negligunt, similes sunt ijs, qui magnam calceorum curam habent, & interim pedem ipsum parvi pendunt.* *Phocion* inclytus ille Athenienſium dux, cùm à Philippo Rege munera magna repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facilè careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficilè esset in angustiâ rerum, tantam tueri paternam gloriam; præclarè & heroicè respondit: *Si mei similes erunt, idem hic agellus eos alet; qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum alis augeri, luxuriam.*

(3.) Amplificat *tertiò* à *consideratione finis & mortis*, v. 15, 16. *Quemadmodum prodijt ex utero matris, nudus iterum abit, ut venerat, & quicquam non reportat de labore suo, &c.* q.d. si divitiæ vel in mortis articulo aliquid conferrent, aut secum in morte illas asportare posset homo, ut illis deinceps frueretur; mirum non esset, quòd tantis illas curis & laboribus acquirere nitatur: Sed enim contrarium planè evenit: Ut enim nudus in mundum natus est, nihilque prorsus in eum intulit; sic quoque nudus decessurus est ex mundo, nihil quicquam secum auferens, sed quæ habuit, hîc relinquens. Psal. 49. 7, &c. *Severus* Imp. in agone clamavit: *Omnia fui, & nihil mihi prodest!* Rursumque nec in mortis articulo quicquam conferunt: nullis enim largitionibus mors declinari potest: suntque adeò instar amicorum infidelium, qui adversâ fortunâ tonante amicos suos deserunt. Modò non iniqui fœneratores & pauperum sanguisugæ, plus tum mœroris quam solatij è gazis suis malè congestis experiri cogerentur; eosque conscientia scelerataæ avaritiæ ad Dei tribunal mox adeundum, maximo ipsorum cum horrore citaret. Hoc igitur amplius secum è mundo asportant, quàm intulerint, malam scilicet conscientiam, & reatum æterni supplicij. Con-

Consequentia. Rectè igitur Salomon in seqq. avarorum studium, ut vanissimum, ridiculum, immò insanum traducit, v.16.& 17. *Quamobrem etiam hoc malum est, afferens ægritudinem; omnino prout venit ita abit, ecquid emolumenti est ei, quod laboraverit ventoso? Etiamqué omnibus diebus suis in tenebris comederit, & indignatione multa, & ægritudine sua & ferventè ira.* q.d. Esto, non pereant avaro divitiæ dum vivit; pereunt tamen illi dum moritur, quia eas deserere cogitur: quod certè morienti illi insignè ægritudinem affert, mortemq; aliàs acerbam, miserrimam illi facit, magisque miseram. Annon igitur perinde est, atque *si in ventum laborasset*, qui fumos momento dispellit? aut ædificium interdiu factum, de nocte disjicit? Psal.39.7. Nunquid triste cogitatu, & miserandum planè, cunctis diebus vitæ suæ, *in tenebris*, (h.e. cum magnâ anxietate, solicitudine, inquietudine) *comedisse*; præterea-que multas *molestias ægritudines, animiq; perturbationes* ex *irâ ac indignatione*, si minus res ex voto successerunt, perpessum esse; cùm tamen cuncta planè in morte relinquenda sint ei, hinc que demigrandum sit ei Codro ipso pauperiori? Sic ut nec vivo nec mortuo ullam attulerint lætitiam, vel utilitatem. Fatuitatem istam & furorem avarorum, venustè Epigrammate derisit Ausonius.

Effigiem Rex Crœse tuam ditissime Regum
Vidit apud Manes Diogenes Cynicus.
Constitit ac procul solito majore cachynno,
Concussus dixit: Quid tibi divitiæ?
Nunc prosunt Regum Rex ô ditissime, cùm sis
Sicut ego solus, me quoque pauperior.

Eadem exprobrata diviti illi vetè stulto: Luc.12.16. *Cujus erunt quæ paraslí?* Nempe non tua manebunt. Hoc ipsum Constantinus Imperator eleganter aulico cuidam avaro inculcavit, referente *Eusèb.* in vitâ *Constant.* (Abbavius is fuisse creditur, Christianis iniquissimus) cuià se prehenso dixit: *Quousque tandem ô bone, hanc inexplebilem avaritiam cumulamus?* Deinde cum corporis humani perfectæ ætatis mensuram hastâ, quam manu tenebat humi circumscribens impressisset ita locutus: *Omnes vitæ divitias & totius orbis opes si domi haberes, tamen plus, hoc à me circumscripto angello non possidebis, si & illud fortè possederis.* Prodidit autem Eunapius in vit. Phil. in Sopatro in frusta concisum Abbavium, nec sepulcro illatum.

Usus alij. Considerationem istam de ortu & interitu hominis, ut scitè eam Salomon ad exprimendam avarorum stoliditatem transtulit: sic ad alios usus ab alijs accommodatur. Job quidem in *consolationem suam, ob jacturam divitiarum*, quam passus est. *Nudus exivi ex utero, nudus revertar illuc*, Job.1.20. q.d. nihil perdidi, quia nihil habui, quum nascerer. Hoc igitur argumento discamus divitias contemnere. Paulus verò ad *αὐτάρκειαν suadendam* transfert. *Pietas quæstus magnus cum animo suâ sorte contento: Nihil enim intulimus in mundum, vid. nec efferre quicquam possumus. Sed habendo alimenta, & quibus tegamur, hac nobis satis erunt.* 1.Tim.6.7. q.d. sufficit, quantum opus est pro hâc vitâ, quia ad aliam divitijs non opus. David ad *reprimendam invidiam. Ne timueris cum dives factus fuerit Vir, quum multiplicata fuerit gloria domus ejus; Nam cùm moriens, non accipiet quicquam, nec descendet post eum gloria ejus.* Psal.49.17,18. Alij ad *deplorandam humanæ naturæ miseriam*: Quòd cum alijs animantibus testas, cortices, coria, villos, pilos, setas, plumas, squammas & vellera dederit natura, unum hominem sine velamento nudum & inermem producat; quamobrem Plinius non dubitavit naturam hominis tristem novercam potiùs, quàm benignum patrem appellare. Durum tamen hoc nimis. Est enim homo ad Dei imaginem conditus, omnia ei subjecta, donatus animâ intellectuali seu ratione, quâ nuditas illa facilè suppletur, ut qui manuum beneficio multifarijs artibus sibi domos, calceos, vestes, tegumenta, arma & similia fabricare potest, quibus non modò superare sed & subjugare, ac in sua servitia bestias quasque cogere potest: Vide de his Georgij *Pictorij* Med. Tractat. de ruendâ sanit. Dialog. 8.

℣.18,19.

Ecce quod vidi ego, bonum pulcrum esse comedere ac bibere, & frui bono ex toto labore suo quo laborat sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dat ei ipse Deus; nam ea est pars ejus. Etiam cuicumque homini dedit ipse

ipse Deus divitias & facultates, & cui copiam fecit comedendi ex illis & percipiendi partem suam, ac lætandi de labore suo: hoc donum Dei est.

Verba hæc conveniunt cum ℣.24. &c. Vid. Hom. XI. in cap. 2. indigitat iterum in ijs, quodnam sit vitæ genus optimum, &c. Additur hîc in textu ℣.18. *Nam ea est pars ejus*: quæ verba probationem continent, sententiæ hujus ac institutionis à Salomone datæ: q. d. Er bringt doch sonsten nichts davon. Sic supra cap. 3, ℣.22. Vid. Hom. N. ult. in illud cap.

℣.20.

Quòd si non multum, recordabitur tamen dierum vitæ suæ: nam Deus ipse annuit lætitiæ animi ipsius.

Quod si non multum (sc. illud quod dederit Deus,) *recordabitur tamen, &c.* Vel *Non multum recordatur dierum vitæ suæ, quia Deus exaudit eum in lætitiâ cordis sui.* Sensus est, non multum solicitus est de præsente vitâ, futuroque rerum suorum statu, ut solent esse avari, sordidique, qui subinde Ethnicorum illud in ore habent, *Quid edemus, bibemus*, &c. Matth. 6. 25. quia curam istam Deo defert, in eoque acquiescit ac lætatur; contentus est pane quotidiano, honesto labore acquisito; fretus ac confisus Deum de futuro quoque prospecturum. Hæc verò securitas ac lætitia cordi ejus à Deo quoque conceditur, eique probatur, ut seqq. habent; quâ multas vitæ hujus curas & molestias, quibus alij destruentur, eludit ac discutit. 1. Thess. 5. 16, 17, 18.

O beatam istam securitatem, quâ homo in Deo totus recumbit & acquiescit, de futuris nihil solicitus, nisi quod felicem omnium eventum speret! Multum magnumque id posse: Dà nobis Domine hoc pacto in te acquiescere, tibi soli fidere, tibi cuncta nostra concredere: Ita pacati & lætabimur in secundis & adversis in vitâ & morte.

Gloria & Gratia Tibi Domine Jesu.

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT VI.

TEXTUS ℣s. 1--6.

Est malum quod vidi sub sole, idq; maximum super homines: Viro cui dederit Deus ipse divitias, facultatesq; & honorem, & cuius animus non destituatur ulla re qua delectetur, quum huic non facit copiam Deus ipse fruendi re illa, sed vir alienus fruitur illa: hoc vanitatem & aegritudinem pessimam esse. Si gignat quis centenos liberos, & annos multos vivat, quamvis multi sint dies annorum eius, si anima eius non satietur bono illo, adeoq; sepultura non sit ei; dico, meliorem esse eo abortivum. Nam in vanitate venit, & in tenebris ambulat, ac in tenebris nomen illius obtegitur. Hic etiam

solem

solem non vidit, neque expertus est; tolerabilius est huic quàm illi. Etiam si vivat bis mille annos, & bono non fruatur: nónne in locum eumdem hi omnes abeunt.

HOTUM hoc caput appendix est præcedentis cap. 5. atque ejus continet ἀναπλήρωσιν. Nam sub finem ejus dixerat Salomon, beatam in hoc ævo vitam subsistere in legitimo bonorum terrestrium usu, cum lætâ animi tranquillitate & sincero timore Dei, conjuncto: quem tamen vivendi modum à Deo homini probo obtingere, asseveravit. Nunc hoc cap. invectiva extat, quâ Sapiens sordidos exagitat, qui & præsentibus uti nesciunt, & plura tamen subinde expetunt, & acquirunt. Hujus mali videnda

I. *Descriptio.*
II. *Exaggeratio.*

DE PRIMO.

Descriptio est, ℣. 1. & 2. *Est malum quod vidi sub sole, &c.* Res huc redit: Quòd omnium rerum, quæ ad præsentis vitæ felicitatem faciunt, veluti divitiarum ac honorum, abundantia, sic ut cum ratione in his plura expetere vix possit, quandoque homini obtingant ex Dei munificentiâ; cui tamen earundem usus negetur: Ut sit adeò, tanquam si non haberet; adeoque miserrimus opum suarum servus ac custos non dominus; immò non habenti longè deterior, utpote quem nullarum rerum possessarum cura divexat, quæ divites acutùm torquet.

Junxit Salomon divitijs, *honores*: tum quia plerunque divites à vulgo suspici solent, *Dat census honores, &c.* tum quia nonnulli ideò opes aggerunt, ut per illas ad honores & existimationem emergant: quod

quod tum maximè fit, cùm in alios sunt blandi & liberales. Quemadmodum verò utrumque & divitiæ & honos inter Dei dona numerari debent, quod vel solius nostri Salomonis exemplo liquet ex 1.Reg.3. Ita contrà inter Dei pœnas, non exigua certè est, destitui facultate illis utendi ac fruendi ad præsentis vitæ necessitatem & decoram oblectationem: sic enim divitiæ in paupertatem, honores in ignominiam, utrumque in calamitosam spiritus afflictionem & consumptionem vertuntur; ut felicior sit qui neutrum est assecutus. Rectè enim *Cyrill.* lib. 3. Apol. moral. cap. 4. Illud, quo benè utimur, hoc demum habemus. Nam fossus humi census, non est hominis, sed telluris. Igitur cum ad usum opes proficiunt, tunc habentur. Usus autem usque ad finem sufficientiæ extendendus est. Quoniam si ultra quod satis est comedas, natura mox evomet, & si plus quàm requirit necessitas indueris, gravatus sustinere non potes. Quod ipsum in seqq. illustrat exemplo Israëlitarum, in quos ex æquo Mannæ victus distribuebatur. Jam *frequens* esse hoc malum ait *Salomon:* experientia suffragatur. Ait item, *miseriam esse magnam:* certè sordidi isti brutis sunt miseriores, quæ victu, quemcunque nascuntur, ad satietatem utuntur. De his fusius actum in explicatione cap. præcedentis.

Pœnam istam aggravat, quòd additur, *sed Vir extraneus comedet eas.* Etenim sæpissimè fit, ut à prædonibus ac militibus avaris congestæ opes surripiantur, qui prodigè consumunt, quæ tenacissimè ab avaro sunt servata. Sæpè bona ipsorum ad hæredes plaudentes pertingunt, qui nullam prorsus operam ad illa congerenda contulêre: Sæpè per connubia ad extraneos devolvuntur exclusis consanguineis. Accedunt morbi, qui & ipsi usum negant. Hâc de re perinde locuti sumus prolixius in superioribus hinc inde.

QUÆSTIO.

Quæ causa hujus pœnæ Dei? Videtur enim Deus sic miseris hominibus illudere, perindeque cum ipsis agere, ac si quis poma elegantia monstret infanti, quæ tamen dare recusat ad comedendum. Omninò sic habet. Causa autem est, Avaritiæ crimen, quod supra modum Deo displicet, quia Idolotatria est apostasia à Deo, ut nuper dictum: Coloss. 3. 5. Quia ergò in congerendis opibus variè delinquunt avari; quia item in retinendis illis duri sunt erga pauperes sordidi; hinc ista maledictio,

ut

ut congestis avariter uti nequeant: Quâ quidem in mulctâ Talionis legem observat Deus: Æquum enim est, ut qui alios non permittunt suis uti, nec ipsi partis malè uti norint. At Avari aliena ad se rapiunt; sordidi, quæ in alios elargiri deberent, retinent sibi: Congruum igitur est, hoc malo itidem ipsos castigari, ut quæ vel injustè alijs detraxerunt, vel injustè retinent, ad usus proprios transferre nequeant.

Usus. Ut agnoscamus Dei justitiam, qui ut nullum peccatum impunitum dimittit, sic nec avaritiam: Quanquam non hâc modò pœnâ, sed pluribus alijs eandem puniat; & æternos eidem cruciatus minetur. 1. Cor. 6. 40. Maximè deplorandum, quòd ad liberos redundet parentum iniquitas: quod in hoc negotio observare licet, dum sæpè liberi cum dolore & gemitu videre coguntur, extraneos parentum suorum bona occupare: quæ aliàs hæredibus naturalibus manent, si juste fuerunt acquisita. Prov. 13. 22.

Object. Atqui opes ejusmodi & honores *à Deo dari*, infit hîc *Salomon*, ob quæ tamen eosdem postea castigat.

R. Multa Deus homini dat in justam peccatorum antecedentium pœnam: sicuti & Israëlitis coturnices dedit. Quia enim quandoque homo nimio terrestrium desiderio flagrat, sic ut nullam Dei habeat curam, indulget ei Deus quod petit, sed in ipsius perniciem.

Itaque non semper divitiæ & bona signa sunt amoris Dei, sed quandoque furoris. Hos. 13. 11. Nec (quod sæpè faciunt) avari titulo benedictionis Dei insignire debent mammona suum, quia maledictionem verius esse tandem experiuntur. Psalm. 69. 23. Psal. 10. 3. Deinde permittit Deus quandoque impios diteſcere: media autem non approbat, unde fulmine tempestuoso eos suo tempore invadit.

Usus. In hoc igitur cuique enitendum est, ut rerum suarum ita satagat, ut amoris & benedictionis Dei certus sit, sibique Deus cum demenso victûs etiam usum & fructum ejus concedat. Fiet illud, si non nimio terrenorum desiderio tenebitur: Si in Dei potiùs cultum fuerit intentus: si justitiæ & misericordiæ fuerit studiosus: si fiduciam suam in Dei providentiam ritè exercuerit, &c. Sic à Malo hoc, quod frequens esse & miseriam magnam ait *Salomon*, tutus erit.

DE SECVNDO.

Exaggeratio mali hujus triplex est: Ab ejus videlicet

1. *Miseriâ*
2. *Fatuitate*
3. *Errore.*

I. Miseriam avaræ sordidiei, quæ præsentibus uti nescit, explicat *Salomon* per comparationem sordidi ejusmodi hominis cum fœtu abortivo, qui vel in utero vel in partu vivere desijt. ℣.3,4,5,6. Sensus est, Quantacunque præter divitias homini Deus beneficia alia largiatur, infeliciſſimum tamen manere, atque abortivo infeliciorem, qui seipsum usu bonorum defraudet.

A. Ponit ergo primò *Salomon* per concessionem, picturam hominis in hâc vitâ feliciſſimi, Qui sc. *habet divitias amplas, & honores*, &c. ut justè ac honestè majores desiderare non possit, ℣.2.

Qui item pater sit centum liberorum, h.e. plurimorum: Etenim πολυτεκνία inter insignia Dei beneficia memoratur in scriptura. Psal. 113.9. & 127.3,4,5. Ac quia ad polygamiam olim connixit Deus, fieri poterat, ut ex pluribus uxoribus centum aut plures suscipere potuerint natos. Sic *Achab* genuit 70. filios, 2. Reg. 10.1. *Roboam* 88. 2. Chr. 11.21. *Iair* 30. Jud. 10.4.

Qui denique annos multos vixerit & multiplicati fuerint dies annorum ejus: Nam & longævitas eximium & singulare Dei donum, quod pijs & probis promisit, Præcepto quinto Decalogi, & Psalm. 128.6. Exprimit *bis mille annos* ℣.6. non quòd ad eam ætatem ullus unquam mortalium pertigerit, (nam qui diutiſſimè vixit *Mathusalem*, explevit annos 969. ut 31. ei defuerint ad unum integrum millenarium) sed per conditionem loquitur, ut statum hominis beatiſſimi exprimeret, nempe qui præter alia beatitudinis genera etiam longiſſ. vitam esset assecutus.

B. Huic picturæ subijcit ingens illud malum, quo solo omnes istæ felicitatis partes corrumpantur, evertanturque, sic ut qui feliciſſ. esse posset, miserrimus evadat: Illud autem est, *parcere bonis*, illisque non uti ad vitam genialiter cum piâ moderatione transigendam, *sic ut anima ejus non fuerit saturata bono ipso*, ut habet Textus: Cui communiter aliud malum adhæret, Nempe, *ut tandem etiam sepultura non sit ei*, scilicet avaro & sordido ejusmodi, Ex. in avaro Rege *Ioakim*.

Jerem.

Jerem.22,17.in *Iezabele* 2.Reg.9.10.35.&c. Id quod varijs modis illi accidere potest,ut honestâ sepulturâ careat: Dum vel apud exteros ignotus, aut in itinere occumbit,lucri causa peregrè profectus,atque à latronibus occisus,insepultus in abdita loca abijcitur: vel dum suâ sorditie omnibus exosum & rancidum se fecit: unde fit,ut hæredes qui bonis ejus duntaxat inhiant, negligentius ejus sepulturam procurent: atque quæ ad honorem & decus funeris spectant,uti sunt exequiæ pomposæ, luctus, parentalia, epitaphia,&c. intermittantur; ita ut sepeliatur quidem, sed sine honore,luctu, ac gratâ posterorum memoriâ, potiusque cum contemptu,risu,ac fœtore infamiæ: Meritò id quidem, ex justâ Dei pœnâ: Æquum enim ut qui pecunias sepelivit ipse sepulturâ careat; & qui nec in se nec in alios in vitâ fuit beneficus,nec ipse in morte beneficentiâ afficiatur. Olim sepulturæ privatione damnabantur Reipubl.patriæq; hostes: tales avari acpropolæ seu annonæ flagellatores. Ulitatum etiam qui violentas sibi manus inferunt,sepulturâ,saltem loco honesto privari: tales sordidi,qui sibi ipsis sunt hostes,suoq; corpori ac vitæ detrahunt.

C. Subdit his *abortivi* mentionem,ejusque cum sordido comparationem instituit; atque abortivi conditionem exponendo, ostendit meliorem ejus esse præ illo sortem. Ait ergo de abortivo primùm ℣.4. *Nam in vanum venit*, quia sc.non venit ut vivat, sed ut mox demoriatur: abortivus enim fœtus,quia imperfectus est,& ante maturum pariendi tempus ejectus,ideò vitalis non est,sed vel ante vel mox post partum, expirat: Ideò mox addit, *& in tenebræs abiturus est*,h.e.sepulcrum & mortem,quo lucis aspectu privamur. Dicit porrò de eôdem: *Et tenebris nomen ejus tegetur*: h.e. perit ejus memoria, oblivioni tegitur ejus nomen, quia nullum unquam accepit, perindeque est, ac si prorsus nunquam fuisset. Nam in Ecclesia Iudaicâ octavo demùm die in circumcisione nomina indebantur natis; sicuti hodie in Baptismo demum, ad quem abortivi vix deveniunt.

Deinde ℣.5. rursum de abortivi statu pergens, ait: *Etiam solem non vidit*; quia vel mortuus vel semimortuus prodit ex utero, ac quasi cæcus, qui lumen solis nunquam aspexit, aut sensit saltem leviſſimè ac sine voluptate. Quò recidunt & seqq. *Nec expertus est* vel *cognoverit*, sc.quicquam vel boni vel mali in hâc vitâ,quippe nec sensu nec intellectu ac judicio præditus.

Sequitur nunc ἐπίκρισις quam de utroque instituit Salomon. (*Requies*) huic (abortivo) *quàm illi* (avaro sc. qui suis uti nescit.) *Ratio*, quia melior utique ejus est conditio, qui bonum quidem nullum expertus est, cujus jactura ipsum afficere posset; ut nec malum senserit, cum quo fuerit conflictatus: quàm ejus, qui bonum accepit eoque frui ac delectari potuisset, id tamen noluit ex avaritiâ; quin potiùs pluribus ac ingentibus curis, ærumnis, ac doloribus, quos in retinendis ac augendis opibus sibi attraxit, vitam sibi fecit molestissimam ac inquietissimam. Duplici igitur nomine avarus miserior abortivo: 1. quòd uterque quidem destituitur hujus vitæ ac lucis jucunditate: Ille tamen suâ culpâ eam repudiat, cùm habere posset; hic nunquam accepit: Atqui miserabilius est longè habuisse ac perdidisse aliquid boni, quàm nunquam habuisse; quod prodigorum exemplo liquet. 2. quòd abortivus nulla mala sensit; avarus verò infinita sibi fabricavit; ille nullam miseriam cognovit, hic totus est miseria.

Object. At hoc tamen avarus videtur habere præ abortivo, quod ille vitam prolongavit, hic autem vixit nunquam: At vita insigne quid, &c.

Respondet Salomon vers. 6. per concessionem: q.d. Esto vivat avarus bis mille annos, & suo tamen more perstet, sic ut bonum non viderit, nihilò illius melior erit conditio quàm abortivi, quia tandem tamen & ipsi moriendum fuerit, tumque eodem erit loco, quo abortivus: Unde per interrogationem subdit: *Nonne ad locum unum omnes pergunt?* h.e. sepulcrum seu terram, è quâ omnes desumpti: At vita cùm finitur, nulla esse videtur, perinde ut nox quâ dormivimus nulla fuisse videtur. Vitam igitur per se ipsam non vilipendit Salomon, quasi perinde esset vel nasci & vivere, atque nunquam natum esse aut ab ortu mox periisse: sed comparativè loquitur ad exaggerandam miseriam in quam seipsos conjiciunt avari, qui vitæ hujus usurâ rite frui nequeunt. Idem argumentum tractavit supra cap. 4. v. 2, 3. Ubi vide, &c. Certè præstaret avarum nunquam natum, quàm si per avaritiam, usuram & sorditiem, non modò præsentem vitam sibi amaram & miseram reddit, sed & in æternos cruciatus semet-ipsum præcipitat: Ut verò dici possit, nullum esse tetrius malum avaritiâ.

DO-

DOCTRINA.

Omnibus hominibus una eademque meta præfixa, ad quam tendere tandem omnes oportet: Humus ic. & terra, è quâ homo prodijt. Gen.3.19.Hebr.9.27. In vitâ magnum sæpè discrimen, in morte nullum.

Usus. Ad Humilitatem, & clementiam erga proximum egenum ac infirmum. Ut discamus curriculum hoc vitæ piè riteque conficere, ut ad metam istam benè pertingamus. Ulterior enim adhuc meta, eaq; dispar longè, de quâ utraque Servator, Matth.7.13. Porta arcta & ampla, &c. Sic igitur curramus, ut ad felicitatis metam, & portam salutis deveniamus, exemplo Pauli 1.Cor.9.24,25,26.Phil.3.14. Quâ enim quisque viâ currit, ita metam attinget: Prout quisque serit sic metet. Gal.6.7. Teneamus ergò Regulam Apostolicam, Hebr.13.14.

HOMILIA II.

TEXTVS. ℣.7. ad fin.

Vt omnis labor hominis obveniat ori ipsius; etiam desiderium eius non expletur. Nam quid amplius est sapienti quàm stolido ipsi? quid ad pauperem fruens, dum ambulant coram viventibus; Melior est, inquies, inspectio oculorum, quàm cursus desiderii: etiam hoc vanitas est & afflictio spiritus. Quicquid sit, iam inditum est nomen eius, & cognitum eum esse hominem; neque pos-

se contendere cum eo qui valentior est ipso. Quum adsunt res multæ, multiplicant vanitatem ; quid amplius isti homini est ? Nam quis novit quod bonum est homini in hac vita, numero dierum vitæ vanissimæ suæ, quos transigit velut umbram ? quis est qui indicaturus sit homini id quod instat ipsi posthac sub sole ?

SEcundum exaggerationis istius argumentum, desumptum est à *stoliditate seu fatuitate* eorum, qui facultatibus suis uti fruique verentur. Stultum enim omninò est & vanum, laborare multum, nec tamen eum finem intendere aut assequi, propter quem labor suscipitur ; quid enim est operam perdere, si hoc non est ? Id autem agit sordidus : *Universus labor hominis ori* aut *pro ore ejus*, h. e. ut habeat victum, & reliqua βιωτικά : His igitur labore & sudore partis ad vitæ suæ sustentationem, licitamque oblectationem uti debet : Id autem tenax non facit : Negat ori, ac subtrahit corpori, geniumque suum defraudat eâ tranquillitate ac lætitiâ, quam ei laboribus acquisiviſse visus est : adeoque est instar muli aut jumenti, quod plurimum avenæ dorso comportavit, cui tamen vix modicum suggeritur ad vescendum, sed fame dirâ quandoque emacerari permittitur. Unde verò tenacitas ista avaro, quod in proprium os & vitam est injurius ? Ex insatiabilitate animi, cujus desiderium plus habendi expleri nequit. Ideò subdit Salomon, *Etiam desiderium, &c.* Vel *Et tamen anima non expletur*, q. d. os expleri posset facilè, quia natura paucis est contenta ; at animus est inexplebilis, cujus sorditiem os luere cogitur.

Confirmat ℣. 8. quod dixit in præced. cap. 7. omnium sc. hominum studia & labores eò tendere, ut ori prospiciant de alimoniâ, eaque acquisitâ quiescere, nec amplius quid ex labore suo assequi posse. Hâc

mene

mente esse æquè sapientem ac stultum, *Quid* (ait) *amplius sapienti quàm stolido?* sc. curæ est? q.d. Non amplius vel sapiens ipse desiderat, quàm ut præsentis vitæ commoda suis sibi negotijs comparet: ne avarus objiciat, stultorum esse solùm ventris curam habere. Hâc mente porrò ait esse *pauperem*, h.e. eum, qui opibus non quidem abundat, attamen *sciat ambulare ante vivos*, seu coram viventibus; h.e. qui norit cum hominibus versari, ut suis laboribus ac studijs illis gratificetur ac subserviat, uti faciunt institores, mechanici, alijque operarij; quibus non alius scopus est, quàm è partis, ori, ac corporis nutritioni consulere: Atque hoc ipso esse felices: Quid enim amplius expetant aut ambiant per suos labores? Nihil. Infelicissimum igitur avarum, atque omninò stolidissimum qui genuinum istum laborum fructum ac scopum non attendat, ut parta laboribus conferat ad oris & corporis necessitatem; sed amplius quid spectet, quod nuspiam sit.

Itaque concludit Salomon ℣.9. hoc argumentum: *Melior est visio oculorum*, h.e. præsentium, quæ coram oculis jam sunt, usus ac fructus; *quàm cursus desiderij* aut *anima quæ abit*, h.e. quàm ut animus divagetur & pergat ad alia ac plura appetenda, quæ adhuc in dubio sunt, an illis sit potiturus. Summa, melius est præsentibus uti, quàm futura eaq; incerta appetere, illis non ad usum præsentem adhibitis, sed neglectis. Hoc enim rectè ait, *esse vanitatem & afflictionem spiritus*: sc. inexplebile illud avarorum desiderium plura habendi, cùm tamen quæ jam ad manus sunt, non absumpserint, nec tangere nolint, atque ob spem incertorum privent se fruitione præsentium ac certorum.

DOCTRINA I.

Primum, quod hîc observare oportet, est, *Labore victum esse quærendum* omnibus hominibus, quocunque sint rerum statu. Indefinita enim illa Dei prima sanctio, Genes. 3.19. quæ confirmatur Psal. 128.2. 2. Thess. 3.12. Ephes. 4.28. adeoque otio & genio indulgere, ordinationi divinæ, honestati ac pietati esse adversa.

DOCTRINA II.

Qui alijs suis laboribus sunt emolumento, justa merceds esse donandos,

randos, ut habeant quo se sustentent, nam ideò laborant, ut ori prospiciant. Quod ipsum etiam de eminentioribus statibus valet: Nam & Reges, Principes, Magistratus laborant in administratione Reipublicæ: ideò suggerenda illis à subditis, unde habeant quo se suosque pro dignitate sustentent: Rom.13.7. Sic qui in sermone laborant, alendi sunt, Mat. 10.10. 1.Cor.9.14. Retinere laborantibus debitam mercedem, ingens peccatum, clamans in cœlum, ac vindictam requirens. Jacobi 5.4.

3. Etsi justum sit, ut sui, orisque sui quisque qui laborat, habeat rationem; nec verò quod præsentem attinet vitam, suo labore amplius quid assequi possit, præter necessaria hujus vitæ, & quæ ad ejus commodam transactionem faciunt: (æternam enim illam requiem ullis laboribus aut operibus humanis exantlare non datur) non tamen Regula Apostolica negligenda, Phil.c.2.℣.4. *Unusquisque non quærat modo quæ sua sunt, sed & quæ aliorum.* Sic igitur unicuique versandum est in suo labore, ut cumprimis suâ vocatione intendat servire Deo, deîn & proximo, & bono publico: 1.Petr.4.10.11. Qui sic affectus fuerit, non ori ejus deficiet victus necessarius ex Dei benedictione.

4. *Studendum αὐταρκείᾳ.* Ut victu per laborem acquisito, qui honestè sufficiat, acquiescamus; eumque cum timore Dei & gratiarum actione usurpemus & fruamur; nec de superfluis divitijs satagamus, quibus opus non est ad præsentem vitam sustinendam. Hebr.13. ℣.5.1.Tim.6.6.&c. *In divitijs multiplicandis nihil est adjiciendum pecuniæ, sed avaritiæ subtrahendum. Tantò namque dignoscitur quis esse ditior, quanto in eo cupiditas est minor.* Cyrill.lib.3.Apol.mor.c.4. De crastino minus solliciti, Dei providentiæ cuncta committamus. Matt.6.34.

III. Tertium argumentum *errorem* describit, quo impingunt sordidi, qui præsentibus non usi plura tamen appetunt & infectantur. Solent enim illi vel maximè eò spectare, ut copiosas divitias nacti, ad gloriam & æstimationem ingentem per illas inter mortales ascendant, magnumque adeò sibi aut etiam posteris suis, nomen etiam post fata relinquant. Certè nonnullis ex voto cessit hic conatus. Constat enim quantisiant divitiæ à cœcomundo, ut verè dixerit ille: *Regina pecuma mundi.* Sed enim institutum hoc avarorum, errorem esse, aliquot argumentis evincit sapientissimus Salomon,

I. Quia

I. Quia quantumcunque demum honoris ac dignitatis fastigium assequatur homo, non tamen excedere possit naturam suam, quin scil. maneat miser & mortalis Homo. Procedit argumentum per concessionem, *Quicquid sit, jam nominatum est nomen ejus, & cognitum quod est homo.* q.d. Esto, evadat quò tendit, manet tamen idem qui est, ac fuit, Homo. *vers.* 10. a quo modò cum vocat ad extenuandam ejus conditionem: Adam ab Adama, homo ab humo, h.e. terrenus, miser, fragilis, ærumnosus. Sic Ps. 9. 21. Esai. 31. 3. Quid enim homines? multis ærumnis obnoxij omnes, Act. 14. 15. pluraque eleganter dicta extant in divinis paginis, quibus ἀσθένεια hominis significatur. Non defuerunt qui divinos sibi honores arrogarunt, seque ex ordine Hominum eximere attentarunt; qui tamen omnes tandem in morte sæpè tragicâ experti sunt, ac nonnulli falli, quòd homines essent, seseque antehac turpiter deceperint. Idem oggerendum est Papistis, qui sanctos suâ ἀποθεώσει in Deorum numerum evehunt, quos Homines fuisse constat.

2. *Alterum* argumentum petitum est à *decreto & beneplacito Dei*, qui de rebus singulis statuit, omnesque eventus determinavit semel; quod decretum infringere aut violare nulla humana quantacunque possit potentia. Text. *Nec possit disceptare cum eo, qui se fortior.* q. d. Invito Deo, quantiscunque abundet opibus non emerget avarus: Errat itaque, si putat, quòd citra dubium ac omne impedimentum ad sublimem statum grassaturus sit. Stat hoc penes Deum; qui nisi ejus conatibus annuat, frustra laborabit, frustra item cum Deo expostulabit, quòd votis minus annuat; quia Deus fortior.

DOCTRINA.

Decreta Dei sunt inviolabilia. Prov. 21. 30. Dan. 4. 35. Gamal. Act. 5. 39. Esai. 14. 27. Illa ergò non suggillare, non temerè culpare, non illis obsistere debemus: sed approbare, eisque humiliter subjicere nos oportet. Rom. 9. 19. Act. 9. 5. Durum adversus stimulum calcitrare, &c. Precandum potiùs, Fiat voluntas tua. Patientiæ in adversis studendum. Patienter ferendum quod mutari non potest. 1. Pet. 4. 19. Hâc de materiâ fusius alibi.

3. *Tertium* erroris istius argumentum est, v. 11. Quia dum avarus insudet in cumulandis divitijs, ut beneficio illarum evadat honoribus

quoque & gloriâ mundanâ auctior; nihil aliud lucratur, quàm *quod vanitatem* suam, quæ in solis antè consistebat opibus, accessione alterius vanitatis, mundanæ sc. gloriæ, *multiplicet* & copiosiorem reddat. *Sanè* (ait hîc Salomon,) *res multæ multiplicant vanitatem:* Quid amplius homini? sc. tandem erit præter vanitatem, q.d. satagendo multum circa vana, nihil nisi vanitatem tandem assequitur, ipse vanissimus. Hîc de vanitate gloriæ mundanæ dicendum foret, quæ floris instar Esai. 40. de quâ tamen aliâs, &c.

4. *Quartum* argumentum petitum est ab *incerto eventu studij* istius, quo se torquet avarus, ut se posterosque suos futuro tempore faciat felices, & in excelso honorum gradu versari: vers. 12. *Quis enim novit, quid bonum est homini in hac vita, numero dierum vitæ vanissimæ,* [Heb. vanitatis suæ] *quos transigit* [Heb. facit] *velut umbram? quis est qui indicaturus sit homini id quod instat ipsi posthac sub sole.* q.d. tanta est vitæ præsentis, (quæ instar est umbræ fugacis ac evanescentis, sic Job. 8. 9. & 14. 2. Ps. 143. 4.) inconstantia ac vanitas, ut nihil de futuro liceat certò definire, nec sibi spondere possit homo certum aliquem aut exoptatum rerum suarum eventum: *Quis enim novit, quid bonum homini in hac vita,* sc. obventurum sit? Et rursus, *quis indicabit homini, quid erit post ipsum sub sole?* q.d. Nemo: incertus futurorum eventus. Fieri enim potest, ut quando se felicissimum existimat futurum, infelicissimus evadat; fortuna enim, quæ lubrica, è ditissimis pauperrimos, è honoratissimis despectissimos, è summis imos effecit: sicuti nuper ad vers. 14. præced. cap. dictum, & exemplis ostensum est: cumprimis attendendum quod diviti avaro minetur Deus, quod non honos sed contemptus ei tandem sit obventurus, Jerem. 17.

Usus. In lubrico ergò ac harenâ ædificant, qui futuræ felicitatis quam sectantur, divitias injustas pro basi substernunt. Errant item, qui in futurum sibi certi quid promittunt, de illis, quæ naturâ suâ sunt vana & fugacia. Qui item futurorum eventus præscire, aut prædefinire præsumunt; hoc enim solius est Dei: Ignota sunt homini futura: Soli igitur Deo ejusque providentiæ committenda, Matt. 6.

DOCTRINA.

Vita humana vanissima, similis umbræ.

1. Ut

1. Ut umbra nihil est, solidâ carens substantiâ, cùm videatur aliquid esse: Sic Vita humana verè vita non est, etsi talis videatur, sed veriùs Mors, quia continuus ad mortem decursus: Vita autem illa beatorum in cœlis verè vita fuerit, quia mortis omnis erit expers. Hinc D. August. de Protoplastis ait. Quamvis multos annos vixerint, illo tamen die mori cœpisse, quo legem mortis acceperunt.

2. Sicut Sole ab Oriente paulatim ascendente, numerus quidem horarum crescit, umbra verò decrescit, usque dum in Meridie Sole constituto omnium minima evadat: Sic annis crescentibus, dies reliqui vitæ nostræ minuuntur, donec planè in apice velut constituta, evanescat.

3. Sicut umbra instabilis est, ac quandoque major, quandoque minor est homine; sic ut nunc magnum gigantem, nunc nanum pusillum repræsentet: Talis est in vitâ humanâ vicissitudo, ut nunc magni simus, fortunâ prosperâ gaudentes; mox parvi, h. e. afflicti & miseri.

4. Sicut umbra celerrimè præterit, sequitur enim motum Solis; at Sol celerrimus, sic ut quâlibet horâ plura millia milliarium conficiat: pari ergò celeritate præterit vita nostra.

5. Ut umbra tenebricosa & obscura: sic præsens vita tenebris miseriarum obvoluta est: gradimur viventes continuò per umbrosam vallem mortis, Psal. 23. In vitâ æternâ inhabitabimus lucem, quâ Deus ipse Sol erit, sparsurus lucem sine tenebris. Apoc. 21. 23.

6. Sicut umbra serotina, gratum viatoribus præbet ab æstu Solis levamen: Sic mors quæ vitæ extrema est umbra, quiescere facit à laboribus, Apoc. c. 14. ut meritò sub illam recurrere desiderent æstu laborum hujus vitæ fatigati.

Usus ex alijs Hom. de hac materia adjungi possunt facilè.

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT VII.

HOMILIA I.

TEXTUS *Cap. 7. a.*

Melior est homini fama unguento optimo; sed dies mortis die quo ille nascitur.

PRIORIBUS 6. capitibus Ecclesiastes multifariam hujus mundi Vanitatem damnavit. Alterâ nunc libri hujus parte insignes gnomas ac utilissima sapientiæ morumque præcepta præscribit, ad vitam probè & providè transigendam, quæ repudiatâ vanitatum consectatione potiùs usu exercenda sint, de quarum cohærentia vide Exord. Hom. 5.

Illarum prima est:

Melius est nomen bonum quàm unguenta.

Commendat Salomon eorum studium & conatum, qui ex benefactis, seu per virtutes, sibi nomen bonamque famam conciliant: ac pluris id esse testatur, quàm delicijs quibusque diffluere, quas denotant unguenta preciosa: quia fragrantior gratiorque ex famâ odor, quàm ex illis.

Per *unguenta* intelligit fragrantia illa, quæ ex oleo & aromatis varijs conficiebantur: quorum usus creberrimus fuit apud Orientales, etiam-

etiamque Hebræos, quos ideò Balsaminos *Plinius* vocavit l.12. cap.25. & l.16.c.32. Adhibebant autem ea, *tum ad usum sacrum & solennem*, Consecrationes videlicet Regum & Sacerdotum. Vid. Exod.30. Unde & *Christus* noster nomen accepit, quia divinitùs ille nobis in Regem & Sacerdotem æternum inunctus à Deo Patre. Psal.45.8. *tum ad usum profanum & vulgarem*, medicinam sc. luxum ac delicias, præsertim in convivijs: putà ut præbeant refrigerium in æstu, jucunditate odoris recreent, fomentum ac delinimentum sint membris corporis, denique vapores repellant, ac ebrietatem arceant. Huic unguento confert, immò præfert Salomon, Nomen bonum seu εὐφημίαν. Pulcra enim inter utrumque analogia.

1. Ut Balsamus fovet, recreat, ac firmat corporis membra, cor spiritusque confortat: Sic bonum nomen animam jucundè afficit; atque adversus convitiatorum injurias firmat.

2. Ut unguentum longè lateq; gratum de se spargit odorem: Sic & bona fama quaquaversum hominem laudabiliter facit innotescere, gloriamque nominis ejus dilatat. Sicut de *Ezechiâ* dicitur, 2.Chron.26. v.8. *nomen ejus abiisse usq; ad ingressum Ægypti.* Sic de *Salomone, quod Regina Saba famam ejus audierit, &c.* 1.Reg.10.1.

3. Ut unguenti fragrantia permanet diu in loco, etiam quum illud non est ibi amplius: Sic virtutis bonus odor etiam post funera durat apud posteros. Balsama solent à putredine præservare cadavera: sic fama ab oblivione, &c. immortalitatem quasi conciliat, Prov.10.7. *Memoria justi in benedictione.* Conf. Matth.26.13. Apoc.14.13. Romani prisci in defunctorum rogos mel & unguenta pretiosa infundebant, ut significarent suavem post se suarum virtutum famam posthumam relinquere.

4. Ut gratus unguenti odor, homines ad se allicit: Ita qui pollent bonâ famâ, alios ad sui amorem, admirationem, imitationem rapiunt. Quod venusto simili declaravit S. *Basil.* Ep.175. ad Iulittam. desumpto à columbâ allectatrice, quæ fragranti odore delibuta ad extraneas emissa est, cujus odore illæ captæ, ad columbarium properantem sequantur, & ita capiantur. Hinc de Christo dicitur Cant.1.3. *Velut unguentum effundatur nomen tuum, idcirco puellæ diligunt te.*

5. Ut unguenta pretiosissima sunt, magnique veneunt; atque inter Regum thesauros reconduntur, ut legitur de Rege Ezechiâ, 2.Reg.20. v.13. Eoque olim à Lacedæmonijs unguentarij urbe expulsi, ac Romani

exotica unguenta divendi interdixerunt. Plin. lib.13.cap.3. & Solinus cap.58. Vide Senecam, lib.4. Nat.qq.c.20. Ita prèciosissima est bona fama; divitijsque amplissimis longè antecellit, ut alibi Sapiens innuit, *Optabilius est nomen divitijs amplis*, Prov.22.1. Hæ enim pereunt; Illa non item, in morte. Syrach.41.15. Confer quod 2.Sam.7.23. dicitur: ubi Deus populum suum alijs præfert populis, etiam potentioribus & ditioribus, propter nomen bonum, quod largitus sit ipsis. Quod fusius *Isocrates* ad Nicoclem edisserit: *Magis* (ait) *expetendum ducito, ut liberis tuis honestam famam, quàm magnas opes relinquas: nam hæ mortales sunt, illa immortalis; pecunia acquiri possunt; fama pecunijs emi non potest; opes etiam improbis contingunt, gloriam verò parare non possunt, nisi virtute præstantissimi.* Adde, quod avaritia ac divitiarum amor, homines reddit imprudentes ac boni nominis contemptores; hinc eorum turpissima parcitas, sordities, rapacitas, injustitia, quibus nomen suum lædunt, ac infamiam sibi cumulant: uti contra decens liberalitas optimi nominis mater est.

Denique jucunditatem illam & recreationem animæ, quam ex bonâ famâ habet homo, è divitijs congestis & asservatis non captat, sed potiùs curam multiplicem & afflictionem spiritus. Ergò si etiam utilitatem spectemus, utilissima est bona fama, & thesaurus eximius. Unde Cato:

Omnia si perdas famam servare memento.

6. Unguentis precioſissimis Reges, Sacerdotes, Prophetæ ungebantur: Ita certè dignitate quâvis præstat bonum nomen, etiam regiâ aut pontificali; quia inunctio illa sine merito & virtute esse potest, hæc non item. Sic Josias non tam à Regali eminentiâ, quàm à virtute ejusque famâ & gloriâ commendatur à Syracide. *Memoria Josiæ similis compararie ad compositionem suffitus operis unguentarij.* cap. 49. 1. Quemadmodum unguenta odorata non eos modò reficiunt, qui illa penes se habent, aut illis sunt delibuti; sed eorum fragrantia ad alios quoque redundat: Ita fama bona non illis modò decori est, qui eam sibi sunt nacti; sed etiam alijs qui ipsos attinent, posteris sc. ac liberis; quos equidem par est ob parentum suorum famam commendatos habere: ut 2.Sam.9. Mephiboseth, David, &c.

DOCTRINA.

Studendum igitur bono nomini, ut illud assequare, & post fata, boni in-

ni instar suffitus relinquas. Exem. *Nehemiæ* c.6.10.11. *Pauli* 2.Corinth.8. vs.20,21,22. Idque pietatis, probitatis, & pulcerrimarum virtutum laudabili affectatione. *Quod reliquum est, fratres quæcunq; sunt vera, quæcunq; veneranda, quæcunq; iusta, quæcunq; pura, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hæc reputate.* Phil.4.8. *Curam habe de nomine: hoc enim tibi permanet magis quam mille thesauri ingentes auri. Vitæ bonæ numerantur quidem dies, sed bonum nomen in sæcula permanet.* Syrac.41.15,16. *Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ est iustitia, sine quâ nihil potest esse laudabile.* Cic.2. Offic. Et Seneca Epist.79. *Gloria est umbra virtutis, etiam invitos comitabitur.*

Usus 1. Adversus profanos & incuriosos, qui famæ nullam rationem habent, nec an boni vel mali quid de ipsis dicatur, dicunt se curare: qui, quanti boni sint neglectores, præsens docet abundè comparatio. Rectè D. *Augustinus*, serm.49.de Diversis. *Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis.* Cujus rei alibi rationem reddit, *Custodiam* (inquit) *famæ qui negligit, aliorum animas, quos videl. offendit crudeliter occidit.* de bono Viduit. cap. 22. Planè ex mente Apostoli: *Evitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac ubertate, quæ administratur à nobis, Vt qui procuremus honesta, non solùm in conspectu Domini, sed etiam in conspectu hominum.* 2.Cor.8.20,21. & Actor.24.16. *Me exerceo ad conscientiam omni tempore habendam sine offensâ apud Deum, & homines.* Cicer.2.de Offic. *Negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis esse sed etiam dissoluti.*

2. Qui bonos probosque homines calumnijs virulentis & mendacibus famæ bonitate fraudare annituntur, illisque fœtorem malæ famæ aspergunt, nequissimi sunt, & summè injurioſi. Psal.15.2. Deteriores longè furibus, cùm bona fama thesauros omnes superet. Vid. Hom.7. in hoc caput de *Calumniâ*.

3. Itaque omninò famam tueri convenit adversus convitiatores, suamque innocentiam monstrare modis convenientibus. Licet ἀπολογεῖσθαι, cum gloria Dei, fama nostra, ædificatio proximi vel aversio scandali ei obventuri, vel commodum posterorum hoc requirit. *Respondeo stolido secundum stultitiam ejus.* Ex. *Davidis* 1.Sam.24.10. &c.26. *Elias* 1.Reg. 18. *Christus* ipse, Joh.8.46. & c.18.23. Luc.11.17. *Stephanus* Act.7. *Petrus* Act.11.4. *Paulus* Act.16.c.23.1. & 24.10. Scripsere Apologias pro Christianis & Orthodoxis, *Tertullianus*, *Justinus Martyr*, *Athenagoras*, *Quadratus*, *Athia-*

Athanasius, Aristides, alij. *In suspicione hæreseos nolo quenquam esse patientem.* Hieron. ad Pamonach. Ep. 61. adversus Joh. Hierosolym.

4. Quod si prævaleant calumniatores, atque præ illis nominis existimationem vindicare non licet; tum demum conscientiæ bonitate, Deique qui cuncta novit ac judicat justo judicio nos consolemur. Ps. 37. 5, 6. *Volve super Jehovam viam tuam, & spera in eo, ipse faciet: Et educet sicut lumen, justitiam tuam: & judicia tua sicut meridiem.*

DOCTRINA II.

Ista tamen famæ commendatio, *non de qualibet* capienda est;

ἀρσις. *Nec enim quodcunque magnum & celebre nomen* tanti facere, aut magni æstimare oportet. Fuerunt enim qui rebus quibusque evanidis famæ celebritatem quæsiverunt; veluti Ædificatores turris Babylonicæ, Genes. 11. 4. *Nebucadnezar* Regiæ Babyl. extructione, Dan. 4. sic alij per structuras alias. Sic *alij* per amplas divitias: *Alij* magnorum honorum & dignitatum insectatione: *Alij* per artes, scientias, sapientiam: *Alij* per militarem gloriam, & res bello fortiter & præclarè gestas. Fuerunt, qui factis improbis & sceleratis pariter, famam sui nominis consequi tentarunt. Ex. *Herostratus, Cajus Caligula.* Regicidæ. Magi, Agyrtæ. Alijque qui ab ebrietate, aleâ, ludis, factisque alijs turpibus laudem aucupantur. Hi licet magnum nomen inter mortales sunt assecuti, sic ut toto illud orbe innotuerit; non tamen verè bonum id nomen dici potest.

Ratio 1. Quia per ejusmodi res inclaruerunt, quæ æquè in impios ac pios cadere possunt; immò quæ solis impijs sunt propria.

Ratio 2. Quia ejusmodi nomen nihil confert ad futuri seculi felicitatem.

Ratio 3. Quia superbos, præfractos, contemptores facit.

θέσις. Sed illud demum *verè bonum nomen*, cujus odor spirat & penetrat in cœlum usque, instar thymiamatis fragrantissimi, apud Deum & sanctos cœlites: cujusq; fructus durat in omnem æternitatem. Nempe quod sincerâ in Deum pietate & Christianis virtutibus ex eâ manantibus acquiritur. Ex. *Maria*, Lu. 1. 48. Mulier Christum ungens. Mat. 26. 13. qualique nominis celebritate plures alij sancti commendantur in Scripturâ, cumprimis Hebr. 11. Et sancti Martyres. Hâc gaudere jussit Christus discipulos, Luc. 10. 20.

Except.

Excep. Equidem qui pietate clarent, obscuri sunt & contemptissimi in mundo. Psal.14.6.1.Cor.4.13. A Deo autem magnifunt, sic ut & mors ipsorum in ejus oculis preciosa sit. Psal.116.15. Id verò longè satius. Sapientia mundi stultitia coram Deo 1.Corinth.4.19. Perit enim omnis tandem mundana gloria.1.Joh.2.16.17. ac instar vaporis odorati evanescit. Atq; inter mundi vanitates jure à Salomone censetur, supr. cap. 2.16. Immò fucus est non gloria, quæcunque pietate destituitur. Sit enim quis tam dives ut Crœsus, sapiens ut Salomon, disertus ut Cicero, pulcer ut Absalon, fortis ut Samson, potens ut Alexander; si caret pietate, justitia, &c. frustra sunt cuncta: sceleton gloriæ carens vitali spiritu. Acquæcunque ei post mortem tribuuntur elogia, hoc solo concidunt, si absit pietas. Et verè Plutarch. in Cat. *Fucis parta gloria, sicut non est vera gloria, ita nec diuturna.*

Usus. Ergò mundi gloriâ susque deque habitâ, in id potiùs enitamur, ut ex pietate & integritate vitæ bonum consequamur nomen, apud Deum & homines: ut æternâ & immarcessibili gloriæ coronâ tandem in cœlis cingamur. 1.Petr.5.4. Hoc utique præstantius unguento: quia hoc corpus solum reficit, animæ nihil confert: Illius odor evanescit; hujus fructus æternus est: Illo & impij frui possunt; hic solis confertur electis. (Confer Hom.6.in cap.1.Eccles.)

DOCTRINA III. quæ ἀντίθετος.

Ut bonum nomen fragrantius unguento; *Sic malum nomen, quod è vitiis & sceleribus oritur, fœtidius quovis cadavere putrido. Nomen impiorum putridum est.* Prov.10.7.

Fœtent illi dum vivunt coram Deo & Sanctis.

Fœtent in morte, & post mortem, sicuti Cain, Cham, Absalon, uxor Potipharis, Jezabel, Herodes, Pilatus, Judas, &c. quorum nomina licèt manserint, cum horrore tamen memorantur. Syr.23.6.

Fœtebunt æternùm ignominiosissimè, in gehennâ; ubi fœtor damnationis ipsorum in omnem æternitatem ascendet. Apoc.14.11.

Usus. Caveamus: cumque per naturam ad ambitionem tantopere vergamus, aspiremus ad summam illam gloriam per pietatis opera: atque æternam illam ignominiam declinemus. Rom.2.7. Dan.12. Maximè omnium carnales fugiamus voluptates, quas hîc nomine unguenti

guenti indigitare voluit Salomon; earumque loco bonum potius nomen consectari nos voluit: q.d. etsi illa jucunda sunt carni, hoc tamen longè jucundius; immò fœtent illæ, præsertim immodicæ, ad hoc collatæ. Multorum vestimenta odoramentis suavissimis sunt perfumata, quos satius esset talem quoque virtutum fragrantiam spirare.

HOMILIA II.

in eundem Textum.

Dies mortis (melior homini) in quo nascitur.

VErè Deus apud Esajam: *Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ.* Es.55.8. Id enim vel duo ista aphorismata confirmant, quæ judicio carnis videntur absurdissima, non tamen sine Dei instinctu à Salomone prolata. *Optabilius esse nomen bonum balsamo*, seu ut Prov.22.1. loquitur, divitijs amplis: *Meliorem item esse diem mortis quam nativitatis. Illud* sanè suo calculo nunquam approbabunt avari, & voluptuarij, qui non curant quid de ipsis seu vivis seu mortuis dicatur, modò divitijs & voluptatibus abundent: *Hoc* profanus quisque ridebit, qui suum sibi hoc in mundo delegit Paradisum. Is enim cum Ethnicis mortem statuit terribilium omnium terribilissimum. Verùm enimverò *sapientia justificata est à filijs suis*, Matt.11.19. Unde qui spiritualis, & ea quæ spiritus Dei dijudicare valet, sententiæ Salomonis facilè subscribit, *Meliorem esse diem mortis quàm nati vitatis.* Gnomam istam primò *explicabimus*, & dein ad usus *applicabimus*

Vitam morti præferendam, si tàm illam quàm hanc consideremus *in se*, nullum dubium. Illa enim Dei donum, quippe qui est Deus vivus, omnisque vitæ, quæ in creaturis, fons & author. Act.17.25. 28. Hinc David Deo pro nativitate gratias agit, Psal.22.10,11. & 139. & vitæ prorogationem istam ob causam non semel precatus, mortem econtrà deprecatus legitur, Ps.102.25. Perinde & fœcunditas Conjugij inter ingentia Dei dona memoratur, Psal.127.4,5. & 128.3. Mors econtrà fœtus Diaboli,

qui

qui *homicida ab initio*. Joh.8.44. ſeducto ad peccatū homine etiam mortem in mundum introduxit. Rom.5.12. *Mors enim peccati ſtipendium*. Rom.6. ℣.23. *Deus* enim *mortem non fecit*. Sap.1.13. ſed *invidentiâ Diaboli mors venit in mundum*. c.2.24. Mors præterea alijs quoque nominibus horrenda & terribilis. Si naturam ejus ſpectemus: Solutio eſt animæ & corporis cum utriusque dolore exquiſito (Schelden thut wehe) & ignominiâ non parvâ. Hinc Paulus corpus noſtrum in *ignominia* ſeri ait, 1.Cor.15.43. Si conſequentia & effecta attendamus, per mortem ipſa hominis natura deſtruitur: deſinit enim eſſe, quod fuit ante homo, atque è hominum conſpectu & conſortio eximitur: ſpoliatur quin etiam & amittit omnia, quæ in hâc vitâ habuit & poſſedit, honores, divitias, artes, conjuges, liberos, propinquos, amicos, commoda, gaudia, &c. De hoc conqueſtus Severus, *Omnia habui, & omnia fui, & nihil mihi prodeſt*. Pſal.47.17,18. Hac de re aliàs fuſiùs. Verè igitur mors hominis *hoſtis*, 1.Cor.15.26. utpote à qua ſpoliatur & occiditur.

Et hinc eſt, quòd nativitas hominis vulgò præbet materiam gaudij, mors econtrà horroris & luctûs. Et *illud* quidem nec ipſe Chriſtus improbare videtur, Joh.16.21. *Poſtquam peperit* (mulier) *puerulum, jam non meminit afflictionis, propter gaudium quod homo natus ſit in mundum*. Hæcque cauſa feſtorum natalitiorum, qualia in Scripturis quoque memorantur, *Pharaonis*, Gen.40.20. Regis Iſraelis, Hoſ.7.5. *Herodis*, Matth.14. Mortis econtrà metus naturalis. Ut enim natura omnibus creaturis ſuæ conſervationis ſtudium & deſiderium inſevit, ita omnes quoque ſui deſtructionem averſantur. Unde minima etiam & contemptiſſima animalcula cernimus, mortem non modò refugere, ſed & necanti obſiſtere, & de vitâ conſervandâ veluti dimicare. Et quid iſtam formidinem de brutis recenſeam? *Abraham* Pater ille credentium mortis metu Saram conjugem ſuam infitiatus eſt. Gen.12. & 20. *Ezechias* quantis lacrymis deprecatus mortem? Eſ.38. De *Petro* vaticinatur Chriſtus, vinctum ductum iri quò nolit. Joh.21.18. Quid *Chriſtum* memorem? Columnæ iſtæ ſi trepident, quid mirum ſi & aſſeres? Adeo, inquam, naturalis eſt mortis metus, quia naturæ eſt deſtructio. Lugere mortuos perinde recepta apud omnes Gentes conſuetudo. Qua de re Hom.ſeq.

Per accidens itaque mors vitâ potior, dieſque emortualis natali à Salomone præfertur. Mors *Jani* inſtar duplicem habet faciem: Unâ reſpicit retrorſum in Adamum, & eatenus terribilis: Alterâ in Chriſtum,

& sic vitæ præferenda ac amabilis. Ad solidam autem gnomæ hujus enodationem, sciendum esse sermonem hîc

A. Non de *impiis* propriè, & principaliter, quos præstaret nunquam natos esse, prout Christus de Juda proditore judicium fert, Matth. 26.24. Ubi verò semel nati sunt pessimum cùm moriuntur, ut quorum animæ rectà ad infernum pergant, quo & corpus post extremum judicium detrudetur, ad luendum pœnas æternas. Ut maximè autem obitum eorum mors secunda è vestigio sequatur, hocque respectu ei præstet nativitas, quæ non rectà sed per ambages vitæ non rarò jucundæ eòducit; tamen quia homines isti cum vitâ filum impietatis producentes gravius judicium sibi accersunt, optimè cum illis ageretur, si quàm celerrimè morerentur; sicque etiam illis satius foret, citò mori, quàm diutiùs vivere. Intelligenda autem cumprimis hæc sententia.

B. De *pijs*, quibus dies mortis

a. *Clausula vitæ miseræ.* Misera hæc vita ob duo cumprimis mala quibus per nativitatem obviam imus, & implicamur, vicissim per mortem liberamur. Primum est

1. *Malum triste*, omnis generis calamitates & ærumnæ, quibus vita ista obnoxia est & referta. Prolixum harum catalogum reperies superius Hom. 5. cap. 1. Ubi tum de publicis & communibus malis, tum de privatis singulorum miserijs actum. Oceanum istum ingredimur per ipsam statim Nativitatem. *Occupatio magna hominibus, &c. ex utero matris.* Syrac. 40.1. *Homo ad molestiam editur, ut scintillæ prunarum in altum evolant.* Job. 5.7. Hinc Job & Jeremias molestijs obruti non modò diem nativitatis execrati sunt, sed & eum, qui Patri attulerit nuncium, natum sc. esse puerulum. Job. 3.1. &c. c. 10.18,19. Jerem. 20.14,15.

Econtrà dies mortis telam malorum & ærumnarum quam per totam vitam teximus, abrumpit. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur à modò, quia spiritus dicit, quòd requiescant à laboribus suis.* Apoc. 14.13. Confer Esa. 57.1,2. Hinc Job: *Cur ex utero exiens non exspiravi? Quamobrem exceperunt me genua, & quare ubera quæ sugerem? Nam nunc tacerem & quiescerem dormirem, sunc requiescerem mihi.* c. 3.10,11,12. Hinc est cur quidam malorum hujus ævi pertæsi, mortem sibi præoptarint. *Moses* Num. 11.15. *Elias* 1. Reg. 19.4. *Salomon* Eccles. 2.17. *Tobias* 3.8. *Paulus* 2. Cor. 1.8. secundum quorundam interpretationem. Quidam è priscis causam, cur

Christus

Christus fleverit ad Lazari sepulchrum, fuisse hanc dicunt, quòd eum iterum in vitam revocaturus esset. Isidorus Pelus. Epist. l. 2. Christum cum lachrymis loquentem sic inducit: *Eum, qui iam ad portum appulerat, rursùm ad fluctus & procellas voco. Eum qui coronam iam consecutus erat, ad certamina rursum duco.* Huc pertinent comparationes, quibus mors piorum assimilatur; Somno, conclavi, tutoque in adversis receptaculo, ἀναλύσει seu solutioni, ἀπολύσει seu dimissioni, &c. Cùm diu vivimus, diu torquemur: cùm morimur, non nos morimur, *sed miseria, &c.* Non defuere ex Gentilibus ipsis, qui hoc agnoverint. *Thracum* mos fuit, ut natos in hanc lucem fletu & luctu exciperent, mortis verò diem gaudio & cantu insignirent, ut docerent hominem nascendo conjici in miseriam, moriendo inde liberari. Alex. ab Alex. l. 2. Gen. c. 25. Cùm mos esset Sacerdotem Argivorum junctis bobus ire ad templum Junonis, & solemni die boves non invenirentur (pestilentia enim quæ per Africam transierat, omnia consumpserat) duo Sacerdotis filij Cleobis & Biton matrem subeuntes jugo ad templum duxerunt. Tum Juno probans eorum religionem obtulit Matri, id quod vellet, posceret filijs. Illa piâ responsione ait, ut quod sciret utile Dea mortalibus, ipsa præstaret. Altero die Sacerdotis filij inventi mortui, ex quo probatum, morte malorum vitæ hujus catastrophe, nihil utilius. *Serv.* in Comment. in Virg. *Seneca* de consol. ad Martiam: *Mors omnium & solutio & finis est, ultra quam mala nostra non exeunt.* Item, *Non potest esse miser, qui nullus est.* Alterum malum est

2. *Malum turpe*, peccati. In peccato concipimur & fovemur, Psal. 51.7. Et hanc ob causam Patres Concilij Nicæni sanxerunt, ne quis Christianorum natalem suum celebraret, quia qui nascatur, incipiat peccare Deumq; offendere. Quales nascimur, tales vivimus. Cogitationes cordis nostri pravæ à puero, Gen. 8.21. Peccatum etiam regenitis, quamdiu in carne vivunt, adhæret, eo solicitantur quotidiè ad scelera omnis generis, gravantur cursuri in stadio pietatis, Heb. 12.1. ut ingemiscere cogantur cum Paulo, *Scio quòd non habitat in me id est, in carne mea bonum. Nam velle adest mihi, sed ut quod bonum est perficiam, non assequor, &c. Æ-rumnosus ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis.* Rom. 7.18-24. Contrà dies mortis à jugo isto nos liberat. *Qui enim mortuus, justificatus est à peccato, &c.* Rom. 6.7. Corpus officina peccati computrescit in terra, anima eo soluta vivit Deo, usque quò ei à peccati inquinamentis repurgato & glorificato reddatur. Hinc *Methodius* mortem definit, quòd sit.

φαιδρότητα καὶ ἄνεσις ψυχῆς, & σώματος. Sicut dies mortis clausula vitæ miseræ, Ita vicissim est

b. *Initium vitæ beatæ, &c.* Dies mortis non tàm dies mortis, quàm nativitatis, utpote quâ renascimur ad vitam illam, quæ demum verè vita: Vita omnium ærumnarum expers, nullo econtrà boni genere carens, gaudij plena, Psalm. 16. 11. Vita sancta, quâ nec peccabimus, nec peccare poterimus, sed Deo justitiæque vivemus in solidum: Vita porrò æterna, ubi nulla mors, nullusque mortis metus. Huc pertinent quæ Bernhardus ait: *Diem mortis Martyrum, non nativitatis solennizat Ecclesia; mortem tamen eorum natalitiorum nomine nominans, quibus factus est de morte natalis. Tunc enim ceperunt de morte nasci ad vitam, cùm vitam deposuerunt pro vitâ.* Serm. de Joh. Baptistâ.

Usus. Harum rationum consideratio nos ad promptè hilariterque moriendum commovere potest, & debet utique. Quis adeò impius, adeò ingratus, qui non malit Deo vivere quàm mundo & peccato: Deum creatorem, Redemptorem colere, quàm offendere; justus quàm injustus esse? Christus ait Matth. 18 6. Satius esse dira morte occubuisse, quàm peccato ansam dedisse. *Qui peccato mortui sunt viventes in Christo, feliciores sunt illis, qui vivunt in peccato.* Orig. Hom. 7. in Num. *In votis nobis debet esse mors, cùm dies nativitatis origo sit peccatorum, & nobis vitam hanc quasi fœnebrem pecuniam usurario quodam cumulo gravescentem, oneravi indies peccatorum are sentiamus.* Ambros. l. de fide resurrect. Quis adeò demens, adeò sibimet ipsi suæque felicitati contrarius, qui malit angi potius quàm lætari, molestè laborare quàm quiescere, certare quàm triumphare, afflictum esse morbis, paupertate, contemptu, &c. quàm tutum & exortem esse his omnibus, & æterno perfrui gaudio? Quis est qui squalido carceri diu inclusus, cùm exitus patet, egredi renuat? Atqui ergastulum corpus istud. 2. Cor. 5. 1. Quare sancti lætati sunt hinc migraturi, aut felicem ex hac vita exitum desideravere, ut Eliæ, Simeonis, Stephani, Pauli exempla testantur. Et certè si eximium quid nasci, quia vivere dulce: longè optabilius erit mori, quum post mortem demum vera vita incipiat, cui præsens ista comparata, nihil quàm continuus mortis prodromus. *Cùm unicuique mortalium sub quotidianis vitæ hujus casibus, innumerabiles mortes quodammodò contineantur, quandiu incertum est, quanam earum obventura sit, quæro utrum satius sit, finam perpeti moriendo, quàm omnes perpeti vivendo.* Aug. 1. de civ. Dei. 11. Unâ, quæ non tam mors, quàm janua vitæ.

Quem-

Quemadmodum enim satis magno cum periculo puer ex angustâ illâ materna alvi cellula in amplum hoc & jucundum cœli lumen editur: Sic homo per illam mortis portam ex hac misera vita in perpetuam vitam immigrat. Et quanquam hoc cœli spatium, in quo jam vivimus, item illa terra magnitudo satis ampla videantur, multò tamen sunt minora & angustiora, si ad futuros cœlos compares, quanto uterus maternus angustior est eo mundo, in quo jam sumus. Mortua tua est, hoc interpretor, desiit peccare, desiit jactari, desiit misera esse. Lipsi. Cent. 2. Epist. 30.

HOMILIA III.

TEXTUS v. 2, 3, 4.

Melius est adire locum luctus, quàm adire locum convivii; eò quòd ille est finis omnium hominum: qui autem vivit, inditurus est illud animo suo. Melior est indignatio risu, quia tristitiâ vultûs melior efficitur animus. Animus sapientum erit in loco luctus: animus autem stolidorum in loco lætitiæ.

QUAM periculosum sit Vanitatibus hujus seculi corde deditum esse, verbis gravissimis exponit D. Jacobus c. 4. 4. *Adulteri & adulteræ nescitis amicitiam mundi inimicitiam esse adversus Deum.* Nihil certè horrendum ac devitandum magis, quàm inimicitia cum Deo. Quid enim infelicius cogitari possit illo homine, qui Deum habet adversarium? In hunc enim quadrabit illud

illud, Esai.33.14. *Quis diversabitur ex vobis cum igne consumente.* Magnum igitur operæ precium fecit sapientissimus Rex Salomon, qui modis omnibus à consectandis vanitatibus hujus mundi, rebusque terrenis, abducere hominem suo hoc Ecclesiastæ libello aggressus est.

Ac præcedd. quidem 6. capp. multiplicem rerum sublunarium vanitatem declaravit, quæ cuivis felicitatis veræ cupido oculos aperire, ac veternum, quo rebus mundanis securè indormijt, excutere poterant: nisi Satan qui hujus seculi princeps, in præstringendis plurimorum mundanorum oculis palmam præriperet.

Huic scopo insistens Salomon, hujus seculi gaudia ac voluptates in tantum rejicit ac damnat, ut luctum & tristitiam illis præferat, velut longè conducibiliorem ac exoptatiorem: planè ad mentem Servatoris, Luc.6.v.21.25. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis: Væ vobis qui ridetis nunc, nam lugebitis & flebitis.* Παράδοξον sanè mundanis ingenijs ridiculum: nihil tamen præter rationem Salomon asserit.

Exponitur illud *duabus sententijs:* quibus dein *Conclusionem* subnectit.

DE PRIMA SENTENTIA.

Prima hujus sententiæ, Tum Propositio, Tum Confirmatio attendenda.

I. *Propositio est: Melius est ire ad domum luctûs, quàm ire ad domum convivij*, v.2.3. *aut domum lætitiæ*, v.4.

Domus luctûs vocatur, quâ mortuus aliquis lugetur; sive illa, quâ diem obijt & è quâ exportatur; sive locus sepulcri, aut templum, quo de novissimis sermo habetur.

Domum convivij, vel *lætitiæ* intelligit, quâ convivia, compotationes, gaudia profana, scurrilitates, ludi, tripudia, &c. agitantur. Jam comparatione institutâ, melius, ait Salomon, esse, Ire ad domum luctûs, quo plangor funebris instituitur, quàm ad domum convivij, quo præpotationes, commessationes, lætitiæ, ludique agitantur.

DOCTRINA I.

Primò ergò non interdicit *convivijs honestis, verecundis, frugalibus:* licitum ea celebrare, & adire pijs. Vide Hom.1. in fin. in cap.2. Ecclesiast, quia fine bono, ad amicitiam piam & mutuam ædificationem, serva-

servataque aureâ mediocritate, celebrantur. Improborum hominum in cauponis ac popinis conventus, ad luxum profanum, scurriles delicias, crapulam, tripudia, libidines impuras, jocos obscœnos, &c. institutos, nemo probaverit, cui mica pietatis, honestatisque inest. Tales igitur prorsus non adeundi, sed cavendi.

DOCTRINA II.

Secundò, innuit, *lugendos esse mortuos*. Equidem Concilio Toletano conclusum legitur: *Episcopi Christianis omnibus mortuos lugere prohibeant*. Sed hoc ipsum indicio est, quàm non possint concilia errare. Contrarium testantur *exempla Abrahami*, Gen. 23. *Josephi*, Gen. 50. 1. *Davidis*, 2. Sam. 1. immò *Christi* ipsius, Joh. 11.

Graves sunt hujus rei *causæ*. Neq; enim tàm tristamur & lugemus ob demortuos pie defunctos, quasi deterior esset eorum post mortem status. *Beati enim sunt ab hoc tempore*. Apoc. 14. 13. Cur igitur tristaremur ob eos, qui in cœlis ovant & triumphant? cur atris vestibus indueremur propter eos, qui stolis albis cœlestis gloriæ amicti sunt, Apoc. 7. 14. Sed lugemus 1. cùm recordamur originis mortis, adeoque communis miseriæ, cui omnes per peccatum sumus implicati. Origo enim mortis peccatum, Rom. 5. peccatum Dei iram in nos concitat, & per eam sic consumimur. Ps. 90. 7. Impietas igitur in Deum foret, si Deo irascente & puniente, non moveremur.

2. Lugemus ob decessum amicorum nostrorum, quorum societate nobis posthac frui non liceat in hac vita. Nunquid enim dolorem pareret, quòd mors alteram quasi cordis partem nobis è corpore succidat? Nihil sensit Adam, dum corpus ei Deus aperuit, costam exsecuit, quia uxorem formaturus & associaturus erat, sed sensit post cùm alia ratione per mortem Evæ cor ejus veluti discissum est. Peccaremus igitur in naturam, si truncorum instar sensu carentium minus moveremur: nec homines nos humanis affectibus, quin etiam amore erga demortuos sincero præditos, declararemus. Cumprimis ingens lugendi ratio sese prodit, quando ijè medio nostri abripiuntur, qui in rupturam steterunt, Ezech. 22. 3. uti metuendum ne abrepti sint ante obventura mala, Esa. 57. 1. Peccaremus igitur in publicam Ecclesiæ Patriæq; salutem, si siccis ocubis funera eorum aspiceremus, nec simul lamentosis gemitibus pacem Jerusalem voveremus, Psal. 122. 6. &c.

Moderatè tamen id agendum, ac animum resumendum eâ consuetudine Judæi declararunt, ad quam hîc secundum quosdam Salomon alludit, quòd sc. in funeribus convivia celebrare soliti sint, quibus ex luctu recrearentur, ut liquet ex Jerem. 16.,7,8. *Quum mortui fuerint magni & parvi in terra ista, non sepelientur; neque plangent eos, neque cæsuram sibi neque calvitium inducet sibi pro illis quisquam. Neque impertientur cibum illis in luctu ad consolandum ullum de mortuo, neque bibendum tradent eis ex poculo consolationum de patre ullius, & de matre ullius eorum. Denique in domum convivij ne ingreditor, ut assideas eis, &c.* quem in locum Hieronymus: Mos est lugentibus ferre cibos, & præparare convivium, quæ Græci περιδεῖπνα vocant; & à nostris vulgò appellantur parentalia, eò quòd parentibus justa celebrentur. Et eôdem spectare existimat illud Proverb. 31.6. Idem liquet ex loco, Ezech. 24.17. Tobiæ 4.18. Exempl. 2. Sam. 3.35. Joseph. lib. 2. de Bell. Jud. scribit; Archelaum defuncti parentis mortem septendiali epulo ferali, populo prolixè exhibito; luxisse & celebrasse. Vide StucK. Antiq. 1. 1. 26. Etsi verò necessarium non sit epulas ferales exhibere in defunctorum exequijs, moderatio tamen in luctu aliàs tenenda juxta monitum Apostoli, 1. Thess. 4.13. &c. Unde præclarè *Cyrillus*, lib. 7. in Joh. *Hujusmodi*, inquit, *luctus debet esse moderatus, ne in nobis argumentum esse videatur incredulitatis, de animæ immortalitate, aut futuræ carnis resurrectione. Cum enim gravi contabescimus luctu, ob ademptum nobis mortè amicum, & solis indulgemus lachrymis, indolere videmur aut animam ejus periisse simul cum corpore, nec post dissolutionem carnis superstitem, aut ipsum nunquam conjungendum rursus corpori in dissolutione seculi.* Con. Lev. 19,28.

Porrò etiam *lugendum esse cum lugentibus*, Rom. 12.15. adeundi & consolandi ij, qui ob defunctos sunt in mœrore; adeundæ exequiæ, justaque piis exsolvenda, qui mortui sunt in Domino. Sic magna fuit frequentia in funere, *Samuelis*, 1. Sam. 25.1. *Abner*, 2. Sam. 3.32. *Josiæ*, 2. Chron. 35.25. *Naamanis*, Luc. 7.12. *Filiæ Jairi*, Matth. 9.23. *Tabithæ*, Act. 9.39.41. *Stephani*, Act. 8.2. Rectèque hodie faciunt, qui exequiis frequentes adsunt, præsertim piorum, & conjunctorum: quanquam magno id fiat discrimine, juxta vetus illud:

Stirbt der Reich, so acht man mit der Leich.
Stirbt der Arm, so gehts daß Gott erbarm.

II. Con-

II. *Confirmatio Primæ Sententiæ.*

Si ista assertio mundanis ac profanis proponatur, insanivisse dicent Sapientissimum. Quis enim dicent, non malit œnopolium aut cauponam ingredi, ubi lætari, comessari, saltare, ludere, deliciari liceat; quàm ubi flendum, lugendumque est, nihilque gaudij affluit. Nec aliter judicabunt, quicunque carnis dictamen sequuntur, satius esse in œnopoliis quam Templo versari. Audiamus igitur Salomonis rationem, quibus sustulcit suam assertionem.

Ea est, *Quod in domo luctûs sit finis omnium hominum; & vivens ponit super cor suum.*

Per *finem* intelligitur Mors hominis; tum quod mortem consequitur, Judicium ultimum; indeq; vel æterna condemnatio quæ impijs, tum æterna vita quæ pijs destinata est: Harum rerum consideratio instituitur in domo luctûs, ab exemplo defuncti, tristiq; funeris spectaculo.

Quanta verò sit hujus considerationis utilitas seqq. docet, *Et vivens ponit super cor suum.*

Viventes intelligit, qui de morte impiæ securitatis & peccati revixerunt, nec in peccatis amplius sunt mortui; cujusmodi sunt omnes verè regeniti; hi enim resuscitati sunt ad vitam justitiæ.

Duplex igitur viventium genus: Quidam enim Mortui viventes sunt: de quibus Luc. 9. 60. Quidam & naturali & spirituali vitâ pollent, qui sc. vivunt Deo per fidem Christi, Gal. 2. 20. studentes operibus lucis & sanctimoniæ.

De his ait Sapiens, quod ita versentur in domo luctûs, *ut ponant super cor suum:* h.e. ad animum sibi revocent fragilitatem & miseriam humani generis edil. Cogitant de suo quoque fine perinde, vidi. sibi quoque moriendum, Syr. 38. 23. *Memento juris mei, hoc quoque justum esse, hodie mihi, cras tibi.* Denique studeat vitæ emendandæ, abstinent à vitijs, ut se ad beatam vitam præparent, considerantes incertissimum esse finis & mortis nostræ tempus.

DOCTRINA.

Sugiter, idque *seriò de Morte & Fine cogitandum.*

Ac hujus quidem meditandi materiam amplissimam nobis exhi-

bent funebres exequiæ. Cùm ad funus vocamur, nunquid velut missis legatis mortalitatis nostræ nos meminisse vult Deus? Cùm funus sequimur, quid aliud cogitandum nobis, nisi quòd mox secuturi simus: Viam esse istam omnis carnis. Quum tumulos & sepulcreta premimus, annon uno ore clamant: *Terra es, & in terram reverteris*, Gen. 3. 19. conspectus humani cadaveris, aut saltem capuli, quo qui modò inter vivos ambulabat, è hominum conspectu ereptus humi defoditur, *quid non docent si mori in hac vitâ discendum est.* Sen. de brevit. vitæ c. 6.

Profectò nihil adeò ad pietatem revocat quàm seria mortis meditatio, Syr. 7. 30. *In omnibus sermonibus tuis memento finis tui, & non peccabis.* Hoc fine tantopere passim S. Patres eam inculcant, tanquam præsentissimum adversus peccatorum omnium tentationes amuletum. Gentiles item scriptores non pauci, qui de moribus scripserunt. Basilius: *Summa est*, ait, *sapientia mortis.* Plato, *Vita sapientum mortis meditatio.* Petijt eam sibi à Deo dari. *David*, Psal. 39. 5, 6. *Moses*, Psal. 90. 12. Exempla in historia sacra et profana narrantur illustria, quibus in id incubuerunt, ut extremi mortis fati semper meminisse possent, ut *Abrahami* Gen. 23. *Josephi* Arimatheensis, Joh. 19. 41. *Ægyptiorum*, in quorum convivijs effigies hominis mortui circumferebatur, singulisque convivarum dicebatur: *In hunc intuens pota, & oblectare, talis post mortem futurus.* Philippi Macedonis: Saladini: *Maximiliani* I. *Caroli V.* apud *Lipsium* in monit. *Wilhelmi* Hassiæ Landgravij, ref. Thuano l. 104. aliorum. Equidem ingrata valdè ac amara mortis meditatio illis, qui illecebris hujus seculi dediti sunt: atque ideò mortis cõmemorationem omnem aversantur: ut fecisse legitur Artabanus. Cùm enim is vidisset Xerxem illachrymari exercitui suo numerosissimo, quòd post 100. annos nullus ipsorum superfuturus esset; respondit ille: *Quoniam humanæ vitæ conditio talis est, qualem tu exponis, eam commemorare supersedeamus, neque tristium faciamus mentionem, quum jucunda in manibus habeamus.* Herodot. Immò quod pessimum, considerationem mortis trahunt, non ad piè, sed luxuriosè potius vivendum. Sapient. vers. 2. 5. Esaiæ 22. v. 12. &c. Plurimorum tanta est cæcitas, ut licet eant ad domum luctus, experianturque quotidiè mori homines, nec ipsos lateat, quod & ipsi morituri sint, mortem tamen suam non ad animum revocent, nec ad eam se præparent, cum sæpè sit in januis. Nempe occæcantur à Satanâ, qui persuadere homini nititur, procul adhuc abesse mortis tempus, vires validas, minimùm hoc anno supervicturum

rum; quo elapso iterum illud & tertio, quartoque anno inculcat; ut sic à præparatione ad mortem abductus, imparatus tandem occumbat.

Usus. Attendendum ergo & sequendum Consilium Salomonis; ut libenter & frequenter adeamus domum luctus, h.e. exequijs interfimus. Et quidem, ut *viventes*, non ut mortua cadavera, stipites, canes; sic ut ad cor apponamus, mortalitatis nostræ recordemur seriò; indeque ad vitæ emendationem, ac præparationem ad beatam mortem incitemur. Nec Satanæ persuasionibus aures præbeamus, sed quemlibet diem ultimum statuamus, nihil de crastino die præsumentes. Prov. 27. 1. Jac. 4. 13, 14.

)(Hujusmodi utilissima prorsusque necessaria finis & mortis meditatio, cùm in *domo Convivij* locum non habeat, sed ab eâ potiùs abstrahatur homo, sic ut ad profanam securitatem ac impietatem exinde prolabatur; rectè judicat Salomon, melius esse domum luctus, quàm convivij adire; immò non melius esse modò; sed perniciosissimum homini, si hanc frequentare in more positum habeat.

Mundani quidem hanc illi præferunt, sed suo damno. Sunt enim sanè domus ejusmodi scholæ ac gymnasia profanitatis ac impietatis: omnis; quibus se, cuique gulæ ac luxui indulgere pro lubitu permittitur: Hinc lascivia quævis. Exod. 32. 6. Prov. 6. inhumanitas; Amos 6. 4. 6. Luc. 16. 19. blasphemia ac contemptus divini nominis, ac Religionis: Esai. 5. 12. Job. 1. 5. Prov. 30. 9. Deut. 6. 11. c. 31. 20. Pudor omnis exulat, omnemque eanum instar, verecundiam ac timorem exuunt intemperantes. Esai. 56. 11. Judæ vers. 12. Hinc D. *Ambrosius*, Epist. 36. probat, gulam cum Idololatriâ & Apostasiâ maximam habere connexionem. Certè cum Idololatriâ; quia istorum hominum Deus venter est: ut meritò *Clemens Alexandrinus* 2. Pæd. c. 1. eos comparavit cum Asino marino, de quo fertur quòd sit ἐντερόλογος, h.e. cor in ventre habens. Cum Apostasiâ verò; quia pietatem omnem exuunt gulosi: Constat gulositate illectos Israëlitas, ad Moabitarum sacra transivisse. Num. 25. ijdem propter ollas Ægyptum repetere voluerunt. Exod. 16. 3. Num. 14. 4. *Eusebius* de præparat. Evang. libr. 8. cap. 5. confert gulosos illis animalibus, quibus comedendi bibendique copia non ad aliud, quàm ad perniciem suam solet offerri. Hæc omnia stare cum seria mortis meditatione non possunt: Unde veritas monitorum Salomonis patet.

HOMILIA IV.

TEXTUS ℣.3,4.

Melior est indignatio risu, quia tristitiâ vultus melior efficitur animus. Animus sapientum erit in loco luctus; animus autem stolidorum in loco lætitiæ.

HUjus sententiæ iterum tùm *Propositio*, tùm *Confirmatio* spectanda.

I. *Propositio est, Melior ira risu, v.3.*

Vulgò de *irâ* accipiunt, quâ quis cum severitate, ac irato vultu alterius vitia carpit ac corrigit; quia hoc longè utilius sit, quàm si ei arrideret. Quod ut verum est, sic non videtur ad præsentem locum spectare: quia de correctione proximi acturus est Salomon ℣.5. & seqq. Nec adjecta ratio huic interpretationi favet, quando pro *irâ* subditur *tristitia* quæ cor emendet. Ira ergò pro tristitia sumitur, quâ quis in se ipsum quasi excandescit, ac tristatur ob peccata, quæ in se ipso agnoscit, ac detestatur, quorumque emendationem expetit. 2. Cor. 7.10. Exempl. Publicanus, Peccatrix, Petrus, Paulus, alij. (Aut intelligitur Ira seu Tristitia, quæ ex cruce, calamitatibus, rebusque adversis oritur: Heb.12.11. maximè ex decessu aut funere tùm nostrorum, tùm aliorum, quibus interfumus.) Unde non omnis ira culpanda. Hujusmodi ira præfertur risui. Risus non omnis damnatur, sed immodicus, futilis, scurrilis, sardonius, cachinnus malitiosus, irrisio perversa proximi. Aut risus seu gaudium, è rebus secundis ac prosperè fluentibus prodiens, immodicus. Vid. Hom.2. in cap.2. Eccl.

Hìc verò risus intelligitur, quando quis gaudium capit è suis vitijs, sibique ipsi in eis blanditur ac perplacet, denique in illis securè deliciatur; quæ profanorum hominum est consuetudo, sic peccatis & sceleribus insistere, ut cuncta in risum trahant, quasi re benè acta. Exempl. Cham. Genes. 9.22.25. Ismaël Genes. 21.9. Rom. 1.32.

II. *Confir-*

II. *Confirmatio posterioris sententiæ.*

Lætitiam præstare tristitiæ per se, est indubitatum. Nam hic scopus est omnium sanctorum, ut effugiant æternum væ, atque gaudio immortali fruantur: sed prout hîc Salomon risum ac tristitiam capit, omninò certissima ejus assertio; ejusque observantia gradum struit ad devitandam æternam illam tristitiam, & assequendam æternam illam in cœlis lætitiam apud Deum: de quâ Ps. 16.11. Juxta Christi sententiam, Luc. 6.21. ubi de hujusmodi transmutatione futurâ docet, quâ qui hîc tristantur, ibi lætabuntur; qui hic rident, ibi ejulabunt. Exemp. Epulo & Lazarus.

Ratio autem est in verbis: *Quia per tristitiam vultus exhilarabitur Cor*, alij *Corrigitur*: sensu non alieno; etenim ex resipiscentia cordis, gaudium in Domino prodit.

A. Quod si ergò per tristitiam ea intelligitur, quâ quis suis peccatis indolet; certum est, per illam cor emendari, ac refici. Est enim illa principium Resipiscentiæ ac Conversionis hominis. Unde gaudium oritur in Domino, ex sensu reconciliationis cum Deo, quod percipiunt, quotquot verè tristati ob peccata, resipuerunt, de quo Paulus Phil. 4.4. & Gal. 5.22. Quod gaudium æternum tandem illud in cœlis excipiet.

)(Hujusmodi effectum risus vel gaudium profanum non parit; dum sc. impij securi in peccatis deliciantur; tùm enim vel maximè & remotissimè distant à verâ Cordis resipiscentiâ. Hocque statu positi æternùm pereunt: sine sanctimoniâ enim nemo videbit Dominum. Hebr. 12.14. Ridentes plorabunt. Luc. 6.25. Ergò juxta monitum Salomonis, præeligamus tristitiam istam sanctam, præ risu & gaudio profano. Instabile hoc & vanum; Illa perenne gaudium parit. Linquamus lasciviremundanos, nec invideamus illis; Agnoscentes gaudium in Domino omne mundi gaudium, immò omnem intellectum superare.

B. Quod si Salomon respiciat ad res secundas & adversas, rursus verissimum est, mœrorem, dolorem, & angorem, qui è calamitatibus & afflictionibus oritur, omninò præferendum esse lætitiæ ac gaudio, quod res lætè fluentes pariunt. Usque adeò ut satiùs sit longè cruce à Deo subinde castigari; quàm ut omnia semper cedant ex voto animi, &c.

Ratio, *Quia Adversitates cor emendant.* Sunt instar antidoti, quo virus peccati de corde pellitur; instar falcis vinitoriæ, Joh. 15.2. pharmaci purgantis, quo pravi vitiorum humores ejiciuntur, econtrà ad pietatem infor-

mamur. Ex: Hagaris, Davidis, Nebucadnezaris, Manassis, Jonæ, Prodigi, aliorum. Job.34.37.1. Cor.11.32. Conf. Psal. 94.11. & 119.71. Contrà *res secundæ inflant*, & securitatem carnalem gignunt, atque ita animum hominis afficiunt, ut jumenti instar saturati ferociat, & luxurietur, abjecto Dei timore, suiq; adeò ipsius ebriosi instar ratione privati obliviscatur. Exemp. *Israelitæ*, Deut. 32.15. *David*. Psal.30.7. *Ussias*.2.Chron.26.16. Difficile fesso, recumbenti in lecto, oculos à somno continere, ita, &c. Es müssen starcke Beim seyn/ die gute Tag ertragen können.

Usus 1. Moderatè igitur prosperitate utendum, Rom. 13. 14. 1. Cor.7.30. ne aut Dei aut nostri obliviscamur. Deut. 8.10.

Usus 2. Ne igitur adversitates refugiamus, Job. 5.17. sed expetamus potiùs, Jerem. 10.24.

Sim. Si quis corporis aliquo gravi morbo laboraret, ac medicum vel medicamentum sciret probatum, quantâ illud aviditate expeteret? Gravissimus verò ac lethalis summè cordis nostri affectus, qui nos ad peccatum & securitatem inducit, abyssus omnium malorum, & origo venenatissima: Matt.5.1,19. Medicina huic morbo convenientissima, crux: quin igitur exoptata potiùs nobis illa esse debet, quàm invisa. Atque omninò, si nobis optio daretur inter crucem, & gaudium mundi interruptum; illam præeligamus, aut cum Agure saltem medium. Prov.30,8. Itemque *Amasis* Ægyptiorum Rege: *Catharina*, Henr.8.Reg.Angliæ uxore.

DE CONCLUSIONE SENTENT.

Cor sapientum ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia. ℣.4. q. d. Qui verè sapiunt, magis operam dabunt, ut si non semper corpore liceat, ast corde, animo, ac cogitationibus versentur locis tristibus, ut humanam miseriam spectent, expendant, lugentes solentur, juvent, &c. pro illis precentur: quin & ipsi animum ad tristia magis propensum habebunt, quàm vanum gaudium; meliusque ipsis erit si adversis, quàm si secundis utantur. Stultis contraria erunt vota in omnibus, eoque nomine verè sunt stulti: quia in rem modò præsentem, atque hoc ævum feruntur, brevi finiendum; futuræ æternitatis nullam habentes rationem.

DO-

DOCTRINA

Unde liquet, *quanta sit inter sapientiam mundi & cœlestem distantia:* quia planè in diversum abeunt: ut quod illa probet, hæc improbet, & vicissim. 1. Corinth. 2. v. 14. & cap. 3. v. 19. Utra rectius. Divina sapientia verè sapientia, quæ in Domini Timore subsistit; quæ aliena est a profano luxu, & in tristibus magis occupata: licet eam mundus pro stultitiâ habeat: *Stultitia Dei sapientior quàm homines.* 1. Corinth. 1. 25. Agamus ergò quod Paulus monet. 1. Cor. 3. 18. Patebit aliquando, qui rectius statuerint, Malach. 3. suoque malo experturi sunt sapientes hujus seculi, ac confessuri, quàm se turpiter deceperint. Sap. 2. 1. &c.

Gloria & Gratia Tibi Domine JESU.

HOMILIA V.

TEXTUS v. 5, 6.

Melius est audire increpationem sapientis, quàm ut quis audiat canticum stolidorum: Nam ut crepitus spinarum sub olla, ita est risus stolidi: etiam hoc vanitas est.

COmparat sapiens primâ hâc capitis parte, gaudium ac risum mundanum, cum luctu & mœrore; huncque longè præstabiliorem ac utiliorem esse docet inductione aliquot sententiarum; ut ita hujus mundi vanitatem, ac deliciarum ejus, tantò validius perstringere ac explodere possit: Dixerat ideò,

Nomen bonum (quod non sine vitæ austeritate comparatur)

Melius esse balsamo (quod ad luxum adhiberi consueverat.)

Melius esse diem mortis, quàm Nativitatis:

Melius adire & versari *in domo luctûs, quàm convivij,* quâ gaudia profana agitantur.

Meliorem esse iram (tristitiam è peccatorum conscientiâ, aut rebus adversis ortam) *risu*, &c.

Huic themati insistens, docet seqq. versib. 5,6,7,8. *Correctionem* vitiorum, quæ certè non sine aliquâ mentis perturbatione excipitur, præstabiliorem longè esse cantico stultorum, sive adulatione, quæ lætitiam haud levem excitat in animis eorum, qui ipsam acceptant.

Hic ergò tria capita veniunt discutienda:

1. *Propositio huius doctrinæ.*
2. *Eiusdem Confirmatio.*
3. *Eius assequendæ modus ac ratio.*

DE PRIMO.

Propositio est v. 5. *Melius audire increpationem sapientis, quàm ut quis audiat canticum stultorum. Increpationem* intelligit, quâ peccata, nævi & offensæ cuipiam exprobrantur, emendandi ipsum studio: Præferturque illa *cantico stultorum*, h. e. blanditijs & adulationibus stultorum, quæ suaviter aliàs solent harmoniæ instar animum adficere, ac titillare. Hic quædam nobis *de Correctione* & *Adulatione* observanda veniunt πορίσματα.

DE CORRECTIONE.

Corrigens. I. *A quo* illa instituenda? *A sapiente.* Talis autem dicitur tùm ratione sui ipsius, tùm ratione modi quem in corrigendo adhibet.

A. *Sapiens* esse debet *personæ suæ* respectu, h. e. probus, pius, irreprehensus: Est enim Timor Domini initium sapientiæ. Ideò David petit corrigi à justo, Psal. 14. 1,5. *Percutiat me justus, erit misericordia: & increpet me, & erit oleum præcipuum, quod non frangat caput meum.* Paulus vult, ut qui *Spirituales* sunt, h. e. qui à spiritu Dei aguntur ad fidem & pietatem, instaurent lapsos ex infirmitate. Gal. 6. 1. Hujusmodi enim Correctio, profecta à sapiente tali, majoris omninò est authoritatis & efficaciæ, majorique παῤῥησίᾳ à corrigente suscipitur. Secus enim si vel ijsdem vel alijs

nævis

nævis laboret, valet illud; *Turpe est Doctori cùm culpa redarguit ipsum.* Objicii potest illi dictum illud Luc. 4.23. *Medice cura teipsum*: Item, *auser prius è tuo oculo trabem*, Matth.7.5. Tum verò magis confirmatur in vitijs ac irritatur, qui emendari debet, quàm ut desistat; adeòque pejor evadit.

Usus. Quisquis igitur alium corripere & vitia dedocere vult, à seipso incipiat, sapientiam inducat in animum, vitæq; innocentiæ det operam. Plus enim exempla movent, quàm verba vel monita. Quod vel maximè observandum ijs, quorum vocatio aut conditio id efflagitat, Magistratus, Pastores, Præceptores, Parentes: Quamquam cuivis Christiano alium ædificare & corrigere conveniat. Est enim opus Charitatis Christi inæ, ad quam omnes adstricti sunt.

B. Sed & in Corrigendi modo sapiens esse debet, h.e. sapienter eum instituere:

a. Primò quidem, ut delectum & *discrimen faciat inter corrigendos*: Sunt enim quidam præfracti & malitiosi peccatores, quibus peccare voluptuosum est: sunt alij, qui ex infirmitate carnis labuntur: Illi omninò severius tractandi; (Uti Paulus Tito de Cretensibus præcepit. Tit.1.13. *Eos redargue to præcise*,) & quasi cum violentiâ ex igne eruendi, quantum fieri licet. Judæ 22. Hi verò cum spiritu mansuetudinis corrigendi, h.e. amicè ac blandè de vitijs monendi sunt; non torvo vultu, acribusque verbis, aut contumeliosè insectandi aut exagitandi: Gal.6.1. 2. Tim. 2.24,25,26.

Ratio, Ne per tristitiam spiritus absorbeatur; sicuti de excomunicato ait Apost. 2. Cor.2.7. aut ne conscientia nimis prosternatur, &c.

)(. Errant igitur qui præfractos mitius habent; ut Eli filios suos, 1. Sam.2.23,24. aut qui infirmiores, & qui aliâs conscientiâ prostrati sunt, rigidius æquo tractant.

b. Ut verum *correctionis scopum* præfixum habeat: Nempe, Ut ex affectu sinceræ charitatis ac commiserationis, studeat proximum exorbitantem emendare, ædificare, servare. *Quapropter rogamus faciatis in illum charitatem.* 2. Cor.2.8. Conf. 1. Petr. 4.8. Non ut pudefaciat, ei insultet, insectetur, vindictam exerceat, imperitandi libidine seipsum ostentet. *Non ut vos pudore suffundam hæc scribo, sed ut filios meos dilectos admoneo.* Unde odium adversus peccata veriùs, amor erga peccatorem exercendus. Levit.19.17. *detestandus morbus potius, quàm ægrotus*, ut ait Augustinus.

c. Ut sine prosopolipsiâ adversus quosvis eam exerceat. In quo

enim sincerum est peccati odium, is citra personarum respectum, æquâ lege per se & in omnibus malum aversabitur imò vel maximè in se, & suis detestabitur. Exod. 32.27.

Quis corrigendus?

2. *Corrigendus.* Sapiens non minus est, qui corrigentem justè audit, eique obtemperat: Id enim ei optimum, quia ad ejus salutem: sicuti contrà *dementes* meritò æstimandi sunt, suæque salutis hostes, qui respuunt correctiones. Psal. 141.5. *Eruditio mala, derelinquenti iter: qui odit correptionem morietur,* Prov. 15.10. Confer c. 27.22. Quis est qui corporis Medicum aversetur? Immò quantò ille novit exactius affectum & morbum indicare, ac medicamentis, licet quandoque ingratis eundem depellere, tantò est acceptior: Quantò verò magis animarum Medicos admittere convenit, qui non corpus sed animam, non ad momentaneam ejus sanitatem, sed ad perennem corporis & animæ salutem, curare intendunt. Unde qui correctiones non admittunt, eo ipso indicant, vel nullum se sentire morbum; hæ delectari se suis vitijs, nec ullo eorum conscientiæ dolore affici, adeoque stupore quopiam periculoso laborare: vel similes esse delicatulis, qui mori potius præoptant, quàm corporis aliquam acriorem curam pati: sic enim & isti malunt deliciari in suis peccatis, quàm rigidiorem aliquam censuram ferre, utcunque periculum æternæ mortis ipsis immineat. Recalcitrant sicut equi & muli, cùm ducendi sunt, Psal. 32.9. Immò insanorum instar furiunt adversus animarum Curatores: ac rabidorum canum in morem, mordent eos, qui ex aquâ immò igni infern. eos extrahere satagunt. Quorum tamen rabies ut impunita non evadit; sic fideles illi monitores mercedem suam apud Deum non perdent. Matth. 5.11,12. Ut enim calcitrones equi stimulos & plagas magistri in se concitant: Ita, &c. Ex. Pharao, Judas, &c.

HO-

HOMILIA VI.

in Text. eund.

DE ADVLATIONE.

COrrectionem fidelem, utcunque non sine aliqua amaritudine ab ullo audiatur, (quia neminem non tristari ob peccata, ac erubescere convenit) meliorem tamen indicat sapiens esse *Canticis stultorum*.

Per *Cantica* communiter *adulationes*; per *stultos* verò *assentatores* intelligunt: notantque, unum sapientem stultis pluribus præferri: ut sensus sit. Unius sapientis increpationem potiorem esse cantilenis pluribus à numerosâ stultorum turbâ institutis. Aptissimè sanè (a) *Adulationes Canticis* (b) *Adulatores stultis* comparantur.

(a) *Adulationes* comparantur *Canticis*.

1. Ut cantilenæ, ad mulcendas aures suâ suavitate, instituuntur: Sic adulatio, ad aliorum laudes ebuccinandas, quæ avidissimis auribus arripi solent, intenta est. Unde Plutarchus titillationem appellavit. Idem adulatoria verba vocat byssina.

2. Ut cantilenæ soporem inducunt: Sic adulatio facit, ut homo in vitijs suis obdormiat, minusque in se ipso advertat. Unde pulvillo & cervicali confertur, Ezech. 13. vers. 18. *Væ consuentibus pulvillos pro omnibus axillis brachiorum populi mei; & parantibus consibulas pro capite cujusque staturæ ad venandum animas: animas venamini in populo meo &c.* Quod Gregor. Hom. 11. explicans, ait: *Qui malè viventibus adulatur, pulvillum sub capite jacentis ponit: ut qui corripi ex culpâ debuerat, in eâ sulcitus laude, quiescat.*

3. Ut Cantilenæ seu Musica, spiritus hominis excitat & exhilarat in tantum, ut eo momento felicem se existimet: Sic adulatio, ad elationem, ac stultam sui admirationem hominem incitat, ut talem se verè existimet esse, qualem falsò fingunt Adulatores.

4. Ut Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps: Sic adulatio suâ suavitate perniciem & interitum affert. Jerem. 5. 26. Prov. 29. 5. *Diogenes* apud Laërtium, *Melleum Laqueum* vocat, quò blandè strin-

gatur homo, ut stranguletur. Sic enim adulatores postquam falsis laudibus hominem vitijs deditum sopiverunt, velut veneno porrecto enecant: tales enim cum ad vitiorum cognitionem non procedant, ijs intermoriuntur: In quos proin quadrat illud Esai. 3. 13. *Populemi qui ducunt te, seducunt, & viam itinerum tuorum tegunt.* *Syrenes* suo cantu suavi audientes incantant & necant: Sic &c.

(b) Ipsi verò *Adulatores* stultis persimiles, utcunque aliâs callidi.

1. *Primò* quidem propter *levitatem ac inconstantiam*: Ut enim Moriones omnes suos sermones, actiones ac gesticulationes ad nutum & placitum eorum componunt, à quibus conducti, ut risum moveant: quæ herclè putidissima est servitutis species: Sic adulatores totos se dictis & factis ad gratiam aliorum effingunt; omnibus eorum affectibus ancillantur, flentibus aut ridentibus, aut irascentibus illis, hi similiter &c. eosque æmulantur instar *Umbræ*, quæ omnes corporis motus imitatur: *Heliotropij*, ad cursum solis florem vertentis & occultantis: *Simiæ*, quæ parasitando, gesticulando, omnia imitando, risum movet: *Hiena*, quæ omnem humanam vocem effingens, nomen cujusque ediscit, & eum subinde evocat: *Chamæleontis*, qui omnes, præter album colorem, assumit, & imitatur: *Speculi*, quod omnes colores repræsentat. *Diogenes* verè apud Dion. Orat. 3. de Regn. quod insipientiâ impudentiâq; omnes vincat adulator, quod apud eos audet mentiri, qui maximè noverunt eum mentiri: ut si hominem suarum turpitudinum benè conscium, honestatis nomine laudet.

2. Propter *improbitatem*: Improbus enim Stultus in scripturâ dicitur: Psal. 14. 1. Adulator enim juxta illud Esa. j. 5. 20. ex tenebris lucem, è luce tenebras facit, &c. vitium virtutem dicit, & vicissim pro renatâ: Nam, ut Seneca in hanc rem ait, Ep. 45. *Temeritas sub titulo fortitudinis latet; Moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur, &c.* Sunt enim vitia quædam virtutibus valdè affinia, quibus adeò fraudulenter virtutum titulos tribuit adulator: sicuti calumniator virtutes sub vitiorum nominibus traducit.

Consect. 1. *Adulator itaque dum amicus certissimus videri vult, omnium tamen periculosissimus ac nocentissimus est inimicus*: quia dum peccatis connivet, atque in illis delinquentem confortat, perniciem ei infert. Medici instar noxij ac infidi, qui voluptatem potius ægroti quàm sanitatem pro metâ gerendorum habet; eoque ad omnia connivet ægroto

pro

pro ipsius appetitu, etiam cum in vetitum & noxium nititur: cùm è contrà prudens ac fidus Medicus nihil horum permittat ægroto, sed hujusmodi appetentem corripiat ac refrænet. *Plus persequitur lingua adulatoris quàm manus persecutoris.* Augustin. in Psal. 59. Sicuti vulpes caudâ blanditur gallinis, ut incautas capiant ac vorent: Ita adulatores, &c. Verè proin sapiens, Meliorem dicit esse Objurgatorem, quàm Adulatorem: quia ille veri amici, ac fidi Medici; hic falsi amici, ac pestilentis Medici partes agit. Cui consonat illud Prov. 27. 6. *Fidelia sunt vulnera amici, deprecanda verò oscula oderis.* Expertus Rex *Achab. Mica verus amicus Pseudoprophetæ adulatores falsi,* 1. *Reg.* 10.

Corollar. 2. Unde qui *adulatoribus aures præbent, eosq; fovent, viperas in sinu nutriunt*; ac canes à fronte lambentes, mordentes à tergo. Verum tamen est, Hominem sibi primum adulatorem; id enim si non esset, non facilè alios adulatores admitteret. Eoque deceptionis istius ac noxæ culpam non omnem cudendam esse in blandiloquos adulatores; sed maximam partem in nos ipsos, qui divinum illud *Nosce Teipsum* non ritè ad usum revocamus, sed nobis ipsis in proprijs vitijs blandimur. Appositè *Plutarchus* Comment. quomodo possit adulator ab amico internosci. *Amor proprius facit, ut quisque sui ipsius assentator cùm sit primus atque maximus, non difficulter admittat externum, quem putat ac vult esse sibi atque accedere testem adstipulatoremq;.* Similiter *Seneca*, Epist. 59. *Cùi nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modicâ laudatione contenti: quicquid in nos adulatio sine pudore congessit tanquam debitum prendimus: Optimos nos esse, sapientissimos, affirmantibus, assentimur; cum sciamus illos sæpe mentiri.* Cyrillus (libr. 2. Apol. mor. cap. 27. qui inscribitur contra eos qui appetunt adulatione laudari) venustè admodum tales constringit: *Aut,* inquit, *rem habes laudationis materiam, aut non habes; si hanc habes, cur mendicas, cùm dives sis; & vis à vento habere, quod in te contines à virtute? attamen si indignus laudaberis velut in ironiâ, laus tibi fiet opprobrium, & commendatio vertetur in confusionem. Mendax enim laus vituperium est.*

Usus. Ergo, procul est profani, mendaces, fallaces, lethales, assentatores; oderit & aversabitur tales, quisquis sapit, &c.

DE

DE SECUNDO.

Confirmatio allatæ doctrinæ duas complectitur rationes:

I. *Prior* petita est *à Vanitate Adulationis* ℣.6.

II. *Altera* ab *ejusdem noxâ*.

1. *Prior* illa venusto simili exprimitur ℣.6. *Nam sicut strepitus* (vel crepitus) *spinarum sub ollâ, sic risus stulti: etiam hoc Vanitas.* Risum illum stulti, h.e. adulationem, comparat igni ex succensis spinis crepanti.

a. Ut enim ignis ejusmodi confragosum ac molestum edit strepitum: Sic adulatio, etsi grata ac blanda apparet; tamen cunctis qui sapiunt, seque ipsos noscunt, ingrata, suspecta ac odiosa est valde; raramque apud cordatos gratiam merentur assentatores. *Dicentem improbo, justus es, execrabuntur populi, detestabuntur nationes.* Prov. 24.24. Ex. Nunciorum mortis Saulis. 2. Sam. 1. Occisorum Isbosethi. 2. Sam. 4.

b. Ut ignis è spinis ocyssimè deflagrat ac extinguitur: Sic gaudium ex adulatione conceptum brevi evanescit: necesse enim est ea perire ac evanescere, quæ solido carent fundamento: talis est laus ab assentatoribus indignis tributa, eoque evanida.

c. Ut ignis è spinis flammam quidem ingentem, sed calorem nullum ciet ac efficit: Ita per adulationem, nemo ad pietatem, & virtutes incalescit; sed deterior potius redditur, ac in vitijs obrigescit; ut nuper dictum.

d. Ut ignis è spinis densum fœtidumque fumum conglomerat, qui oculos, fauces, nares que præstinguit: Sic adulatio mentem adimit ac corrumpit, vitaque spirituali privat.

[Quod si sententia hæc de gaudio acrisu profano accipiatur, ostendit, clamosum illum esse solere, ac propè insanum; momentaneum tamen, ac luctus doloriſque prodromum: quâ de re aliâs. Interim & hîc judicium suum vident assentatores: Neque enim impunè alios scabunt ac palpant. Equidem non exiguam illi quandoque utilitatem capiunt ex ollis eorum quibus blandiuntur; hîc enim ipsorum scopus, ut Aentri serviant, atque epulas suis assentamentis aucupentur: Idem tamen illis obtingit, quod de furtivo pane Sapiens Prov. 20.17. quod tandem *in fib-*

cos

ces illis mutetur: Idem obventurum est assentatoribus: Nam spinarum instar aridarum igni illo inextinguibili exurentur. Nahum.1.10,11. Sunt enim maledicta illa terra, &c. Hebr.6.8. Ut qui graviter peccent in *Deum*, legem ejus pervertentes, peccatoribus applaudendo: Rom.1.32. *in proximum*, eundem corrumpentes; ac spinosam quampiam confusionem in mundo excitant; ut quis laude quis vituperio dignus sit ignoretur: quâ de re Diogenes apud Dionem Orat.3. de Regno nervosè disserit: *Omnium*, ait, *vitiorum turpissimum invenias adulationem; etenim id quod honestissimum, justissimumq; in vitâ est, corrumpit, nempe laudem; ut jam amplius haud videatur credibilis, neque vera: aut* (quod omnium pessimum est) *virtutis præmia vitio attribuit. Itaq; multò pejus faciunt, quàm qui corrumpunt monetam, qui virtutem fide carere faciunt. In conscientiam* deniq; contra quam nequiter ac subdolè agunt ac loquuntur; eoque velut spinarum punctoris eandem confodiunt. Partem igitur eandem cum dolosis ac hypocritis, quorum in censum spectant accipient, Matth. 24.51.

HOMILIA VII.

TEXTUS vers. 7.

Quum oppressio adigat ad insaniam sapientem, & perdat animum donatio.

II. POsterior Ratio à *noxâ adulationis* petita, comprehensa est vers.7.

Sanè oppressio (calumnia) insanire facit sapientem, & perdit animum donatio (munus.)

Summa est; Quod adulatio instar veneni sit præsentissimi, ut qui eam admittat, utcunque sapientissimus aliâs sit, per eam nihilominus corrumpi ac infatuari possit. Exponit id Salomon Inductione specierum Adulationis: Quarum duas constituit, *Calumniam* ac *Largitionem*; illa in verbis, hæc rebus consistit.

Per *Calumniam* intelligi potest, vel *falsa laus*, ab Adulatore data: *Mendax enim laus, vituperium est*; ut rectè Cyrillus monet: vel *Detractio*, quâ proximus injuriosè traducitur, in gratiam ejus, cui quis adulatur. Per *Munus* verò largitio quævis intelligitur, ad favorem ac gratiam aucupandam directa.

Utramque adulationis speciem, tùm verbalem ac calumniosam, tùm realem, quæ in munerum oblatione consistit, Salomon escæ instar periculosæ esse dicit, ad dementandum, excæcandum, corrumpendum, ac seducendum sapientem, ac justum; quò minùs sc. ille ritè ac secundùm veritatem æstimare ac judicare possit, tùm de seipso, tùm de alijs atque eorundem rebus, actionibus, aut controversijs.

De Calumnia.

a. Ac primò quidem, quomodo per *injustam laudem*, quam Calumniam reipsa esse diximus, recto de se ipso judicio privetur homo, & tantùm non ad insaniam, aut certè insanam ac stultam sui admirationem ac φιλαυτίαν adigatur; modò dictum est, cùm de *Adulatione* ageremus.

b. Deinde Calumniam adhibent Adulatores adversum eos, quibus norunt Patronos suos esse infensos, eoque gratum se ipsis facturos existimant, si modis omnibus denigrent ac calumniosè traducant. Ita verò sapiens, qui fidem calumniæ adhibet, *insanire* compellitur; dum siniſtrum planè de rebus concipit judicium, album pro nigro, curvum pro recto, amarum pro dulci, &c. arripiendo. Quo pacto insanivit *David* aliàs sapientissimus, à Calumniatore Ziba nequiter persuasus. 2. Sam. 16. 3. *Assuerus*, Judæos morti addicturus, ob Hamanis calumniam. Esth. 3. 8. &c. *Darius*, Danielem in foveam leonum conjiciens, à Satrapis per calumniam persuasus. Dan. 6. 16. *Alexander* M. ab adulatoribus persuasus, optimos consiliarios interfecit. Atque hæc vulgaris est Assentatorum praxis, ut ipsi in gratiâ maneant, alios malitiosè traducere, ac per Calumniam ab accessu ac favore prohibere, sicque sibi aliorum dejectione gradum facere ad opimam conditionem.

Ita verò, dici non potest, *quantâ injuriâ afficiantur, qui calumniam patiuntur.* Unde quidam præsens dictum, quumde patiente calumniam interpretati essent, rectè statuerunt, eam vehementer conturbare, ac cruciare sapientem, & tantùm non ad insaniam, adige-

adigere. Exempl. *Moſe* aliâs mitiſſimus, per calumniam ſibi à turbâ ſeditioſorum Core, &c. impactam, vehementer exacerbatus legitur. *Irritaverunt etiam eum juxta aquas Meriba, & malum fuit ipſi Moſeh propter eos.* Pſal. 106.32. Num.16.15. *Jeremias*, quia Judæos à Chaldæis ſubjugandos prophetarat, ab ijs varijs calumnijs proſciſſus eſt, quod Pſeudopropheta & proditor patriæ eſſet: Hinc ejus querelæ, cap.20.8. &c. *David*, quanta à Saulitis Doëgo cumprimis paſſus? Hinc ejus precatio, *Redime me ab oppreſſione hominum, & cuſtodiam præcepta tua.* Pſal.119.134. quibus oſtendit, Calumniam à cultu Dei impedire hominem, quia ſic eum obturbet. Nec deeſt ratio: Cùm vix quicquam ſit homini ingenuo charius ac precioſius, quàm fama & honor; ſic ut qui illam læſerit, proximè intimum cordis ejus feriat. Vitam enim potius quàm famam perdere nonnemo malit. *Thearidas*, cum cote gladium acueret, rogatus an eſſet acutus? acutior, ait, calumniâ. Ita Plutarch. in Lacon. Id namque peſſimum in calumniâ, quòd quantumcunque inſons quiſpiam ſit, non tamen adeò dilui illa poſſit, quin ſemper aliquid remaneat, quod exiſtimationi hominis deroget; juxta illud, *Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret.* Cujuſmodi conſilium nefarium ſuis dediſſe fertur Alexandri M. paraſitus: *Quodlibet* (ajebat) *crimen in quemvis intendite; ut maximè enim ſanet vulnus qui læſus eſt, manet tamen cicatrix.* Nullum virus adeò inſanabile, ut eſt Calumnia: Sie läßt allezeit eine Letze. Peſſimum igitur virus Calumnia; ac latronibus diriores ſunt Calumniatores.

Quæſtio. Quum ergò pios quoſque ac innocentiſſimos homines Calumnia opprimere, ac flagellare poſſit, quæritur quæ ſint legitima media, eam declinandi, aut devincendi?

1. Primò, ſi Calumnia impacta hominibus, qui facem pietatis ac ſanctimoniæ alijs præferre debent, ad grave vergat ſcandalum; tùm certè *refellenda eſt*, & contrarium oſtendendum: *ſive Verbis*, ſeu Apologijs in eam rem decenter inſtitutis: Uti ſæpiculè fecit Chriſtus, Phariſæorum ac hoſtium calumnias validiſſimis argumentis confutando. Johan. 8. 15. & 49. ſeq. Item Paulus Pſeudo-Apoſtolorum ſtrophas, doctrinam ac vitam ſuam carpentium diſſipavit, 2. Corinth. cap. 10. 11. *ſive Factis*: Nempe ſi eorum vitiorum quorum nomine traducimur, contrarias virtutes facto & vitâ ipſâ declaraverimus: juxta conſilium D. Petr. Ep. 2. 12. e. g. ſi quis gulosus dicatur, temperantiâ calumniam refellat: ſi ſuperbus, per humilitatem: ſi avarus, per liberalitatem: injuſtus per juſtitiam: obſcœnus, per verecundiam: & ſic de alijs. Ita ſenſim expirabit illa.

2. Si minus succedant hujusmodi apologiæ, præstat falsas hominum opiniones ac dicteria excelso infractoque animo *despicere*: in morem D. Augustini Epist. ad Secund. *Sensi de Augustino quod libet, sola coràm Deo conscientia me non accusèt.* Sic Paulus: *Mihi verò pro minimo est, quòd à vobis dijudicer, aut ab humano judicio, &c.* 1. Cor. 4. 3, 4. Conf. Hom. 16. in hoc cap. Omninò enim, quam habet nocendi vim Calumnia, non in calumniantis, sed in patientis affectu ac sensu consistit. Præclarè in eam rem D. Chrysost. hom. 2. ad Popul. *Sicut*, ait, *voluptas non in ciborum apparatu, sed in comedentium affectu sita est, hoc & de contumeliâ dico, quod contumelia non à contumeliantium sententia, sed à patientium affectu constituitur vel destruitur, &c. contumelias deriseris, si verba non susceperis, & vulnere superior sis, contumeliam non es passus.*

Simil. Et quemadmodum si corpus adamantinum haberemus, etsi innumeris undique telis percuteremur, non tamen vulnera reciperemus; non enim à manu tela torquente, sed à corporibus patientibus vulnera fiunt: sic & hîc non à contumeliantium insaniâ, sed à patientium contumelias imbecillitate injuriæ & injuriarum contumeliæ constituuntur. Si enim ita judicare scianus, nec contumeliâ affici possumus, nec quicquam grave pati; Ille injuriam intulit, non sensisti, nec doluisti: non es injuriam passus, sed & magis percussisti quàm percussus es: cùm enim qui contumeliam intulit, plagam suam ad patientium animam non pervenientem viderit, ipse majorem in modum roditur, & tacentibus contumeliam patientibus, sponte contumeliarum plaga contra mittentem conversa infertur.

3. Quòd si acerba nimis sint dicteria, ut facilè adeò despicere ac concoquere non possis, tùm *causam* tuo Deo *commendes*, ipsumque vindicem ac patronum innocentiæ tuę implores; qui jus & innocentiam tuam, seu novissimo judicio manifestabit ac tuebitur. Ps. 37. 6. Jehova jus dicit oppressis. Ps. 146. 7. Exemplo sit David, qui sępe suum illud, *Judica me, &c.* ingeminavit. Psal. 43. 1.

De Δωροφαγία.

De hac aliquid jam diximus Hom. 11. in. cap. 3. Prohibetur passim. *Munus ne accipito, nam munus ipsum excæcat oculatos, & pervertit verba justorum*, Exod. 23. 8. Ita Deut. 16. 19. Esai. 1. 23. 1. Chron. 19. 6. Prov. 15. 27. & 17.

& 17.23.& 18.16. Judices similes esse debent castæ virgini, monente Plutarcho, ideoque recusandæ ab ijs largitiones corruptoriæ. Distinguunt vulgò inter xenia & munera: prætendunt posse accipi munera & tamen rectè judicari. At Sp.S. sub nomine שחד omnis generis munera corruptoria complectitur: (corruptoria, inquam, quæ enim ad conciliandam & fovendam honestam amicitiam, vel benevolentiæ & gratitudinis testandæ ergo fiunt, licita sine dubio dare & accipere.) Ait Deus munera excæcare oculos sapientum. Delicatissima res est oculus, cui vel minimus pulviculus, vel minimum fumi tenuissimi nocet: Ita etiam oculus justitiæ, &c. Excæcant oculos sapientum, ut, non malè commentante in cap. prædictum Cajetano, si non *speculativè* saltem *practicè* cæcorum instar quid justum quid injustum ignorent, parsque à qua acceperunt munera, quamcunque demum habeat causam, videatur absolvenda, aut saltem excusanda, præferenda & promovenda. Nam ut bilanx in eam vergit partem, unde plus accipit: Sic Judex Dorophagus, &c.

Sed quoties bonus atq; fidus
Judex honestum prætulit utili,
Rejecit alto dona nocentium
Vultu [Horat.]

Optima quæque de illo nobis polliceri possumus.

Talis *Epialtes* qui licet pauperrimus fuerit, attamen cùm amici decem talenta ipsi dono darent, non accepit, hæc, inquiens, me cogerent, siquidem reverenter vos haberem, aliquid præter jus concedere: sin minus vos observarem ingratissimum haberer. Memorabile quoq; est responsum, quod *Epaminondas* dedit Diomedonti, qui eum pecuniâ corrumpere voluerat; *Nihil* (inquit) *pecuniâ opus est: Nam si ea Rex vult, quæ sunt Thebanis utilia, gratis facere sum paratus; sin autem contraria, non habebit auri & argenti satis. Namque orbis terrarum divitias accipere nolo, pro patria charitate.*

HO-

HOMILIA VIII.

TEXTUS ℣.8.

Melior est finis rei principio eius: melior est longanimis quàm elatus animo.

DE TERTIO.

QUo pacto ad admittendam libenter ac æquo animo Correctionem; ac vicissim Adulationem repudiandam adduci valeamus? ℣.8.

Melior est finis rei, quàm principium ejus: melior est longanimis Spiritus, quàm elatus spiritu.

Consilium sapientis est; Judicandum esse de rebus & actionibus humanis quibusque, non è principio sed fine & exitu: Quia principium dubium ac incertum, adeoque è rerum præsenti statu, de toto illarum decursu ac conditione conjectare minus esse tutum: Ex eventu demum & fine hoc constare: Finis enim coronat opus, & in quaque re præcipuum est: ideoque in illum potius spectandum esse, cunctaque ad eum dirigenda ac referenda. Ut autem commodè hoc fieri possit, longanimitate & patientiâ opus esse, donec finis & exitus rei appetat: Ideoque satius esse, longanimi spiritu præditum esse, quàm elato: Nam qui elati sunt, ijdem fervido ac præcipiti sunt spiritu, ut omnis moræ pertæsi, finem minimè expectent; quin potius vi perrumpere conentur, affectibus suis turbidè abrepti.

Qui consilium hoc sapientis attendit, ut par est; Is *Primò Correctionem* libenter admittit, exitum considerando, quòd nimirum illa vergat ad sui emendationem ac salutem: adeoque patienter eam sufferet; nec quod elati solent, ei resistet, quasi dignitati aut existimationi suæ derogaret. In hunc sensum dicitur, *Qui redarguit hominem postea gratiam invenit, præ eo, qui adulatur linguâ.* Prov. 28. 23. Ex. *Corinthij*, 2. Cor. c. 7. 9. 10, 11.

Sim. Quemadmodum ægrotus medicamenta utcunque pungentia

tia & dolorifica æquo tamen animo sibi applicari permittit; quia in finem intentus est, sanitatem sc. corporis, quibus illa procuratur: Ita, &c.

Secundò, Cavebit sibi ab *Adulatione*: Quia rursum animo trutinabit, quàm infelix ejus sit exitus, ut maximè in præsens suaviter illa titillet, ac auribus insonet. Probat exitus, Adulatores inimicos, Objurgatores amicos fuisse.

Sim. Habèt enim se instar frictionis scabiosi, qui postquam cutem scabit cum aliquâ oblectatione, mox inde acerbos dolores sentit.

Tertiò, Eoque sibi quoque cavebit à *Calumniâ*, ne aures ei admoveat: iterum in finem respiciens: Tempus enim, quod Veritatis magistra, sæpiculè contrarium confirmat, ac calumniam confutat: quin immò facilè calumniam concoquet, fretus innocentiam suam tandem manifestatum iri.

Quartò, Abstinebit item à Muneribus; non quàm grata fulgeant in oculis, sed quem post se fœtorem ac noxam relinquant, expendendo: ut dictum antè.

DOCTRINA I.

Regula hæc est omnis *Prudentiæ* tùm civilis, tùm sacræ ac spiritualis: Nempe: *Vt in omnibus nostris cœptis ac actionibus, in Finem & exitum intenti simus*; ac juxta illum cuncta exigamus ac dirigamus: exindeque judicium de rebus faciamus; non autem ex rerum auspicijs, quæ læta interdum ac auspicata, aut lubrica ac fallacia, quibus plerumque in humanis rebus finis non respondet. Quia nimirum *Finis rei melior, quàm principium*: tum quia res quæq; tum absoluta ac perfecta, ut de ejus exitu constet, qui in principio latebat, ac suspensos tenuit dubiosque hominum animos: tùm quia in fine labores & curæ quæque susceptæ negotij cujusque terminantur; & fructus earum percipitur. *Exitus acta probat. Finis coronat opus.* Eôdem ducit Christus: *Quis ex vobis, si velit turrim ædificare, non prius considens computat sumptum, an habeat quæ ad ejus perfectionem requiruntur.* Luc. 14. 28. Certè nihil facilius quàm res quaslibet arduas ordiri ac moliri; finire tàm difficile ut plurimùm quàm incertum. Summæq; temeritatis est, quicquam aggredi, nullâ finis eventuri institutâ conjectatione: cùm non in nostrâ sed Dei potestate ac arbitrio rerum eventus sint.

Consect. Ad hujus autem Regulæ praxin exercendam, plurimum facit

facit *Spiritus longanimis*; ut rebus minus lætè & ad votum succedentibus, perseveranter tamen cœpto bono opere pergamus, difficultatem mediorum constantiâ superemus, finis exoptati intuitu: sæpè enim initia infausta, media dura, successus impediti; quorum tamen exitus lætissimus atque utilissimus est.

Simil. à milite, qui spe prædæ & gloriæ; ab agricola qui spe messis; ægroti, qui spe recuperandæ sanitatis, pericula, labores, ingrata, &c. perferunt.

)(Econtrà *spiritus elatus*, ut ad nulla utilis, sic impatiens est omnis moræ: Elati enim ac superbi putant cuncta ad nutum suum succedere necesse esse; unde rebus aliter fluentibus fremunt, ac non expectato fine deficiunt, temereque agunt multa adfectibus suis abrepti, velut per vim quocunque tendunt, perrupturi. Quamobrem Salomon rectè dicit, *Melior est Spiritus longanimis, quàm Spiritus elatus.*

Usus. Regula hæc in spirituali vitâ hominis Christiani permagnum habet usum, tùm ad *institutionem* tùm *consolationem*. Illius enim ea est ratio, ut infinitis ærumnis sit refertissima. Matth. 10.38. Act. 14.22, 2.Tim.3.12. Hîc verò si uspiam, valet istud Salomonis, *Finis melior quàm principium*: sequitur enim ærumnas & labores æterna gloria. Luc. 22.28. Apoc.7.13. ac passim Scriptura de lætissimâ crucis filiorum Dei catastrophe concionatur. In istum ergò finem ac exitum oculos intendentes, utamur Spiritu longanimi: componentes nos ad *Patientiam*, Heb. 10.36,37. *Spem*, Rom.5.5. *Perseverantiam*: soli enim perseveranti promittitur salus: Matth.24.13.nec Deo victima sine caudâ placet. Lev.3. v.9. coronatur, qui ad metam decurrit.1.Cor.9. 24. Apoc.2.9.&c.

Sitque adeò hæc consideratio *Consolationis* nostræ basis, in *precatione*: sæpè enim principio inanes esse preces videntur, Deo justas ob causas exauditionem & auxilium differente; quas tamen à Deo acceptas fuisse exitus probat. Ps.6.10. in *cruce* & ærumnis: *Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudij, sed tristitia: at posteà fructum tranquillum justitiæ reddit illis, qui per eam fuerint exercitati* Hebr.12.11.

O passi graviora dabit Deus his quoq; finem:

In *tentationibus*, *Non sinet vos tentari supra vires: sed unà cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis sufferre.* 1. Cor. 10.13. in *persecutionibus* & exilio, Matth.19.29. in *morte*, Apoc.14.13.

Deni-

Denique eadem consideratio à peccatis retrahat: Illorum enim initium suave, finis amarissimus. *Peccata, peccata, cùm suadetis, ungitis; cum suasistis, pungitis.* D. Augustin. *Conf.* Syr. 7. 40.

DOCTRINA. II.

Observanda *patientiæ laus*, quam hic Salomon ei attribuit, dum eam arrogantiæ præfert: quæ quidem comparatio catachrestica est; Non quòd arrogantia bona sit, Patientia melior; sed quòd optima sit Patientia, Arrogantia pessima: Cujusmodi sunt illæ comparationes, quæ leguntur, Psal. 118. 8, 9. *Melius confidere in Jehova, quàm hominibus, &c.* Arrogantia coram mundo eminet; quantò enim quisque magis eam exercet; tantò plus à cæco mundo respicitur: qui patientiam ac longanimitatem exercent, opprobrio sunt, ipsque insultatur. Sed enim verè Patientia virtutis maximæ ac utilissimæ; Arrogantia vitij pessimi & nocentissimi dicam meretur. Nulla enim Virtus sine Patientiâ perfecta. *Tolerantia opus integrum habeat, ut sitis integri & toti in nullo deficientes.* Jac. 1. 4. Sensus est, consummatas esse virtutes, si patientia accesserit; sine eâ mancas esse ac mutilas.

Virtus nam vidua est, quam non patientia firmat. Prud.

Sim. Ut ex metallis quibusdam, sine mixturâ aliorum metallorum nihil fabricare licet: sic nulla virtus laudabiliter exerceri potest, sine Patientiæ accessione. Sal est & condimentum virtutum reliquarum, sine quâ illæ insipidæ. Insipidi fructus percepti verbi ac fidei, sine patientiâ. Luc. 8. 15. Fides, spes, charitas, perseverantia, humilitas, &c. sine patientiâ non subsistunt, immò ne quidem fingi possunt. Impatientia harum omnium defectum aut infirmitatem prodit. Quicquid enim animo perturbato, morosо, involuntario peragitur boni, boni naturam exuit; quia hilarem datorem diligit Dominus. 2. Cor. 9. 7. Quicquid item homo patitur per impatientiam, nullius precij est apud Deum. Non enim respicit Deus quid quantum ve agamus aut patiamur, sed quo animo. Non licet nobis in stadio salutis decenter decurrere, ad assequendum brabeum cœlestis gloriæ, sine patientiâ. Hebr. 12. 1. cuncta enim quæ in illo nobis objiciuntur obstacula, patientiâ vincenda sunt.

Sim. Sicuti mercatoribus, & incommoda & pericula multa objiciuntur, &c. Patientia nostra victoria, quâ nobis adversa quæque, spiritu-

alia & corporalia, quæ seu corpori, seu fortunis, seu famæ, &c. injuriam inferunt, vincere datur. Heb.10.36. Immò medium patientia, quâ persecutiones ob fidem & martyria superantur, ipsaque adeò est constantiæ ac perseverantię mater ac nutrix. *Hic tolerantia & fides sanctorum.* Apoc.13.10. Spei non pudefacturæ. Rom.5.4. Eadem optatissimum malis cunctis exitum largitur. Jacob.5.7-11. quia patienter exspectantibus tandem affulget Dei auxilium. Thren.3.26. sed nunc instituti nostri non est in Patientiæ laudes excurrere: sicuti nec in Ambitionis vituperia.

DOCTRINA III.

Elatus enim spiritus, nocentissimus & exitialis; ut plurimùm impatientiæ mater & nutrix. Ex. Judæorum. Ezech.18.2. parabolâ hac utentium: *Patres comederunt omphacen, & dentes filiorum obstupescunt.* Quibus similes, qui insolentius sub cruce Deo insultant, ac quasi injustitiæ ipsum accusant, quærendo qui hoc & illud malum sint promeriti.

Usus. Deponamus fastum hunc, sub potenti Dei manu nos humiliemus, cum Micha,c.7.9. dicentes: *Iram Domini portabo, peccavi enim adversus ipsum.*

Gloria & Gratia Tibi Domine Jesu.

HOMILIA IX.

TEXTUS *v.9.*

Ne perturbatè spiritu tuo indigneris: nam indignatio in sinu stolidorum conquiescit.

Duo sunt maxima in mundo mala; Malum videlicet *culpæ* & malum *pœnæ*. Illud sunt peccata & vitia, quibus cuncti mortales obnoxij. Hoc, sunt variæ ærumnæ & adversitates, quas tùm ab hominibus injuriosis, tùm Deo ipso ceu justo Judice experiuntur.

Deo

De primo mali genere in præced. egit Salomon; ac monuit, *Correctionem* sapientum, à peccatis dehortantium æquo animo esse acceptandam. Nunc ad alterum mali genus deflectens, *Impatientiam* dissuadet, ac ad *Patientiam* & *Æquanimitatem* in adversis tolerandis hortatur. Hujus commemorationis capita tria sunt.

I. *Dehortatio à morositate & Impatientiâ.*
II. *Dilutio Exceptionis.*
III. *Adhortatio ad Patientiam & æquanimitatem.*

DE PRIMO.

Dehortatio illa est ℣. 10. & 11. eaque duplex.

I. *Prior* ℣. 10. Cujus tùm *Propositio*, tùm *Confirmatio* attendenda.

1. *Propositio. Ne sis velax ad iram.*

Aptè cohærent ista cum præced. quibus *Spiritum longanimem* prætulit *Spiritui elato*. Hic verò spiritus ad injurias & adversa mox excandescit, ratus tale quid sibi minus obtingere debere: Nunc ergò aptè velocem iram seu excandescentiam dissuadet; singulariter hîc eam, quando quis malorum & injuriarum impatiens, seu fremit adversus *Deum*; seu adversus proximum, à quo se læsum judicat, inflammatur, ac insurgit.

A. Ac *fremere* quidem in adversis & obmurmurare Deo, non impium modò est, sed planè insani ac furiosi hominis. Ut patet exemplo obsessorum, Matth. 8. 29. è quorum oribus mali spiritus horrendum in modum adversus Christum fremuerunt: Unde liquet à furijs infernalibus agitari qui sunt hujusmodi, ut Deo castiganti obmurmurent. Magnum hic piorum & impiorum discrimen; de quo Chrysost. Homil. 68. ad popul. Antioch. *Quoties aliqua tribulatio in mundum venerit, qui boni sunt, velut vasa sancta, gratias agunt Deo, qui eos castigare dignatur. Illi verò qui sunt superbi, luxuriosi, cupidi, blasphemant & murmurant contra Deum, dicentes; Deus! quid tanti mali fecimus, ut talia patiamur?* Ex horum censu sunt *murmuratores*, suâ sorte nunquam contenti, de quibus Jud. ℣. 16. Tales enim

enim suam sortem cum aliorum opimiore dijudicant, (mala enim aliena non sentimus, ut nostra) conferentes indignantur, & Deum injustitiæ cujusdam subaccusant, quasi præter meritum levius habeantur. Typus in operarijs illis murmurantibus, Math. 20.11. in fratre prodigi. Luc.15. vers.29.30. Peccatum hoc ingens, ac insania impia. *Quis enim es, ô homo! ut cum Deo contendas?* Rom.9.20. *Quis prior dedit ei.* Rom. 11.35. Stolidè ageret, qui conaretur ventum impetuosum, suo flatu retroagere, aut adversus Leonem vellet insurgere? Idem tales agunt, suo damno, &c.

Usus. Caveamus ergò, ne in adversis ac molestijs Deo oggannia-mus, sed mala quæcunque æquo animo feramus, juxta dictum *Epicteti*, citatum, à Gellio, lib.17. c.19. Ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Murmuremus potius *adversus nos & nostra peccata*, unde mala quæque. Thren.3.39. Speremus semper meliora; hoc est Deo confidere. Psal. 42.6.

B. Propriè verò gnome hæc intelligenda venit de *irâ*, quâ irascimur *homini*, aut alij rei, noxam aut damnum aliquod inferenti.

ἀργὸς. Lenta, considerata, ac justa ira, non vituperatur ab Ecclesiaste: Prorsus enim non irasci, vituperabile quandoque, non laude dignum. *Qui non irascuntur, pro quibus oportet, & ut oportet, & cùm oportet, & quibus oportet, fatui sunt: nam neque sentire neque dolere videntur.* Aristot. Basilius certè, *Iram, bonarum actionum ministram vocat.* Orat. contra Irascent. Cicero, *Cotem fortitudinis.* Tuscul.4. Gregorius, *Instrumentum Virtutis* &c. ancillam, 5. Moral. cap.31. Christus ipse non omni iræ interdixit, sed illi saltem, quæ fiat εἰκῆ sine causâ: Matt.5.22. Apostolus verò Ephes. 4. 26. ex Psal.4.5 *Irascendum esse* monet; sic tamen *ne cum irâ peccemus.* Omninò enim peccatis, & peccatoribus irascendum; Tum suis, cuique; veluti blasphemationi, ebrietati, libidini, calumniæ, &c. quæ in usu habet, nec emendare potest facilè: Tum etiam alienis, ijs videlicet, qui alijs in officio retinendis, seu regendis sunt præfecti: ut sunt Magistratus. Pastores, Parentes, Heri, &c. quos nunquam irasci vitiosum, & in *Heli* sacerdote improbatum ac punitum. 1.Sam.3.13.

θιος. Culpatur ergò, à Salomone Iræ præcipitantia. *Ne* (inquit) *sis velox vel præceps* ad iram: dum quis levem quamq; ob causam temerè incandescere consuevit extemplò; ac tumultuari. Jacob.1.19. *Sit omnis homo celer ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram.* Tum vindictæ libido, ne quis ex irâ præcipiti, mox ad aspera verba seu verbera prorumpat, vindicandi studio. Contrà ergo suadetur, lenitas, longanimitas, mansue-

mansuetudo, injuriarum patientia; & omne id, quo quis iram & vindictam cohibet.

2. Additur *Confirmatio. Quia ira in sinu stulti requiescit.* Text. Cui concinit illud: *Praceps ira efficit stultitiam, &c. Tardus ad iram abundat intelligentia, præceps autem exaltat stultitiam.* Pro. 14. 17. 29. Quibus indicatur

a. *Primò*, Iræ præcipitis *Causa*; Ea est stultitia, h.e. mentis vacuitas ac impotentia & imbecillitas, judicij tenuitas, itemque pusillanimitas ac suspicio: graves enim & cordati homines, magnoque animo ac judicio præditi, ac sapientes, ægrè tardeque irascuntur, quia gravitate suâ & constantiâ indignum censent citò irasci, atque ob rem levem, non satis consideratam perturbari. *Stulti ipsius indignatio eodem die agnoscitur, tegit vir ignominiam astutus.* Prov. 12. 15.

b. *Secundò*, Iræ *sedes ac domicilium*. Text. *in sinu stulti. &c.* Ira est signum insipientiæ, quia quamvis aliquis potens existimetur ac sapiens, si iracundus sit, insipiens arguitur. Prov. 14. 29.

c. Iræ *effectus*, qui sunt stultitia, h.e. omnis generis enormia dicta factaque ac horrenda peccata, quibus sibi ingentia damna, ac exitium attrahit homo. *Iracundus miscet contentionem, & furibundus multus est defectione.* Pro. 29. 22. *Conf.* c. 27. 3. sunt illa *Verborum*: Blasphemiæ in Deum: Lev. 24. 10, 11. Contumacia erga superiores, Frater prodigi. Luc. 15. 28. Diræ, execrationes, convitia, calumniæ, adversus proximum. Matth. 5. 22. Zippora. Exod. 22. 25. Rixæ, contentiones, &c. Prov. 15. 18. c. 22. *Factorum*: Jurgia verbera, cædes. Ira enim Fons & Fomes homicidiorum. Ex. *Cain.* Gen. 4. *Saulis*, 1. *Sam.* 18. 8. 9. *David.* 25. 21. 22. *Herod. Matt.* 2. Atq; quam officiat sanitati excandescentia atrox, ac ira biliosa; quamque haud infrequenter mortem ipsam tandem inferat, testatur experientia: & exemplum est in Nabale, verè earenus stulto. 1. Sam. 25. 25-38. de quibus dixeris, vitâ seipsos privâsse. Job. 5. 2. *Stultum interficit indignatio.*

Simil. apibus, quæ dum illicò irascuntur, & aculeum infigunt, stultè se exarmant & inutiles reddunt. Ratio, quòd Ira diros adeò fructus edat, est, quòd rationem hominis perturbet, omneque judicium auferat: unde nihil irati agunt aut loquuntur circumspectè, dum illa obtinet ac æstuat. Ut fumus oculos, sic ira rationem obfuscat. Aristot.

Impedit ira animum ne possit cernere verum. Cato.

Nec verò quæ iratus malè egit aut dixit, iracundiæ obtentu excu-

sare potest; sicuti libido non excusat fornicationem. Peccatum enim peccato non allevatur, sed aggravatur. Tale autem est ira præceps & temeraria. Jacob. 1,20.

Iræ remedia.

Nunc ergò *de remedijs* iræ dicendum.

1. *Mora & silentium*; ne irâ fervescente quicquam dicas aut facias donec deferbuerit. Est ira instar flammæ ex stipulis, quæ simul tota exardescit, mox deflagrat ac sopitur. Ira *furor brevis est, animum rege.* Horat. Cato iratum ab insano nihil differre ajebat, nisi morâ. Mora igitur lentum præcipitis mali remedium. Senec. lib. 3. de Irâ. cap. 1. Certè per moram fit, ut ira sensim minuatur, ac ratio redeat, quæ iræ impetus cohibeat. Observarunt id Rex Ahasverus. Esth. 7. 7. Idem de Socrate fertur, *caderem Te* (servum sc.) *nisi irascerer. Architas Tarentinus* vilico suo offensus, *sumerem*, inquit, *de Te pœnas, nisi tibi iratus essem.* Plato, servo iratus, amico Xenocrati eum castigandum commisit, ne ipse modum iratus excederet. *Athenodorus* Phil. discessurus ab Augusto Cæs. hoc ei monitum reliquit: *Irâ correptus nihil dicas aut facias, donec 24. literas alphabeti Græci percurreris.* Plut. in Apopht. Rom. *Theodosius* Imp. cùm ob dejectam uxoris suæ statuam, Thessalonicæ in turbam sævisset; D. Ambrosius ei Legem suggessit, ut sanciret, sententiam necis ab Imperatore in aliquem latam, non nisi post 30. dies exequendam. Sententia enim in innocentem lata revocari potest; at vita innocentis necati, non item,

2. *Conniventia*; ne in observandis proximi nævis, infirmitatibus, aut offensis nimis simus attenti ac oculati; sed quantum licet prætereamus. *Seneca* benè: *Si sapiens iratis debet turpiter factis, & concitari contristarique ob scelera; nihil est arumnosius sapiente. Omnis enim illi per iracundiam mœrorem, vita transibit. Quod enim momentum erit, quo non improbanda videat? Quoties processerit domo, per sceleratos illi, avaros, que & prodigos, & impudentes, & obscœna felices, incedendum erit. Nusquam oculi ejus flectentur, ut non quod indignentur, inveniant. Deficiet si toties ad se iram, quoties causa posset, exegerit. Placidus itaque & sapiens & æquus erroribus, non hostis sed correptor peccantium, hoc quotidiè animo procedit: Multi mihi occurrent vino dediti, multi libidinosi, multi ingrati, multi avari, multis furijs ambitionis agitati. Omnia ista tam propitius aspiciet, quam ægrotos suos Medicus, &c.* Ad istam con-

niventiam

inveniam multum juvabit. Consideratio propriæ infirmitatis, & multiplicium delictorum, quibus & ipsi Deum pariter ac homines offendimus; quibus & nos ignosci optamus potius, quam iram ultricem ferre. *Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquâ offensâ, vos spirituales reconcinnate huiusmodi hominem cum spiritu lenitatis, considerans unusquisq; seipsum, ne & tu tenteris.* Gal. 6.1.

3. *Superbiæ* & suspicacitatis vacuitas. *Superbi, contumacis, derisoris nomen est illi, qui exercet furorem suo superbiam.* Prov. 21.24. Superbi enim facile irascuntur, quia multum habent de succo stultitiæ, quæ superbiæ individuus comes, præsertim si fuerint potentes ac divites. Qui tenuioris sunt fortunæ si superbi fuerint, suspicaces sunt; unde facilè irascuntur, quum contemni se putant. Tantò igitur minus iracundiæ fuerit, quantò minus superbiæ.

4. *Mansuetudinis*, Lenitatis, ac Longanimitatis studium; ut ad ferendas injurias æquo animo, ac condonandum proximo simus propensi: quo nos inducere debent tùm monita, Luc. 6.37. Rom. 15.1. Eph. 4.32. Phil. 4.5. Coloss. 3.12. tùm exempla divina humana, ut Mosis, Num. 12.3. Davidis, 2. Sam. 16.10. Abigaelis, 1. Sam. 25. & aliorum, de quibus alias. Ista remedia diligenter meditanda ac usurpanda sunt illis, qui ad iram sentiunt se procliviores, ut eam seu antevertant, seu mox exturbent. *Ne occidere sinatis solem super irâ vestra, &c.* Eph. 4.26.

HOMILIA X.

TEXTUS v. 10.

Ne dixeris, quid est cur dies priores fuerunt meliores istis? nam non ex sapientiâ rogares super hoc.

II. Sequitur *posterior* Dehortatio ab impatientiâ & morositate. Cujus iterum tùm *Propositio*, tùm *Confirmatio* spectanda.

A Pro-

A. Propositio. Ne dicas, quid caussa, quòd priora Tempora meliora fuere, quàm nunc sunt.

Non abs re est, varias esse Temporum vicissitudines,

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

Nunc enim tranquilla, nunc Martia, nunc feracia mox sterilia: nunc sana nunc morbosa sunt tempora: nunc læta nunc tristia nunciantur. Vid. Hom. 7. in c. 3. Ista observare, deq; illis agitare sermones & quæstiones movere, de causis eorum seu naturalibus seu politicis, minimè absonum. Reprehendit Servator in Pharisæis, quòd signa Temporum non observarint. Matth. 16. 3. ac brutorum omninò est, sic vivere in mundo, ut eventuum cujusque temporis nullam habeas rationem. Psal. 32. 9. Animadvertendum itaque gnomen istam sapientis, adversus querulos, morosos, murmuratores directam esse, qui præsente suâ sorte nunquam sunt contenti; sed ut habeant quod fugillent & querulentur, ad priora tempora relabuntur, eaque præsentibus ut meliora & opimiora præferunt. Senum cumprimis hoc vitium, præsentia tempora despicere præ præteritis; quod fit, tum ex *senecta infirmitate*, cujus anni non placent, sicut juventæ, in vigore & lætitiâ transactæ (Eccles. 12. 1.) dum ex suo statu omnem præsentis temporis statum metiuntur; tum *ex oblivione*, quæ senibus naturalis, ut ad mala quæ vident attenti, quæ olim abierint immemores, elapsa tempora anteferant; tùm ex φιλαυτία, sua enim senes commendant tempora, & virtutes, ad conciliandam sibi authoritatem & admirationem. Ita *Horatius* de sene ait, in arte Poët. & *Cornel. Gallus.*

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorq; minorum.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos,
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.

Vulgares sunt isti hodieque inter vulgus sermones; Hem! dicunt, quàm beata fuerunt ante 20. & amplius annos tempora! Pax alta viguit, classica nulla audita, annonæ ingens copia, bono cuncta precio erant, manuficia, negociationes optatum habebant successum, ingens erat rei familiaris administrandæ commoditas, in tuto & velut in Paradiso viximus: Nuncomnia contraria, qui divites erant, vix habent ad necessitatem, omnia cara, miserrimus undequaque ex Marte status, continuo insuper metu & periculo vivendum, &c.

De his quiritari non simpliciter vetat Salomon; sed ex impatientiâ

tiâ cauſſam ſciſcitari mutationis hujuſmodi, quaſi videlicet injuria ſubeſſet: hoc enim quid aliud, quàm Dei gubernationem injuſtitiæ ſubaccuſare?

B. Confirmatio. Text. *Nam non ex ſapientia rogares ſuper hoc.* Cruda enim hujuſcemodi interrogatio, h.e. abſurda, frivola, inſipida.

1. *Primò* quidem, quia falſum eſt, ſimpliciter & per omnia præterlapſa tempora meliora fuiſſe præſentibus. Falſiſſimum fuit Salomonis temporibus. Unde vero ſimile, ab hominibus ignavis & malitioſis agitatam iſtam quæſtionem. Equidem ſi quis ſigillatim annum anno conferat, fatendum magnâ eſſe differentiam; quòd unius præ alio major ſit fœcunditas, ſecuritas, proſperitas, ſalubritas: ſed jam ſermo eſt de magni temporis & plurimorum annorum tractu & decurſu; immò univerſim de antegreſſis temporibus, An meliora fuerint præſentibus? Quod negatur. Sive enim de hominum moribus & vivendi ratione ſermo ſit; nullo non tempore impietas & ſcelera graſſabantur in mundo. Vix natis hominibus, Frater Fratrem occidit. Ante diluvium omnis caro corruperat viam ſuam. *Moſes* vocat ſui temporis generationem pravam & perverſam, populum ſtultum & inſipientem, Deut. 32.5.6. *Eſajas* principes Sodomorum, populum Gomorrhæ, &c. Eſai.1.10. *David* nec unum eſſe qui faciat bonum dicit, Pſal.14.1. *Paulus* ſua tempora dies malos vocat. Epheſ.5.16. Cicero de ſuis, *O tempora! ò mores!* Catil.1. initio. Paſſimque ſcriptura & profanæ hiſtoriæ omnium ſeculorum malitiam recenſent & accuſant. Summa. Mundus ſemper eſt ac fuit mundus, *in malo ſc. jacens*, 1.Joh.5.19. Nec unquam deſtitit Satan princeps mundi agere in hominibus contumacibus. Quare nec ulla fuerunt antehac tempora, quæ non ſua mala, juſto Dei judicio ſint experta, variasque & horrendas calamitates ſenſerint. Ex. Diluvium, Conflagratio Sodomæ, &c. decem plagæ Ægypti, &c. Iſraëlitarum in deſerto, Captivitas Babylonica, Antiochena ſævitia in Judæos, Excidium Hieroſol. quo non major fuit unquam aut erit calamitas, Chriſto dicente: Perſecutiones Chriſtianorum ſub Ethnicis Imperatoribus, Turcis, Papiſtis, &c. Bella, clades, peſtes, fames, inundationes, tempeſtates, aliaq; ingentia mala in mundo fuere ſemper, quibus Deus juſtiſſimus ejus malitiam, & impietatem punivit, uti teſtantur hiſtoriæ. Quod ſi ſubinde meliora, pacifica, fertilia, ſalubria atque opiniora tempora recurrerint; qualia fuerunt cumprimis imperante Davide & Salomone; non tamen illo ſta-

tu diu consistere datum est, sed sicuti diem nox, hyems æstatem excipit, ita mox deteriora ac calamitosa secuta sunt.

Summa. Ut omnium rerum in mundo continua est vicissitudo, ita quidem ut nihil novi unquam eveniat, Eccles. 1.9. sic etiam temporum conditiones permutantur, ut bona malis, mala bonis subinde succedant. Stulta ergò hoc nomine isthęc scisciratio, Quid causę cur superiora tempora meliora fuerint præsentibus? quia falsum supponit. Cùm & prisca tempora, (licet non proxima) easdem si non majores experta sint calamitates: Et meliora subsequi possint, si resipuerimus.

Usus 1. Faciunt ista ad *agnitionem divinæ providentiæ* ac *justitiæ*, qui eâdem mensurâ mundum semper tractavit ac judicavit, idemque porrò facturus est, nec enim mutatur, Malach. 3.6. adeò ut nulla ipsum ætas injuriæ alicujus aut προσωποληψίας incusare possit. Item ad *agnitionem communis miseriæ & corruptionis*; quæ ad humilitatem & correctionis studium nos deducere debet.

2. Dein ad *patientiam* & *consolationem*. Ut cujusq; temporis incommoda & molestias æquo animo feramus; perpendentes, non meliora fuisse prisca tempora: Mundus semper vallis fuit miseriarum, adeoque à nimijs ac desperatis querelis abstineamus, officium faciamus, mundoq; suum cursum relinquamus, & eò anhelemus, ubi perpetuum erit gaudium.

Excipiuntur tamen hîc res *Naturales, Supernaturales, Artificiosæ.*

a. *Naturales:* Neque enim diffitendum est, quòd illarum consenescat vigor, & elanguescat, ut in plantis, animalibus, homineque ipso videre est: quod ipsum quoque in majore mundo, hâc effœtâ ejus senectâ fieri indubium est: adeò ut hactenus antiqua tempora his ultimis nobiliora & vegetiora fuisse sine errore dici possit.

b. *Supernaturales* seu divinæ: Atque eatenus constat, posterius ævum sub N. sc. Test. melius esse priori sub V. Test. propter evidentiorem Christi serv. cognitionem; propter ampliorem fœderis gratiam, quippe ad gentes etiam extensam; propter cultum minus operosum, sed facilem, &c. Speciatim proxima hæc secula, quibus Deus lucem Evangelij sui postliminio reduxit, atque Ecclesiam suam ab Antichristi jugo, & tenebris errorum atque Idololatriæ liberavit, antecedentibus sunt longè felíciora. Usque adeò ut tantò minus nos quærendi aut conquerendi causam habeamus justam, quasi præsens ætas superioribus esset ætatibus infelicior.

c. *Arti-*

c. *Artificiosæ* denique: sanè nunquam ita excultæ fuerunt artes, disciplinæ, & scientiæ universæ, uti hoc ævo; tantaque in re militari, nauticâ, medicâ, &c. floruit experientia, qualis nunc. Valeat ergò judicium Plinij Junioris, lib. 6. Epist. 22. *Sum existis*, ait iste, *qui mirer antiquos; non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio.*

Usus. Adversus pravos Antiquitatis demiratores, & novorum contemptores: Vitium id appellat *Tacitus* malignitatis humanæ, ut vetera semper in laude, præsentia sint in fastidio; & vetera antiquaque miremur, nostrorum temporum studia irrideamus atque contemnamus. Libr. de Oratorib. Quæ multorum est consuetudo, &c.

——nisi quæ terris semota, suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit & odit.

Patet igitur ex his quoque ineptam esse quæstionem, Cur præsentia tempora deteriora sint præteritis.

II. *Secundò* verò, si maximè id verum esset, manet tamen adhuc, Quæstionem esse ineptam: Quia nimirum hâc extremâ mundi ætate, hominum malitia ac impietas sensim increscere ac invalescere videtur: neque igitur mirum esset, si tempora forent graviora. Crescentibus enim delictis pœnas quoque Dei crescere consequitur. *Quod si adhuc non auscultaveritis mihi, tunc addam castigando vos septuplum propter peccata vestra: Quod si ambulaveritis mecum temerè, & non acquieveritis ut auscultetis mihi: tunc addam contra vos plagam septuplam secundum peccata vestra*, Levit. 26. 18. 21 Atqui passim in Scriptura prædictum, tempora Mundi fini vicina, plena fore impietatis, si quæ ulla fuerint unquam. Dies fore similes diebus Noë & Loth. Luc. 17. 26. Transgressionem Legis invaliturum, charitate frigescente. Matt. 24. 12. Filium hominis vix fidem reperturum in terrâ. Luc. 18. 8. sic 2. Tim. 3. 1. &c. & 2. Petr. 3. 3. &c. Apoc. 12. 12. prædictum, Diabolum vel maximè sæviturum, quando brevi instabit ejus judicium. Hæc ita se habere his temporibus, nimis prodolor cottidiana testatur experientia. Neque igitur mirum & suas Deum pœnas intendere.

Usus. I. Perperam ergò præsentes calamitates temporì ascribuntur, cùm peccatis nostris veriùs deferendæ sint. Neque enim Tempus in caussa: Idem Sol qui semper, idem Solis, Lunæque aliorumque siderum motus, è quo temporis vicissitudo oritur; nec quisquam Solis aut cœli impulsu ad peccatum impellitur. Non igitur Tempus, sed malitia & vitiositas hominum incusanda potius. Thren. 3. 39.

2. Quod si ergò bona, opima, pacifica, salubria tempora habere velimus, resipiscere nos oportet, Deo obedire, sanctimoniæ studere. Esaj. 1.14. Psal.34.13,14. & 81.14. &c. Sin minus funditus nos exterminabit. Jerem.18.7.8.

Objecerint Juniores, Majores nostri lautioribus illis & pacificis temporibus abusi sunt, jam nos luere cogimur, quod illi deliquerunt. Similis fuit quondam Judæorum objectio, Ezech.18.23. quibus respondit Deus, quemque sua peccata propria, non aliena luiturum. Idem ergò responsi nostris hominibus valeat. Verè enim juniores non modò majorum pravis vestigijs insistunt, sed deteriores sunt: Major illis in vestitu luxus, novæ propolij & fœnerandi artes, major profanitas, neglectus divini cultus, & judiciorum Dei incuria. Seipsos igitur non majores incusent & ipsi.

III. *Tertiò* verò, ideò quoque stulta hæc scisitatio est, quod stultum sit immò impium, arcana Dei judicia eorumque caussas rimari velle; cùm nostri sit officij simpliciter illis acquiescere, eadem approbare, ac subscribere etiam illis, quæ non capimus ac intelligimus, & utcunque fateri cum Psalte, *Justus es Domine, & justa judicia tua.* Psal.119. *Judicia Dei occulta esse possunt, injusta esse non possunt.*

HOMILIA XL.

TEXTUS vers.11.12.

Bona est sapientia cum possessione, & emolumento aspicientibus solem: Nam alij in umbra sapientiæ, alij in umbra pecuniæ sunt; sed maioris emolumenti scientia est, sapientiam vivum conservare possessorem suum.

DE

DE SECUNDO.

CEminam hucusq; Dehortationem ab Impatientiâ vidimus; quam cum fatuitate conjunctam dixit Salomon. Sequitur nunc *Dilutio Exceptionis:* Quia enim objici poterat; Videri, quòd hominibus opulentis minus ejusmodi exhortatio conveniat: quia enim opibus abundent, illisque, quæ velint, acquirere possint bona, rursusque mala avertere; ideò patientiâ ipsis opus non esse, quæ illis saltem opus sit, qui paupertate rebusque adversis premuntur. Respondet ergò Salomon, Concedendo aliquos habere usus divitias, maximè si cum sapientiâ conjunctę sint; non tamen protinus ab omni incommoditate & adversitate tueri posse hominem, eoque non esse universale ac constans προφυλακτικόν, aut etiam pharmacum adversus hujus seculi calamitates: sed eatenus superari à sapientiâ, quæ panacea sit in omni miseriâ rebusq; adversis adhibenda, ad vitam tuendam.

Duo ergò hîc nobis observanda.

I. Opulentiæ ac sapientiæ *Convenientia.*

II. Earundem *Discrepantia.*

I.

Convenientiam,

A. *Explicat.*

B. *Confirmat.*

A. De illâ agitur ꝟ. 11. *Bona est sapientia cum hæreditate; & est excellentia videntium solem.* h.e. Utraque bona est, sibique mutuò dant splendorem, & dignitatem conciliant.

Per Sapientiam hîc intelligit, tùm divinam seu cœlestem, quam in Timore Dei seu pietate consistere alibi docet; tùm humanam prudentiam ac virtutem. Hanc igitur bonam esse dicit cum divitijs junctam; ac in utrâque junctâ *excellentiam* consistere seu felicitatem *intuentium solem*, h.e. hominum viventium, qui luce solis fruuntur.

I. Primò ergò limitat Salomon, quod supra toties de vanitate divitiarum & inani studio illarum acquirendarum dixerat; Concedendo omninò haud exiguam præstare illas utilitatem: adeoque non tam se divitias, quàm avaritiam, ac abusum illarum damnasse.

DOCTRINA I.

Sunt igitur *Divitiæ* in se spectatæ *bonæ & utiles.*

a. Quia donum & benedictio Dei. Prov. 10.22. Psal. 112. v. 2. Vide Homil. V. c. 2.

b. Quia sunt adminicula, quibus τὰ βιωτικά, & necessaria hujus vitæ acquiruntur.

c. Quia virtutum elegantissimarum & operum pietatis exercendorum sunt organa, veluti beneficentiæ erga pauperes, defensionis oppressorum, cultûs divini conservandi ac promovendi, hospitalitatis, &c. ut post dicetur.

DOCTRINA. II.

Observandum tamen hîc, quâ cautione id dicat Salomon. Verè enim D. Bernard. Aurum & argentum, &c. nec bona sunt nec mala: Usus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo pejor, quæstus turpior.

a. Non ergò divitiæ solitariæ ac simpliciter bonæ sunt, sed *conjunctæ cum sapientiâ*, q.d. quicquid inest boni divitijs, accessorium est à sapientiâ, h.e. pietate, quæ verum ac legitimum eorum usum monstrat ac dirigit; abusum tollit aut præcavet. (De vero divitiarum usu, Vide Homil. 6. in cap. 2. Ecclesiastæ.)

Usus. Frivolum igitur est, commendari à divitijs, quòd utiles sint illæ; nisi constet, pietate & virtutibus pollere, qui eas habet, ut rectè illis uti norit. Hinc scitè Sapiens: *Corona sapientum sunt divitiæ ipsorum, stultitia stultorum stulta manet.* Pro. 14. 24. Bonę sunt divitiæ *rectè partæ:* Ideò sapiens hîc non simpliciter divitias commendat sed hæreditatem; vix enim innocentior videtur esse acquirendi modus quàm hæreditariò. Itaq; divitiæ malè partæ, etiam in bonos usus impensæ, malæ manent; nec gratum Deo illis præstatur, in quemcunq; demum usum transferantur. *Nam sacrificantis ex injusto oblatio ridicula, neque placitura sunt iniquorum dona.* Syr. 34. 21. Hinc Salom. *Honora Deum de substantiâ tuâ.* Prov. 3. 9.

)(Pessimæ ergò sunt divitiæ, sapientiâ hâc directrice destitutæ, immò nocentissimæ; sive ea desit in acquirendo sive utendo. Equidem hujusmodi homines, qui malis quibusque artibus, cum proximi circumvention

ventione & exenteratione magnas divitias acquisiverunt, ad fovendum luxum, gulam, superbiam, voluptates &c. se esse omnium felicissimos; Cogitant, cùm magnos sibi proventus acquisiverunt, porrò genio gnaviter indulgere se velle: sed ô quàm miserè se deceptos tandem ipso eventu comperiunt! quàm tristem sortiuntur ipsorum tum avaritia tum luxus exitum. Hæc nimirum est illa fallacia divitiarum, de quâ Matth. 13.22. & inconstantia, 1. Tim. 6.17. quæ sc. perpetuò felices ipsos esse non sinit, sed in horrenda miseriæ spectacula transformat: ut jure quis deinde ab illis quærere possit cum Apostolo, Rom.6.21. *Quid lucri vobis, quòd tam fideliter Mammona servistis? Age nunc divites, flete, ejulantes super erumnis vestris superventuris, Divitiæ vestræ putrefactæ sunt*, &c. Jac.5.1.&c. Experti, *Bileam*, qui ne gladio quidem Angeli absterreri se passus est, ab aucupio nefarij lucelli. Judæ ℣ſ.11. *Gehasi*.2.Reg.5. *Achan* Jos.7. *Ananias & Sapphira*. Act. 5. *Judas*, laqueum tandem nactus & gehennam. Ampliſſimaque hodie istorum hominum seges, qui Christo ejusque Ecclesiæ subtrahunt, proximum nefariàm expilant; qui licet miserrima judiciorum divinorum exempla in alijs cernant; (paupertatis, ignominiæ, calamitatum horrendarum, mortis tragicæ, &c.) nec tamen judicant se ex illorum esse censu, qui turpiter adeò à Mammona decipiantur, nec unquam tale quid sibi eventurum. donec, easdem aut majores pœnas experiantur. Ut verè dixerit Salomon: *Non assabit dolosus, quod venando ceperit, substantia autem hominis pretiosa sedulus fruitur*. Prov.12.26. *Suavis est viro cibus falsitatis, sed postea implebitur os ejus sorupis*. Prov.20.17. Ut cibi quidam palatum dulciter adficiunt, quandiu in ore continentur; qui in stomachum demissi, tormina excitant, aut nauseam, ac sanitatem lædunt: sic divitiæ malè partæ ac adhibitæ, &c. Job.20.15. Hujusmodi ergò divitiæ falsò *Bona* (Güter) dicuntur, quasi omnigena bonitas in illis lateret; cùm verius *Mala* deberent dici: Unde, qui *Bona* illa sibi bona esse cupit, benè acquirat, beneque illis utatur; seu, jungat illis sapientiam.

II. Ut autem *sapientia divitiis bonitatem suam confert; sic vicissim & sapientia seu pietas, virtus à divitiis splendorem, dignitatem, pondus & authoritatem mutuatur*: Divitiæque præstant, ut sapientia tantò felicius suos in humano genere fructus edere possit: suntque adeò virtutum exercendarum materies. (Vide Homil. N. in cap.5.Eccles.)

)(Contrà sapientia divitijs destituta, tanti non valet, imò ja-

cet

cet despecta. Mundus enim potius respicit quis loquatur aut agat aliquid; quàm quid, & quàm benè: juxta tritum illud, *Dives locutus est, & omnes tacuerunt; Pauper locutus est, & dicunt; Quis est hic?* Stobæus serm. 95. *Solent homines divitum sermones judicare sapientes; cùm verò aliquis ex tenui familiâ vir pauper dixerit, ridere.* Euripid. in Hecuba. *Nam cum opulenti loquuntur pariter, atque ignobiles eadem dicta, eademque oratio aequa, non aequè valet.* Gell. lib. 11. cap. 4.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quod contemptos facit———

Consilium pauperis pudore afficitis. Psal. 14. vers. 6. Exemplo sit Christus pauperculus, quo loquente Judæi dixerunt, Quis hic faber? dæmonium habet, Matth. 13. vers. 55, 56, 57. Ioh. 8. vers. 48. Herode loquente, ajunt, *Dei hæc vox.* Act. 12. vers. 22. Hoc tamen mundi judicium perversum, quod nec pij sequuntur, quibus ut est in Psal. 15. v. 4. *Contempti sunt in oculis reprobi: timentes autem Jehovam glorificant:* aliàs Evangelium nobis repudiandum esset, quod à pauperculis Ministris nobis prædicari curat Deus; anteferendaque illis forent Paparum & Episcoporum statuta ac traditiones, quippe profecta à splendidissimis & opulentissimis hujus seculi Principibus. Ita verò Deus fidem nostram probare vult; an magis in ipsum & verbum suum quàm Homines defixi esse velimus: immò hoc ipso gloriam potentiæ suæ vult manifestare, quum per infirmos homines nos ad fidem perducit. *Habemus thesaurum hunc in testaceis vasculis, ut hæc hujus potentia supereminentia sit Dei, & non ex nobis.* 2. Cor. 4. 7.

Interim benè hæc gnoma allegatur adversus Religiosorum *Votum paupertatis:* si enim fœcundior est sapientia divitijs juncta, sterilior erit illis destituta: Pessimè igitur faciunt, si pietatem ac sapientiam cœlestem professi, divitijs seipsos exuant, ac paupertatem voveant.

Excipiunt, Id verum esse de paupertate *involuntariâ* & *coactâ*; non autem *de voluntaria* & *religiosa*, quæ, ut totam se Deo dedat, opes sponte abdicat, studio perfectionis, (de quâ Matth. 19. 21.) ut sic rebus terrenis expedita, & mundo celsior, in cœlo spes suas defigat. *R.* *Fallacia causse* est: Ut enim quis Deo servire possit spiritu, non opus est, opes abdicare, votumque paupertatis facere (quod impium & ridiculum) sed sufficit animo saltem divitiarum curam pellere. Quæ porro de perfectione, & Lege à Christo suis consilijs auctâ, garriunt; plus satis diluta sunt.

B. *Confirmat* & *amplificat* sapiens istam divitiarum & sapien-

tiæ

tiæ convenientiam, ℣.12.a. *Nam alij in umbra sapientiæ, &c.* Vel *Quia in umbra sapientiæ, & in umbrâ argenti,* sc. protectus est homo. *Umbra* enim pro defensione ac præsidio usitatè accipitur in Scriptura: defendendo vid. hominem ab immodicâ vi lucis & caloris, eumque refrigerando. Psal. 37.8. Esai 49.2. Sensus igitur est: In hoc convenire sapientiam ac opulentiam, quòd utraque hominis sit tutamen ac præsidium:

Primò enim utraque suggerit homini *necessaria* vitæ sustentandæ adminicula: Argento enim omnia veneunt. Rursum, qui sapiens est, aut peritus in quacunque arte aut opificio, lucrari ac comparare sibi potest τὰ βιωτικὰ.

Secundò, Et opes & sapientia sæpissimè hominem è vitæ periculis & discriminibus *liberat*, & præservat.

De *Opibus* quidem constat: Quot enim qui pecunijs vitam suam redemerunt, alioquin occidendi. *Redemptura viri divitiæ suæ, &c.* Prov. 13.8. veluti captivi, obsessi, in latrones lapsi, adde ægroti, &c. exempla passim obvia in historijs, & experientiâ.

De *sapientiâ* idem verum est: Sæpe factum, ut per unius sapientis consilium, civitates, populi, regiones integræ ab excidio & internecione hostium, sunt defensæ. Prudentiâ enim ac consilio plus efficitur, quàm vi sæpè magnâ, uti Salomon hoc cap. ℣.19. docet. *Vis consilij expers moleruit suâ.* Prov. 21.22. Plures suâ sagacitate se & alios in vitâ conservarunt. Ex. *Joseph.* alioquin in carcere periturus. *David*, apud Achis, 1. Sam. 21. *Daniel*, cap. 2. se & Magos in vitâ conservavit. *Abigail*, suâ prudentiâ domum suam, &c. 1. Sam. 25. *Paulus.* Act. 26.6. Qui ergò seu facultatibus justis, seu sapientiâ instructi sunt, agant Deo gratias, velut de umbrâ ac præsidio vitæ tuendæ sibi concessâ. Qui destituuntur illis, petant à Deo: opes quidem non immodicas, sed sufficientes ad vitam tolerandam, cum Agure, Prov. 30.8. sapientiam itidem, Jacob. 1.5. quâ in suâ quisque arte ac vocatione exercendâ opus habet.

II.

Hactenus Convenientiam opulentiæ & sapientiæ vidimus. *Discrepantia* sequitur eaque maxima: de quâ Salomon in Text. ita: *Sed majoris emolumenti est, &c.* vel *Sed excellentior cognitio sapientiæ, quæ vitam affert Dominis suis.* Docet ergò, sapientiam longè divitijs antecellere.

1. *Primum* argumentum, Quia sapientia per se-ipsam, & sola, est optima ac utilissima: opes non item, nisi cum sapientiâ junctæ, quæ illarum usum moderetur. Ita enim in præcedentibus Salomon non dixit, *Bona est possessio*, aut *hereditas cum sapientiâ*; quasi accessio saltem bonitatis obtingeret opibus ex sapientiâ, alioquin per se bonis, etiam illâ destitutis: sed dixit, *sapientiam esse bonam cum hereditate*; h.e. sapientiam per se solam bonam esse; dignitatem tamen ejus augeri facultatum accessione. Et hoc quidem certissimum est: Divitias nimirum malas esse ac exitiosas sine verâ sapientiâ, seu pietate; quia tum nihil aliud sunt, quàm irritamenta malorum, spinæ, laquei, injustus Mammon, &c. ut alibi declaratum.

Usus. Neque igitur per se expetendæ; quia dubia talis foret petitio, cùm an profuturæ an obfuturæ essent, non constet. Desipiuntque adeò, qui de opibus modò congerendis cogitant; nec simul de sapientiâ soliciti sunt, ut norint illis recte uti; qui perinde faciunt, ac si quis de organis Musicis acquirendis desudaret, nec de Magistro esset solicitus, à quo artem illa tractandi edisceret.

2. *Alterum* argumentum est; Quia divitiæ non nisi prosunt *Intuentibus solem*, ut est in præced. h.e. quoad vivit homo in præsenti seculo: In morte nullum amplius ei præstant usum, cogitur omnia relinquere, nec quicquam faciunt ad cœlestia, nisi quantum hîc ad pios usus contulerunt. Ast vera sapientia seu pietas habet promissiones hujus & futuræ vitæ. 1. Tim. 4. 8.

Usus. Perperam ergò faciunt, qui tantopere opibus inhiant, totoque corde circa illas sunt occupati, nec aliter satagunt, quàm si cœlum ipsis per eas esset redimendum.

3. *Tertium* argumentum est, *Quia sapientia vitam affert dominis suis*: opes non item. Neque enim vita hominis consistit in abundantiâ bonorũ, ut ait Servator Luc. 12. 15. Tum nihil est facilius, quàm stultum perdere divitias, ac vitam ipsam exponere periculis, taliaque committere, quibus se-ipsum hujus vitæ usurâ privat. Æternam vitam verò, potius opes auferunt, quàm afferunt: Certum enim est, eos qui nimiò intenti sunt terrenis, cœlestia perdere. Matth. 19. 23. ô dementiam! At sapientia & temporalem vitam affert dominis suis; quia non grave est hominibus prudentibus, ac peritis, vitæ adminicula conquirere; monstrat item

item rectum ejus usum, h.e. rationis exercitium, per quod plura sæpè temporalia quoque commoda procurari possunt, & damna devitari, quàm per divitias. Prov.2.10,11. Sapientiâ divitiæ acquiri possunt; non divitijs sapientia. Prov.17.16. Quod si spectetur sapientia illa verè sapiens, seu Timor Dei; prorogatur per illam & præsens vita, & æterna comparatur. Prov.3.16.&c. cap. 4.7,8,9.

HOMILIA XII.

TEXTUS v.13.14.

Respice opus ipsius Dei: nam quis possit corrigere id quod perverterit? Tempore boni versare in bono; tempore autem mali utere: etiam hoc ex adverso illius facit Deus ipse, ea ratione ut non possit assequi homo eorum quæ instant sibi quicquam.

DE TERTIO.

PAtientia verè aurea, ac panacea omnium in vitâ malorum: ad quam nunc pulcram instituit Salomon exhortationem.

1. *Præmittit ejus primò fundamentum.*
2. *Sequitur Exhortatio ipsa.*
3. *Subjungitur ejus Confirmatio.*

I.

Fundamentum sapientiæ consistit in consideratione immutabilitatis operum ac decretorum Dei, de quâ vers. 13. *Respice opus ipsius Dei:*

Dei: nam quis possit corrigere id quod perverterit, vel, *quis potest rectum facere id quod curvum fecit.* Sermo est metaphoricus, desumptus à Dei creaturis, quas, salvis illis, nemo aliter facere possit, quàm à Deo sunt factæ: aut à nævis ac vitijs corporum, veluti gibbositate, claudicatione, curvitate membrorum, &c. quæ corrigere nemo possit, si à partu homini sint nativa. Matt. 6.27. Sensus est; Opera Dei ejusque consilia ac decreta, nullâ hominum vi vel arte impediri, mutari, invertique posse; sed perstare ac evenire cuncta, prout Deus voluerit, & statuerit. Dicta. Prov. 19.21. & 21.27. Esai. 14.27. Dan. 4.35. Rom. 9.19. & 11.29. Hoc cum ita sit, sequitur, Patienter ferendum esse, quod mutari non possit. Seneca Epist. 107. *Optimum est pati, quod emendari non possis, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contrà ille pusillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine Mundi malè existimat, & emendare mavult Deos, quàm se.*

Usus. In cassum igitur laborat homo, qui Deo renititur, qui rectificare vult, quod Deus curvavit, h.e. præter Dei voluntatem, deteriorem suum statum mutare vel emendare. Qui id conantur, amplius se implicant, dum Deum irritant. *Sum.* ab aviculis viſco implicatis; aut piscibus è nassâ evadere conantibus, & sic caput lædunt.

Quæstio. *An ergò vetitum est, Media è malis ac periculis evadendi, adhibere?*

Rſ. Minimè: Id tamen observandum hîc; ut id fiat animo composito ac tranquillo, qui se Deo ejusque voluntati submittat, nec invito ipso eluctari contendat: qua de re alias.

II.

Sequitur *Patientiæ præceptum.* Vſ. 14.2.

Tempore boni, &c. vel *In die bono, esto in bono; & in die malâ, vide:* h.e. considera opus esse Dei (ut in præced. Vſ.) eoque sustine, & abstine à morositate. Necessaria est hæc admonitio: Quia prosperis efferri ac efferari solet homo; adversis dejici, atque animum despondere: Rursus & hoc evenit, ut rebus secundis felicitatem suam quandoque minus agnoscat homo, ac rectâ animi tranquillitate illis utatur adversis contrà, præposterâ securitate genio indulgeat. Ergò

DO-

DOCTRINA. I.

Rebus lætè fluentibus, bono esse animo, & gaudio decenter uti, à Deo omninò indultum, cùm is ipsus sit, qui illud homini pro suâ gratiâ concedit.

——*Deus nobis hæc otia fecit.* Virg.

Horat.

Tu quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu: nec dulcia differ in annum.

Cautio. Ut tamen illud fiat *die bono*, h.e. temporibus bonis ac prosperis: tristibus enim lugendum ob communem calamitatem. (Homil. 4. in cap. 3. Eccl.)

DOCTRINA II.

In adversis Videre oportet: h.e. agnoscere Dei manum, omnia boni consulere, ac patienter ferre: nec animo multùm mutari, sed eòdem esse in malis diebus, quo in bonis: sc. ut etiam sub cruce læteris, Deoque gratias agas: utpote qui & cum cædit, & cum blanditur, Pater est, ut ait D. Augustinus. Ad hujusmodi patientiam multæ illustres sunt in Scripturâ hortationes, Luc. 21. 19. Rom. 12. 12. Hebr. 10. 36.

III.

Audiamus ergò ἀντιλογίαν. ℣. 14.

Etiam hoc è regione istius fecit Deus, &c.

I. *Prima est*, Quia *continua est* ista hujus seculi vicissitudo, ut sicut nox & dies, sudum ac nubilum permutentur; ita bona malis, adversa secundis, læta tristibus, dulcia amaris permisceantur, seque mutuò consequantur; adeoque eodem semper statu homo non maneat. *Tempus lugendi, tempus ridendi est, &c.* Eccl. 3. 4.

Scilicet interdum miscentur tristia lætis. Ovid. l. 6. Fast.

Hinc illud Philosophorum scitum, *Contrariis rerum æternitas constat.* Seneca Epist. 108. ex Cicer. quod D. Hieron. in h. l. sic explicat: *Et bona & mala prone tibi evenerint, sustine. Ne putes vel bonorum tantùm aut malorum in mundo esse naturam: cùm ex diversis mundus iste contrariis subsistat: Calidis &*

frigidis ſiccis & humidis, duris & mollibus, tenebroſis & lucidis, malis & bonis.

Usus. 1. Mixturæ hujus, varietatis, inconſtantiæ, ac viciſſitudinis in rebus humanis conſideratio inſignem habet uſum ad Patientiam in adverſis, néve quis animo cadat ac deſperet, ſed dicat:

————*Dabit Deus his quoque finem; Poſt nubila Phœbus.*

Nihil firmum & perenne in mundo, ergò nec tua crux & calamitas: paſſimque ſanctis læta crucis cataſtrophe promittitur: Unde Apoſtolus *ſpe lætari* jubet, Rom. 12. 12. Ea enim ſi non expletur in hoc ævo, certò explebitur in futuro, quo mala cuncta aberunt, Apoc. 21. 4. bona cuncta aderunt, Pſal. 16. 11.

2. Sicuti verò viciſſitudo iſta fortunæ, ad patientiam in adverſis hominem ducit; ſic eadem in ſecundis ipſum ad mediocritatem & decorem invitat, ne efferatur nimium ac inſoleſcat, quaſi nunquam malè habiturus. Eſai. 28. 15. ſed cogitet, nec hoc felici ſtatu ſe manſurum perpetuò, ſed triſtia brevi forſan ingruitura. Felicitas enim ſeculi hujus inſtabilis, momento mutabilis. Experti *Job*, *David*, *Nebucadnezar*, *Balthaſar*, alij. Confer Pſal. 30. 7, 8. & Syr. 11. 27. & 18. 26, 27.

II. Quia *hujus mutationis & viciſſitudinis author Deus*, à quo mala & bona, læta & triſtia, &c. (vide Homil. 4. in cap. 3. Eccleſ.)

Usus. Dicamus ergò, cum Jobo, *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala cur non ſuſcipiamus?* Job 2. 11. *Ipſe dedit, ipſe abſtulit, &c.* Job. 1. 21. cum Davide, *Obtumeſco* &c. Pſal. 39. 10. Verè ille: *Quicquid Deo placet, & nobis placeat, ideò quia Deo placet.* Plutarch. de Tranquill. animi: *In Lyra*, ait, *ſunt ſoni acuti & graves; ſic in vitâ noſtrâ res calamitoſæ proſperis permiſtæ concinnam edunt harmoniam. Sciè lyram vitæ noſtræ utrimque pulſat Deus: quare non tantùm patienter ſed & hilariter modulos hoſce divinos audiamus.*

III. Quia iſta *viciſſitudo optima*. Text. *vſ.* 14. *ea ratione ut non poſſit aſſequi homo eorum quæ inſtant ſibi quicquam.* Vel, *In hoc ne inveniret homo poſt ipſum quicquam.* Vide infrà Hom. 10. in cap. 9. Gemina huic ſermoni interpretatio defertur. *Prior* huc redit, Ideò bona malis permiſcere Deum, tum pijs tum impijs, ne habeant homines, quod de Dei gubernatione ac diſpenſatione conquerantur; quod fieret, ſi malis bona, bonis mala continuò obtingerent; nec utrosque æqualiter hîc tractaret Deus. Atqui is ita temperat, ut neutri habeant quod conquerantur: (Nam & juſtus patitur multa, Pſal. 34. 20. Et impij pacem nullam

nullam habent, Esaj. cap. 48. 22. Et utrisque benefacit Deus, Matth. 5. 45.) Immò melior impiorum est in hac vita sors, quàm piorum; quæ tamen in futuro seculo immutabitur. Luc. 16. *Posterior* interpretatio est; *Ne scire possit homo, quid ipsi eventurum sit futuris temporibus*, ideò Deum mala bonis permiscere: quod fieri non posset, si eodem semper homo esset statu, aut si sciret, quid sibi eventurum esset: Illud enim aut bonum foret aut malum: Si bonum, insolesceret ac securus evaderet; sin malum, continuo versaretur angore, desperaret, aut adversus Deum fremeret ac incandesceret: Utroque modo salutem suam perderet. Itaque bono sit hominis, quod ei futurum suum statum occultat, nempe ut in continuo Dei timore versetur, precibusque apud ipsum instet pro suâ prosperitate; denique in omnem eventum se paret, quia quid serus vesper vehat, nescimus, seu ad subeunda mala, si ita ferat Dei voluntas; seu in secundis, ad serviendum Deo in verâ sanctimoniâ, ne justas sibi pœnas attrahat.

Usus. Igitur Dei consilio refragantur hariolatores, genethliaci &c. qui hominibus futura prædicere moliuntur, quæ tamen ipsos latent. Ut & illi, qui nihil magis exoptant, quàm obventuram sibi sortem rescire, quod tamen maximè ipsis nociturum esset: atque eum in finem vaticinatores, Magos, Astrologos consulunt: qui tamen futuros eventus indicare nequaquam possunt, hoc enim solius Dei. Quâ de re aliàs.

HOMILIA XIII.

TEXTUS ℣. 15.

Ista omnia vidi diebus vanitatis meæ; esse iustum qui pereat in iustitia sua, & esse improbum qui prolongat dies in malitia sua.

Varia sunt ac innumera propè vitia, quibus homo sibi exitium accersit: ita non minus plures sunt virtutes, quibus idem salutem suam promovere potest, ut & hic bene habeat, & æternam assequi felicitatem possit.

Ad

Ad hujusmodi virtutes consectandas Salomon hortatur alterâ hujus libri parte, atque earundem studium sapientiæ nomine indigetat. Ac ut nuper ad patientiam in adversis servandam præcepta dedit; sic nunc ad auream Mediocritatem tenendam hortatur, in quâ virtutis omnis anima velut, essentiaque consistit.

I. *Huius Doctrinæ recenset primò Occasionem, quâ ad eam observandam ac tradendam adductus est.*

II. *Secundò, Doctrinam ipsam de Mediocritate exponit.*

III. *Eandem confirmat.*

DE PRIMO.

Occasio describitur ℣.15.

Omnia vidi in diebus vanitatis meæ: Est Iustus qui perit in justitiâ suâ; & est Impius prolongans dies per malitiam suam. Occasionem igitur dedit Salomoni Experientia, (*Vidi omnia*) quam totâ suâ vitâ (quam *dies vanitatis* nominat, quia vanissima) exercuit, in notandis & observandis eventis quibuslibet hujus ævi præsentis. Atque dum sic provocat Salomon ad experientiam, fidem adstruere nititur suæ huic adsertioni, quam & hodiernorum temporum experientia abundè comprobat.

DOCTRINA I.

Observandi eventus in mundo, ut sapienter vivere discamus. Homil. 6. in Eccles. 1.

DOCTRINA II.

Vita hæc vanissima, similis umbræ. Homil. ult. in cap. 6. Eccles. Quid ergò illud quod vidit & expertus est Salomon? *Iustum perire, &c. impium prolongare, &c.* *Iustus*

Iustus intelligitur, non qui perfectè talis est, sed qui justitiæ, h.e. pietati, sinceritati, æquitati studet. Verba porrò geminum habent sensum: Aguntenim.

Partim, 1. de bonorum & malorum dispari conditione.

Partim, 2. de ejus caussâ.

1. Discrimen est, quòd *Iusti pereant*, h.e. experiantur mala & infortunia multa, nec sint longævi; cùm tamen sint innocentes, & digni majori prosperitaten, ac longiore vitâ: Contrà impijs benè sit diuque vivant; cùm tame nocentes sint, ac tum pœnas, tum citammortem bene meriti. Certè hoc ipsum est, quod & alibi in scripturâ asseritur; Bonis malè, malis benè esse in præsenti hoc seculo: Je ärger Schalck/ je besser glück. Infra cap. 8.13. Questus id David Psal. 73,2.12. Job.21.7. Jerem. c.12.1. Mal.c.3.14.15. Hab.c.1.3, 4. Christus idem parabolâ Epulonis & Lazari explicuit, Luc 16. Et portæ latæ angustæque similitudine. Matt.7. Quin & hoc observare est, pios citò quandoque hinc avocari. 1. Reg. 14.13. impios ad senium pervenire. Job.21.13. Sic Abel mox à Cain occisus. Manasses impius regnavit 50. annos: pij Reges non totidem, David 40. Josias 31. Ezechias 29.

Objectt. At contrariæ his divinæ promissiones, & minæ.

a. *Pijs* enim promissa est omnimoda felicitas, Esai.3.10. Psal. 112.1. 1.Tim.4.8. Tum etiam longævitas, Præcept. Decal.5. Prov.3.2. Ps.128.5.6.

b. *Impijs* contra adversa quæque ac judicia Dei horrenda denunciata: Jerem.2.19. Psal. 32.10. tum etiam vitæ decurtatio. Psal.55. 25. Jerem.17.11. Adde quod hoc divinę justitiæ adversari videtur; quippe secundum quam, Bonis bona, malis mala essent irroganda; siquidem Deus æquissimus sit bonorum & malorum Retributor, Rom.2.6. R.1. Non universale est, ac perpetuum, nec id Salomon hîc asserit, sed quandoque evenire docet, ut justi pereant, impijs dies prolongentur: Nam & contrarium experientia testatur, ac divinas illas promissiones pijs, & comminationes impijs factas, confirmat: ut pij diu vivant, impij brevi quandoque ac improvisò & tragicâ morte abripiantur.

2. Si pij affliguntur, sit ipsorum bono. Rom.8.28. 1. Cor.11.32. si bonis afficiuntur, benedictio est Dei: si ijdem pij citò moriantur, majore tum beneficio afficiuntur, quàm si diutius viverent; quia ante malum abripiuntur. Esai. 57.1. quiescunt à laboribus. Apoc. 14.13. desinunt peccare. Sap. 4.11. Nazianz. scribit Orat. funeb. de fratre Cæs. *Lon-*

gus vitæ spacium nobis hoc afferre, ut plura mala partim videamus, partim sustineamus, partim perpetremus. Verè vivere incipiunt, cùm mundo vivere desinunt: *Melior dies mortis, quàm nativitatis.* Stat igitur Deus promissis; quia utiliora & majora dat illis, quàm promisisse visus est.

3. Si impijbona accipiunt à Deo in hâc vitâ, maledictio est; Psal.69. 23. Jerem.12.3. Rom.2.4,5. Sin malis afficiantur, non castigatio est paterna, sed pœna Judicis irati. Psal.11.5,6. quâ consumuntur & pereunt. Psal.73.19. Prov.24.16. Si diutissimè vivant, maledicti manent. Esai.65. 20. ut tantò diutius peccent, & exinde pœnas acriores in gehennâ sibi accersant.

His observatis, facilè erit, experientiam, de quâ hîc Salomon loquitur, conciliare cum verbo Dei, ejusque promissionibus & justitiâ Dei. Pereat enim hîc pius: at suo bono perit, & cum fœnore majoris felicitatis: Diutnec contrà impius, at illius damno id fit, & eventu longè infelicissimo.

Usus. a. Ne ergò Dei providentiam ac administrationem sugillemus; quasi vel minus res humanas curaret, sed omnia sursum deorsumque ferri permitteret: aut quasi promissionum factarum minus esset memor, ac minarum: aut iniquus bonorum & malorum Retributor. Facessant hujusmodi cogitata. Dum enim nos temerè ac confusè cuncta fieri putamus, Deus sapientissimè cuncta moderatur ac gubernat, certas ob causas ac fines, licèt nobis incognitos.

b. Hæc tamen Dei administratio, qualis præsenti est seculo, quæ absona oculis nostris apparet, indicio est futuri judicij & venturi seculi; quo justis perfecta ac constans felicitas obtinget; impijs verò perennis miseria. Apparebit tum piorum & impiorum discrimen; quod in hoc seculo non liquet. Mal.3.18. Patebit tum Dei justitia, cuique juxta opera sua tribuens. Eluceſcet ejus veritas in servandis promissis & minis.

c. Ne ergò impijs invideamus suam, quâ hîc utcunque utuntur, prosperitatem: nec pietate lassescamus, quasi nullius esset usûs, quam tanta, si desint in terris, ast cœlis manent præmia: sicut non ad statum hujusseculi, sed futuri respicere nos conveniat: quò cit. parab. Epulonis & Lazari ducit, & quod memorat Apost.2.Cor. 4.17.18. *Non ut nunc, sic olim erit.*

2. *Secundò* verò possunt verba ista accipi ἀντιλογικῶς; ut sensus sit, Justis nonnunquàm justitiam suam fraudi esse & nocumento, sic ut

propter

propter illam odia & persecutiones hominum incurrant, ac pereant: Ex. *Lothi, Josephi, Jobi, Davidis Nabothi, Christi ipsius, &c.* Contrà impios impietate suâ mundi gratiam ac favorem assequi, sicque intactos evadere, ac vitam prolongare.

Consect. Unde patet, quàm *præposterа sit hujus mundi ratio*, & ut cuncta inverso ordine ferantur.

Pij & justi, qui magnificendi essent propter justitiam suam, deprimuntur; extolluntur in eo & florent impij, ac perversi. Joh.15.19.

Sapientia divina, stultitia coram mundo: calliditas fraudulenta, quæ verius insania, pro verâ prudentiâ æstimatur ac colitur.

Res vanas ac caducas, uti sunt divitiæ, honores ac dignitates mundanæ, præ bonis cœlestibus ac æternis consectatur mundus; dum in illis summam felicitatis locat; ista nihili facit ac negligit: cum hæc præ illis potius sint occupanda.

Pauperes & humiles, despectui sunt & calcantur, quantumlibet pij ac utiles humano generi: In precio sunt divites ac præfracti, sæpè nocentissimi: cùm alia sit de utrisque in cœlis sententia; illique præ his in majore sint precio. 1. Cor.1.26, 27. Jac.2.5.

Veritas cœlestis exosa est mundo, hanc è medio sublatam cupit: mendacia, hæreses, novæ ac falsæ doctrinæ magno cum pruritu aurium arripiuntur: cùm tamen illa vitam pandat, hæ ad Orcum seducant.

Summa. Mundus totus perversus, & in malo jacet: Laudanda vituperat, vituperanda laudat; amat fugienda, execratur amanda.

Usus. Perperam igitur faciunt Pseudopolitici quique, qui se student mundo conformare, ut ei placeant, atque ab illo suspiciantur; secus quàm monent Apostoli, *Paulus*, Rom.c.12.2. *Jacobus*, c.4.4.

Object. At verò cùm in mundo præsente vivendum sit, rectiùs mihi videor facturus, si ei me conformem, secus ærumnosa ac contempta mihi vivenda fuerit vita.

R. Respondet benè in hac materiâ D. Joh.cap.2. *Mundus perit cum suis delicijs, &c.* Si mundus iste æternùm duraturus esset, & nos in illo, næ! prudentes agerent mundani, qui se illi accommodant; sed quia stabilem hîc non habemus civitatẽ, rectiùs faciunt qui hâc susq; deq; habitâ, ad melioram illam anhelant in cœlis. Satius igitur est, hîc esse pauperem contemptum, infortunatum, ut altero seculo felix sis: quàm in hoc mundo felicissimum; & altero futuro miserrimum. Nunquid enim satius fuisset Epuloni, si Lazari sortem habuisset in hâc vitâ? &c.

HOMILIA XIV.

TEXTUS vſ.16.17.a.

Ne eſto iuſtus nimiùm, neque ſapere tibi videtor amplius: quare deſolationem tibi accerſeres? Ne improbus ſis nimiùm, neque ſis ſtolidus.

DE SECUNDO.

SEquitur jam ipſa doctrina ſeu exhortatio ad *Mediocritatem*. Virtutem in *Mediocritate* conſiſtere, ſcitum eſt Philoſophorum. Ariſtot. lib.2. Ethic. cap.6.

Mediocritati autem duo opponuntur extrema, *Exceſſus* vid. ac *Defectus*; ſeu Nimium Omne: dum vid. vel nimis multum, vel nimis parum, quicquid eſt, peragitur: utrumque vitioſum eſt. Ut falſum eſt pondus, quod vel plus æquo, vel minus æquo ponderat, acutrumque Deo eſt abominabile, Prov.20.10. ſic actio, virtutis nomen amittit, cùm vel intenditur ſupra medium, vel deficit. Quam in rem multa egregiè dicta occurrunt apud profanos etiam ſcriptores.

Iſidorus Peluſiota judicat ex hâc Salomonis gnomâ prodijſſe veterum ſapientum apophthegmata ac parœmias: μέτρον ἄριστον, modus optimus: Item μηδὲν ἄγαν, nequid nimis.

Sic *Horat.* Satyr.1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum:

Idem alibi *Mediocritatem* vocat *Auream*. lib. 2. Ode 10.

Cicero 3. de offic. *In omnibus rebus mediocritas eſt optima.*

Ovid.

Ovid. 2. Metamorph.

Medio tutissimus ibis.

Inter utrumque vola.

Eôdem alludere videtur Deus ipse, quando jussit ambulare in suis præceptis, & vetuit declinare vel ad dextram, vel ad sinistram.

Docet porrò hîc Salomon, Mediocritatem istam in duobus potissimùm capitibus observandam:

I. In *Justitiâ*: II. & *Sapientiâ*.

Sic ut in neutrâ ad extrema & nimia deflectatur.

I. *Primò* enim ait. *Ne sis justus nimiùm*, v. 16. quibus *Excessum* Justitiæ prohibet.

A. Nemo propriè justus esse potest nimiùm; quantò enim quisque justior, aut virtutibus alijs fulgentior, tantò perfectior ac laudabilior fuerit. Si quis tamen excessum in justitiâ fecerit, quam exercuisse sibi visus est, non amplius justus dici meretur, sed severus, rigidus, tyrannus: Sic qui remissior est in exercendâ justitiâ, eum Salomon hîc impium vocat simpliciter; quia jus minuit, eoque minus dat, quàm par sit. Medium inter duo hæc extrema est justitia propriè sic dicta, seu ἐπιείκεια, h. e. æquitas, in moderatione juris ac legum consistens.

Cæterùm variè excessus justitiæ committitur; circa vid. justitiam publicam, privatam, spiritualem.

a. *Publicam*, quæ vid. à præfectis quibuslibet ac Judicibus exerceri debet. Delinquunt igitur, qui pœnas nimis intendunt, citra ullam moderationē ac dispensationē, circumstantijs non observatis. E. g. Furtum laqueo puniri solet; quod si adolescens aliquis, leviculam rem surfuratus suspenderetur, rigor esset nimius; cùm & ætati adhuc emendabili parcendum esset, & levitas delicti attendenda. Ita nec in *Ecclesiasticâ disciplina* nimium rigorem exercendum esse, monuit Servator in parabolâ de Zizanijs, inquiens, *sinite crescere*, quibus ad patientiam, & tolerandos malos, quorum vid. vitia legibus non puniuntur, ut sunt avari, otiosi, iracundi, invidi, contentiosi, &c. qui citra Ecclesiæ dissipationem emendari nequeunt, hortatur: quod ipsum & Apostolus in Ministro requirit, 2. Tim. 2. 28. Similiter modum excedunt *Parentes* & *Heri*, si nimiùm in liberos & servos sint rigorosi, ut nimiâ severitate eos ad iram provocent, Ephes. 6. vers. 4. ac ad pusillanimitatem adigant, Colos. 3. 21.

Usus. Neque igitur stricta justitiæ executio semper laudabilis cùm dispensationem & verbum Dei, & jura permittunt.

b *Justitiæ* verò *privatæ* excessus committitur ab inferioribus ac privatis, vid. quum nihil de jure suo remittere volunt, sed severissimè cum proximo experiuntur: uti fecisse legitur Conservus ille, Matth.18, vers. 30. In hos valet illud; Summum jus, summa injuria: ac hujusmodi rigorem vitandum esse, monet Servator, Matt. 5. vers. 25, 26. Eòdem spectant, qui nullam fratribus offendentibus dare veniam, & reconciliationem amplecti volunt. Idem fit, rigidâ nimis nævorum ac delictorum proximi censurâ & traductione; dum qui trabem in oculo gerunt, festucam ex oculo fratris educere satagunt: quales Pharisæi, qui discipulos Christi non lavantes manus ante sumptum cibum, spicas evellentes Sabbatho, Christum ipsum Sabbatho sanantem, ac cum peccatoribus conversantem, ut enormes peccatores traducebant ac damnabant: quæ herclè severa nimis ipsorum erat censura. Adhibenda ergò hîc ἐπιείκεια & moderatio, monente Christo, Luc.6.37. monendus & corrigendus potius proximus cum spiritu mansuetudinis, Gal.6.1. temperandus rigor, ne delinquens tristitiâ absorbeatur, 2. Cor.2.7.

c. Denique *justitia spiritualis* excessus committitur.

Tumà *Justitiarijs*, qui opera crepant supererogationis, quasi plus quàm Lex exigeret, præstare possent; vid. vigilijs, jejunijs, castigationibus corporis intensioribus, se-ipsos excarnificando; quod sive sit, sive in speciem dicatur, excessiva est justitia. Lex enim justitiæ regula est, quam excedere ἀνομία est, ac nimia justitia. *Nemo sapientior sit quàm conveniat, nec Lege exactior, nec luce splendidior, nec normâ rectior, nec præcepto divino sublimior.* Greg. Nazianz. Orat. 26.

Tùm à *Superstitiosis*; Religio enim si sit nimia (nimia autem est, cùm fingitur talis, ubi à Deo non est præcepta) à se-ipsâ degenerat, & fit superstitio; quales fuerunt Judæorum illæ sanctiones, Marc.7. pluresque in Papatu, veluti abstinentia à carnium esu certis diebus, reticentia alicujus delicti in confessione auriculari, &c. ob quarum neglectum si quis conscientiâ angeretur, nimis foret in se-ipsum injurius & sævus. Sic nimium justus *Propheta*, qui sub prætextu nescio cujus justitiæ, noluit prophetam vulnerare. 1. Reg.20. *Saul*, qui pepercit Amalekitis, 2.Sam.15. *Corinthij*, qui incestuosum plus æquo afflixerunt, 2. Cor.2.6.

B. Hactenus de excessu Justitiæ: *Defectum* verò in *Justitiâ* expri-

mit

mit vers.17. *Ne sis impius nimiùm*, non quòd vel minimùm impium esse liceat, hoc dicit; sed ut notet, culpabilem esse defectum in exercendâ ac vindicandâ justitiâ, perinde ut sit excessus: ex defectu enim meram sequi impietatem, profanitatem, scelera quævis, &c. Cavendum ergò monet cuilibet, ne in justitiâ observandâ nimis sit remissus ac negligens, ne vel sibi vel alijs author sit impietatis, atque ad vitia fenestram aperiat. Hoc autem fit ab ijs, qui tùm sibi, tùm alijs, præposterâ lenitate, aut veriùs levitate, in peccatis connivent, dum eadem elevant ac pro nihilo habent, velut pœnâ ac emendatione minus digna. Taxatur id in *Magistratu*, qui peccata grassantia non ulciscitur. Jerem.48.10.

In *Ministris*, si muti sint canes, si pulvillos substernant.

In *Parentibus*, si Eli imitentur.

In *omnibus*, si vilipendant sua scelera, quasi minus piacularia, aut nociva, ullamque Dei offensam aut vindictam promerentia. *Modicum*, inquiunt profani tales, *non nocet*; wenig schadt wenig; modò ne modum excessero, atque ad graviora scelera deflexero. Quæ sanè pessima est peccati fraus. *Modicum hic multum nocet*; quia minora delicta majoribus viam sternunt. Benè *Chrysostomus* levicula illa aciei bipennis, aut mucroni hastæ comparavit, qui in extremitate tenuis est, sensimque retrò crassior, quo tamen crassiori via panditur, ut penetrare corpus humanum possit ad illud sauciandum. Hinc, judicante Salomone nostro, impius ille multum, qui vel tantillum defiectit à regiâ justitiæ ac pietatis viâ; sic ut levia quæ videntur peccata, nullo planè habeat loco; non modò qui atheus planè, ac atrocia quævis scelera perpetret.

II. Secundò, *de Sapientiâ* itidem excessum ejus ac defectum dissuadet.

A. *Excessum, Ne sis sapiens nimiùm.* Martialis benè libr.14. epig.181.

Quisquis plus justo non sapit, ille sapit.

Nimia hæc sapientia deponenda est,

a. Tum in *divinis*; ne quis arcana Deo curiosè scrutari tentet; aut plus scire aveat, quàm visum est Dei nobis in verbo suo patefacere: quod faciunt illi, qui perplexis disputationibus sese involvunt, quæ fidei scientiam non juvant, sed potius obfuscant; vetat id *Christus*, Act.1.7. *Paulus*, Rom.11.34.35. & 12.3.

b. In

b. In *humanis:* 1. Ne quis scientiâ rerum palmam cunctis alijs nitatur præripere, seu sapere velit plus cæteris; quæ ingens est arrogantia & præsumptio.

2. Nimia dein sapientia est hominum mundanorum in malo, quâ superant filios lucis, Luc.16.8. quæ calliditatis ac fraudulentiæ potius nomen meretur, atque à piâ ac prudente simplicitate exorbitat. Jerem.4.22. *Improbitatis scien ia non est sapientia, neque prudentia ubi consilium peccatorum est.* Syr.19.19.&c. Tales suo quidem judicio plus sapere alijs videntur; revera autem sapientia non est, sed ejus excessus, eoque desipientia.

B. *Defectum:* cùm ait, *Et ne sis stultus, &c.* Iterum

a. Seu in *divinis:* quum nullâ fidei ac religionis scientiâ pollent homines, sed planè bruti sunt, in cognitione Dei & salutis mediorum: aut quum sunt instabiles, Psal.119.*vs.*113. atque à quovis vento doctrinæ circumferuntur, Ephes.4.14. quorum hominum insscitia in tantâ Evangelij luce inexcusabilis: aut quum ob defectum scientiæ boni ac recti, tum à seipsis impinguntut peccent; tum ab alijs seduci se patiuntur ad vitia & impietatem.

b. In *humanis* verò, dum quis ea, quæ ad vocationem & officium suum dextrè obeundum, scire ipsum oportet, ignorat, aut explorare negligit, cum rei tùm publicæ tùm privatæ damno: veluti si Politarcha ignarus sit juris ac Legum; Ecclesiastes doctrinæ cœlestis, &c. Artifex alius, suæ artis dogmata ut requisita ignoret: aut in universum, si quis in tractandis mundi negocijs nimis sit simplex ac inexpertus, ut decipi facilè possit ab improbis.

HO-

HOMILIA XV.

TEXTUS ℣.16.17.b.18.19.

Ne esto iustus nimium, neque sapere tibi videtor amplius: quare desolationem tibi accersseres? Ne improbus sis nimium neque sis stolidus; quare morereris ante tempus tuum? Melius est ut prehendas hoc, quin etiam ab hoc ne remittas manum tuam: reverentem Dei exire ab omnibus istis. Hæc sapientia robur confert sapienti, magis quàm decem dominatores qui sunt in eadem civitate.

DE TERTIO.

SEquitur nunc hujus Doctrinæ *Confirmatio* multiplex: Prima ratio desumpta est à *Noxio:*

2. ab *Vtili.*

3. ab *AEquo.*

1. Testatur Salomon primò *nocentissimum* esse, tùm *excessum* tùm defectum, *Iustitiæ* ac *Sapientiæ.*

2. *Excessum* quidem dum ait, *Cur obstupesces* Vel *Cur desolationem accersseres tibi.* Docet Salomon, nimiam justitiam ac sapientiam stuporem inducere, ac aciem mentis perturbare potius quàm perficere, ad hominis exitium. Simile desumptum est ab intuentibus Solem,

quorum oculi hebescunt: ita si quis nimis alta tentet, aut altius scandere velit quàm par est, vertigine tangitur ac obstupescit.

α. Ac nimiam *Sapientiæ* affectationem stuporem conciliare, atque deliros & amentes reddere, docet Apostolus, Rom.1.22. exemplo Philosophorum gentilium. 1. Cor.1.23. Suoque damno experti sunt primi parentes, qui dum scientiam boni & mali suasu diaboli affectassent, stupidi nimis facti sunt. Ejusmodi sententiam de Paulo tulit Festus, licèt immeritò, Act.26.24. Quin & perversos ejusmodi nimiæ sapientiæ affectatores, Deus infatuat. Job.12.17.

β. Idem de nimio *justitiæ* rigore palàm est, ut qui ejus sunt assueti, ad stuporem divergant, quo correpti multa pronunciant, ac faciunt incongrua, absona, iniqua, ac noxia. Ex. in *Pharaone*, *Saule*, Sacerdotes Nobi interficiente: *Herode*, alijsque tyrannis, qui nec uxoribus, nec liberis, nec parentibus, immò ne sibi quidem pepercêre, hoc stupore corrupti.

b. *Defectum justitiæ*, quam impietatem dixit; tùm etiam sapientiæ, quam stultitiam vocavit, noxam maximam inferre docet, inquiens, *Quare morereris ante tempus tuum*, Vel, *Vt quid morieris non in tempore tuo?* Equidem, *Stat sua cuique dies:* Virg.10. Æneid. & constituti termini vitæ, qui præteriri non possunt, Job.14.5. & numerus dierum præfixus est, Psal.39.5. ut nemo moriatur ante tempus, si præscientiam ac decretum seu providentiam Dei respicias: at secundùm naturæ cursum, quæ protelanda erat vitæ tela, præciditur, Esai.38.12. jussu ejusdem Dei propter peccata; sicque moritur peccator in tempore non suo, nec dimidiat dies. Psal.55.vers.24. Prov.10.27. *Reverentia Jehovæ adjicit dies, anni verò improborum decurtantur. Homines scelerati* (ait Hieron.) *moriuntur in tempore non suo, quia vel Judicum vel Dei vindictâ de vitâ tolluntur ante naturalem vitæ terminum, quem attigissent, nisi is incisus & præreptus fuisset.* Exempla infinita in clade Diluvij, Sodomiticâ, maris rubri, & alijs; in Saule, Achitophel, Absalone, Amnone, Hamane: eôdem spectat interminatio familiæ Eli facta, 1. Sam.2.31. & 33. *Non futurus est senex in familia tua*, &c. *tota soboles domus tuæ morientur virili ætate.* Moriuntur dein Impij *tempore non suo*, hoc est, tali, quo mortem non expectabant, nec ad eam se præparabant: Unde fit, ut ex morte hâc tendant ad secundam mortem in gehennâ subeundam; quæ merces est impietatis & stultitiæ in divinis & spiritualibus.

usus

Usus. Mors ergò & temporalis & æterna intempestivè obruet impios. Cavendum igitur, resipiscendum tempestivè, anticipanda festinatio mortis, acceleratione resipiscentiæ.

II. Alterum argumentum ductum est ab *Vtili:* Cujus argumenti tùm *Propositio*, tùm *Confirmatio* spectanda.

I. *Propositio* est ψ. 18. a. *Bonum est, (melius) ut apprehendas istud, & etiam ab hoc ne subtrahas manum tuam.*

Verba hæc spectant præcedentia: Conducere vid. utrumque & *Hoc* & *Illud*: *Hoc*, Nempe, ut nimium Defectum tùm Justitiæ tùm Sapientiæ vites; adeoque ne sis impius multùm, aut stultus: *Illud*. Nempe, ut excessum quoque caveas, adeoque ne sis vel justus vel sapiens nimiùm: Sed, (quæ principalis hîc est doctrina) ut medium inter utrumque servare studio habeas in omni vitâ & actione. Atque hoc Bonum seu Utilissimum esse docet Ecclesiastes. Equidem si Virtus optima, illa verò in Mediocritate consistat, sequetur optimum esse medium tenere. Idem natura ipsa docet: Nam & nimium alimentum officit sanitati, & inedia: Et nimia commotio itemque quies corpus lædit. Idem in affectibus animi cernere licet: Nam & nimia lætitia, & nimia tristitia nocent; sicuti nimia ira & nulla. Quemadmodum in Musica nimis altæ nimisque demissæ voces vitiosæ habentur. Sed audiamus Salomonem ipsum Utilitatem mediocritatis confirmantem.

II. Duplex *Confirmatio.*

A. Prior absoluta: Dum ait, *Reverentem Dei*, &c. vel Per *Timentem Deum*, studiosum mediocritatis intelligit: Qui enim vel in excessu vel defectu nimij sunt, eatenus peccatum committunt, & à Dei timore prævaricantur: Duo itaque innuit Salomon hîc:

1. Timorem Dei *Normam* & *regulam esse Mediocritatis* tenendæ, & extrema vitandi.

2. Eundem Timorem Dei, Mediocritatis matrem, *utilissimum esse* ad præcavenda illa mala, de quibus v. 17. dixerat, perditionis sc. & mortis immaturæ.

1. Quod enim *primum* attinet, si quis oggesserit, Difficillimum esse in omnibus tenere medium, peritissimum ac sapientissimum fore qui id posset;

Respondet Salomon, *Deum Time:* Sincerus Dei timor hoc te docebit. Docebit enim inquirere in ejus Legem & voluntatem, quæ vitæ nostræ debet esse regula: Docebit Te viæ illi regiæ, quam Lex monstrat insistere, & cavere, ne vel ad dextram vel sinistram exorbites: faciet te attendere ad dictamen conscientiæ Lege Dei illustratæ: Docebit, tibi auxilium & ductum Spiritus Dei esse implorandum, qui gressus tuos & instituta cuncta dirigat. Psal. 143.10. Summa. *Timor Dei caput omnis sapientiæ:* Sapientia autem in mediocritatis observantiâ subsistit.

2. Quod alterum attinet, Videntur exiguæ esse Timoris Dei utilitates, & majores Impietatis, uti & ℣.15. Ecclesiastes noster innuit, respiciens ad præsentis seculi statum, & judicium profanorum hominum. Sed enim amplissimas docet nunc, quia sc. *Timentes Dei exeunt ab his omnibus,* sc. exitioso stupore ac perditione, tum etiam intempestivâ morte: Hoc verò quomodo intelligendum sit de pijs etiam, qui primâ ætate hinc avocantur, superiùs dictum est ad ℣.15, Hom. 13. Confer Homil. ult. in Eccles. 12.15. de Timore Dei.

B. Posterior Confirmatio comparativa est, ℣.19. *Sapientia plus roborat sapientem, quàm decem potentes (dominatores, præfecti) qui sunt in urbe*; (sc. eam muniunt.)

Sapientia hîc intelligit eam speciem, quâ quis prælucente timore Dei medium servare studet in omnibus: Eam confert fortitudini, quæ in viribus corporis, seu potentiâ plurimorum vires conjungentium subsistit; ac testatur vel unius modò sapientiam præstare plurimorum etiam primariorum potentiæ. Videtur loqui de tali casu, quando civitas aliqua ab hostibus est obsessa; tùm enim unius sapientis consilia bona magis possunt conferre ad eam tuendam, quàm si fortissimi quique armis alijsque bellicis præsidijs eam defendere nitantur. [Decem] numerus finitus pro infinito, ut Job. 19.30. Num. 14.22. Levit. 26.26. Decem virgines. Matth. 25. & alibi.] Confer quæ infrà dicit Salomon, c. 9. ℣.ult. & Prov. 24.5 *Vir sapiens est cum robore, & vir scientia fortificat vires. Nam prudentibus consilijs geres tibi bellum, & salus est in multitudine consiliarorum*: & cap. 21.22. *Urbem potentium conscendit sapiens, & descendere facit robur fiducia ejus.*

Usus. Ingens igitur civitatis non modò ornamentum sed præsidium, Viri, licèt pauci, sapientiâ, consilio, rerumque experientiâ instructi;

ti: magno tales Reipubl.. sunt commodo, præsertim temporibus periculosis ac bellicis: quales fuêre *Joseph*, Genes. 41.42. *Daniel*, cap.2.& 4. *Obadias*. 1.Reg.18. *Ebedmelech*, Jerem.38. sicut econtrà ingens Dei pœna est, si tales per mortem subducantur: Jesai. 3.3. Tales procurandi, fovendi, honorandi, in precio habendi, pro talibus orandum, &c. Inaniterque viribus aut potentiæ confidunt, aut his ampullantur, qui sapientiâ ac moderatione in rebus agendis destituti sunt.

Vis consilii expers molem sua. Horat.

Sapientia cœlestis (fides, pietas.) fortior Satanâ, &c. 1. Joh. 4.5. mundo, c.5.4. Adhæc Angelus Domini castrametatur circa timentes Deum, Psal.34.8.

HOMILIA. XVI.

TEXTUS ℣s. 20,21,22.

Quamvis homo nemo sit iustus in terra; qui faciat bonum, ac non peccet. Etiam ad omnia verba quæ dicuntur, ne adhibeto animum tuum: quum non debeas audire vel servum tuum maledicentẽ tibi: Nam etiam multoties conscius est animus tuus, te quoque maledixisse alijs.

III.

TErtium argumentum desumptum est ab *æquo*, ℣s. 20. 21. Suadet enim moderationem juris ac justitiæ tùm privatim tùm publicè adhibendam; ne videlicet rigidiùs aut severiùs quisquam cum proximo agat, atque ad amussim omnia exigat; sed servatâ ἐπιεικείᾳ, subinde connive-

niveat, toleret, dissimulet ejus nævos aut offensas: Quia nempe id sit æquissimum,

I. *Primò* quidem propter communem omnium hominum sortem: ℣.20. *Quamvis homo nemo sit justus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet.* Quia nemo exactè justus sit, vel esse possit, nemo qui non peccet; sed omnes homines peccato implicati & obnoxij: Sic ergò ab omnibus in omnes mutuus rigor esset exercendus, unde necesse esset omnem inter homines charitatem extingui ac è medio tolli.

Hoc passim traditur in S. Scriptura. 1. Reg. 8. 46. Job. 9.2. & 15.15. Psal. 10. 13. ex 32.6. & 130.2. & Psal. 143.2. Prov. 20.9. Esai 64.6. Rom. 3. 23. Jac. 3.2.

Usus 1. Doctrinalis & moralis: Ad agnitionem sui ipsius, humilitatem, æquitatem erga proximum.

2. Ἐλεγκτικός, adversus justificationem ex operibus, bonorum operum merita, & maximè opera supererogationis.

II. *Secundò* ad declinandam retributionē ex Lege Talionis, ℣.21, 22. *Etiam ad omnia verba, quæ dicuntur, ne adhibeto animum tuum: quum non debeas audire vel servum maledicentem tibi.* Vel *tuum Ne audias*, &c. In hanc sententiam hortatur Abigaël Davidem, ne animum adijciat ad convitia Nabalis. 1. Sam. 25.25.

Sermo est in specie de *convitijs & obtrectationibus*, in quibus vindicandis modum adhibendum esse docet Salomon, nec rigidius cum proximo obtrectatore agendum esse; sed remittendum esse de nimiâ severitate, (a) tùm in explorandis convitijs in nos sparsis, (b) tùm in ijsdē vindicandis:

a. In *explorandis*, inquam, ne curiosè nimis percontemur, quæ injuriosè ac contumeliosè alios in nos dixisse, fama fert; quia si minutius singula expiscari voluerimus, fieri possit ut cogamur etiam domesticos proprios ac servos audire nobis detrahentes: adeò (vult dicere) nemo tutus esse potest à linguæ maledicæ flagello, ut nequidem devinctissimi ac familiarissimi quandoque parcant: satius igitur esse ad vanos vulgi rumores animum non adijcere, sed surdâ aure præterire ac dissimulare, generoso excelsoque animo despicere; minusque illis affici, commoveri ac perturbari; adeoque ad id præcavendum non scire cupere, quid alij de nobis dicant aut sentiant, servi cum primis ac stolidum, vanum dicaxque vulgus. Exempla; in *Davide* erga Semei, Psal. 38.14. *Aristippus* convi-

vitiantem fugit: Qui insequens ipsum cùm rogasset, Cur fugis? *Quia* (inquit) *tibi facultas est maledicendi, mihi verò non est audiendi.* Bonus Princeps *Augustus* nominabatur, & parens Reipublicæ, quòd contumelias quoque suas, quæ acerbiores Principibus esse solent, quàm injuriæ, nullâ crudelitate exequebatur: quòd probrosis in se dictis arridebat: quòd dare illum pœnas apparebat cùm exigeret. Senec. 1. de Clem. cap. 10. *Titus* Imperator optimè: *Nihil* (inquit) *ago, ob quod reprehendi merear; ea verò, quæ de me falsò dicuntur, prorsus negligo.* Ita Xiphilinus in ejus vitâ. *Philippus Macedo*, Primoribus sibi obtrectantibus, gratias habuit; *Quia* (inquiebat) *eorum obtrectationibus fio melior, dum factis conor illos mendacij convincere. Plutar. in Apopht.* Cujus occasione pulcrè differit Seneca, libr. 3. de irâ, cap. 24. *Fridericus* III. Imperator solitus sæpè dicere: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare: immò nescit vivere inter mortales, aut regnare suos affectus.* Nec minus ad rem illud *Plutarchi*, in libro de cohibendâ irâ; *Accuratè* (inquit) *scrutari, inquirendo omnia, atque in medium protrahere omnia servi negotia, omnes amici actiones, omnia filij studia, omnes uxoris susurros; ea verè res iras gignit multas, atque continuas & quotidianas, quarum summa eò redit, ut morosi intractabilesq; reddantur.* Eximium mansuetudinis istius exemplum præbet Christus, qui ad convitia hostium obmutuit; cujus vestigijs nos insistere par est. Matth. 11. 29. 1. Petr. 2. 23.

Usus. Cum sale igitur accipiendum, quod dicitur, etiam ab Augustino: *Crudelis est, qui famam suam negligit:* Quomodo enim atrocioribus calumnijs occurrendum sit, suprà dictum Hom. 7. in h. cap. sed minutiora quæque observare, & ad animum demittere, hominis est impotentissimi, & in se-ipsum crudelioris. Nihil enim nocent verba, nisi illis, qui attendit.

(b) In *vindicandis* verò dicterijs & obtrectationibus, rursùm servandum esse modum, nec rigidius puniendas esse, licèt facultas adsit, sed dissimulandas, potius ac condonandas, ideò; quòd & ipse tibi conscius sis (h.e. in conscientiâ convictus) & te quoque sæpenumerò detraxisse alijs: ψ. 22. *Nam etiam multoties conscius est animus tuus, te quoque maledixisse aliis*; q. d. Agnosce ergò justam Talionis pœnam, quâ Deus paria paribus congruenter & justissimè retribuit; juxta illud, *Quâ mensurâ*, &c. Matth. 7. 2. adeo ut (juxta illud Comici) *qui dicis qua vult, audit quæ non vult.* Patienter ergò & æquoanimo feras, nec ultionem spires adversus Calumniatores, Sicut enim optabile & tibi fuit aut fuisset, si quos & tu pro-

probrosâ linguâ flagellasti, in te fuerunt mitiores: Ita & tu similiter erga tuos detractores affectus esto; Quod enim tibi vis fieri, idem & alijs facito.

DOCTRINA I.

Deus in irrogandis pœnis Talionem servat. Lev.24.10.Deut.19.19. *Per quæ quis peccat, per illa punitur.* Sap.11.17. *Væ qui spolias, quia vicissim spoliaberis.* Jes.33.1. *Si quis in captivitatem ducit, in captivitatem abibit, & si quis gladio occidit, gladio occidetur.* Apoc.13.10. *Qui gladium accipit, gladio peribit.* Matth.26.52. *Qui sanguinem effundit, hujus sanguis effundetur.* Gen.9.6. *Quâ mensurâ metimini, metientur vobis.* Luc.6.38. Ex. *Pharao* parvulos Israëlitarum aquâ suffocari jussit, idem post cum toto exercitu rubro mari submersus perijt. Exod.1.22. & 14.28. *Adoni-besec,* Jud.1.7. *Agag,* 1.Sam.15.33. *David,* cujus pellices eodem loco constupratæ, quo priùs ipse impuro erga Bathsebam amore inarsit, 2.Sam.11. *Achab & Jesabel,* 1.Reg.21.13.& 22.38.& 2.Reg.9.35.& 21.13. *Baasa,* 1.Reg.15.28.& 16. v.39. *Zimri,* 1.Reg.16.16. *Sallum,* 2.Reg.15.14. *Insidiatores Danielis,* c.3.& 6. *Haman,* Esth.7.10. *Nicanor,* 1.Macc.7.42. *Menelaus,* 2.Macc.13.5. *Judæ* 30. siclis Christum vendiderant; vicissim triginta eorum uno siclo venditi, in excidio Hierosolymitano. *Saltatrix illa,* quæ ab impio Herode caput Johannis amputari petijt, postea fluvium glacie constrictum transiens, ruptâ illâ mergitur capitetenus, quod glacie statim à reliquo corpore resectum. *Niceph. De Perillo* tauri ænei authore, sic Claudianus:

Sensit opus docuitq́, suum mugire juvencum.

Maxentius pontem dissutilem super Tibrim insidiosè struens, insequente Constantino ex eodem in Tibrim dejectus mersusque est. Euseb. l.9.hist.c.8.& lib.1.de vitâ Constant.c.12. *Justina* Imperatrix Ambrosium in exilium agere cogitavit: sed ipsa à Theodosio in exilium pulsa est. *Alexander* VI. Cardinalibus invitatis venenum propinare voluit: sed ipsi ex eodem vase infusum est. Ita *Comes Gynter de Schvvarzenburg* Medicum habuit, qui Comiti veneno necem paravit, sed insidiarum conscius factus Comes, Medicum primò bibere coëgit, ex quo hausto tertiâ die mortuus est. Munst. l.3. Is qui saxo Imperatorem *Henricum* IV. de fornice templi dejecto jussu Hildebrandi Papæ interimere cogitavit, ab eodem contusus est. Stumpf. in vitâ Henrici IV. *Aristoteles* l.7.Ethic.c.7. meminit

minit cujusdam, qui hac defensione, cur Patrem verberaret, utebatur: Nam iste, inquiebat, suum verberavit, & ille suum: & hic quoque me, vir factus, verberabit, parvulo filio suo demonstrato. Et mox: Quidam qui à filio trahebatur, trahendi finem facere jubebat ad fores: nam à se quoque usque ad hunc locum, Patrem suum tractum esse.

Usus 1. Celebremus & admiremur Dei judicia, quæ semper justa, Apoc. 19. 1, 2.

2. Quod ipsemet pati nolumus, alijs nequaquam faciamus.

DOCTRINA II.

Stimulus ad æquanimitatem & ἐπιείκειαν erga proximum, consideratio propriæ imbecillitatis, quia aut similiter peccavimus. Tit. 3. 3. aut in posterum peccare possumus. Gal. 6. 1.

HOMILIA XVII.

TEXTUS ℣. 23, 24, 25.

Omnia illa probavi in sapientiâ: quum dicerem, sapio, ipsa longinqua erat à me. Longinquissimum quicquid fuit semper, & quàm profundissimum quis inveniat? Converti me ego, idq; ex animo meo, ad sciendum & explorandum & quærendum sapientiam, & ratiocinium eius: similiter cognoscendum improbitatem stoliditatis, & stoliditatem omnis insaniæ.

PARS CAP. ALTERA.

PRimâ cap. parte utilia præcepta dedit Salomon, ad benè, sapienter, ac beatè in præsenti seculo vivendum. Alterâ nunc ejus parte redit ad descriptionem Vanitatis rerum atque actionum humanarum; ejus cumprimis, quæ à sexu fœmineo oritur. Ad quam tractationem Transitionem facit, quâ suum quidem in perquirendâ sapientiâ omnigenâ studium commendat; contrà verò ejusdem difficultatem & profunditatem exaggerat.

I. *Videnda primò ist hæc eius Transitio.*
II. *Dissertatio de vanitate, è sexu fœmineo prodeunte.*

DE PRIMO.

1. Primò. *studium* suum explicat, quod adhibuit in sapientiâ exquirendâ. Text. ℣. 23. *Omnia hæc tentavi in sapientiâ.* Omnia, inquit, sc. de quibus in præced. egit, quæ sc. multiplicem rerum humanarum vanitatem, rectamque vivendi rationem in hoc ævo concernunt: *Omnia hæc tentavi*, h. e. expertus sum proprio exemplo, periculum de omnibus faciens; nec id segniter aut stolidè, sed *in sapientiâ*, qualis quidem amplissima mihi est à Deo concessa, quâ homines cunctos superasse fertur, 1. Reg. 4. 29. &c. Addit, Dixi *sapio* vel *sapiens ero*; q. d. Conatus sum ad summam sapientiæ perfectionem devenire, & ad ejus velut fastigium conscendere; ut nihil me prorsus tum in divinis tum humanis lateret.

DOCTRINA.

Studendum sapientiæ, &c. (Vid. Hom. 8. in cap. 1. Eccles.)

2. Deinde *difficultatem* assequendæ sapientiæ exponit. Text. *Et ipsa elongata est à me:* q. d. quò propiorem me ei putavi, tantò illa de me longiùs recessit. Rursum dicit, ℣. 24. *Procul abest, quid erit? & quod maximè*

ximè profundum est, quis inveniet? q.d. reipsa deprehendi, sapientiam exquisitam, qualem optaverant, prorsùs esse imperveſtigabilem, sicut ea, quæ in fundo Oceani demersa jacent, veſtigari nequeunt; adeoq; mortalium neminem ad perfectam sapientiam in hoc seculo pervenire posse: imò quantò quis majores in scrutandâ sapientiâ fecit progressus, tantò percipit exactius, quantis adhuc itineribus ab eâ distet. Quod ut de cognitione rerum naturalium, operumque Dei, etiamque politicarum certissimum est: Ita certius longè de rebus divinis ac mysterijs cœlestibus, quæ in profundissimâ divini pectoris abysso abscondita sunt. 1. Cor. 2. 11. Hinc illa Pauli exclamatio: *O profundus divitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! quàm imperscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ imperveſtigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis fuit ejus à consilio?* Rom. 11. 33, 34. Testim. Agur: *Quod est nomen hujus, & quod nomen filij ejus si noveris?* Prov. 30. 4. Et Zophar: *An profunditatem sapientiæ Dei invenias, aut perfectionem omnipotentis invenias?* Job. 11. 7. Conf. Syr. 1. 2. & 24. 7.

DOCTRINA.

Est ergò sapientia solida ac perfecta quarumcunque rerum, homini in hoc seculo inscrutabilis. Si enim sapientissimus mortalium id de se fassus est, quid de alijs statuendum sit? Benè ille: *Maxima pars eorum quæ scimus, minima est eorum quæ ignoramus.* Sentiunt hoc cumprimis literarum studiosi, qui cùm rudimenta artium callent, stultâ imaginatione se apprimè doctos ac sapientes autumant; qui provectâ ætate, quò ulteriùs progressi sunt, tantò magis sentiunt, quantum à culmine sapientiæ distent, quantaque sit abyssus unaquæque scientia. Quod sapientissimum Socratem movit, ut diceret: *Scire se nihil, præter hoc, quòd nihil sciret.*

Usus. Vani ergo sunt, qui perfectæ sapientiæ imaginatione seipsos titillant, ac ampullantur: Eatenus stolidissimi. 1. Cor. 3. 18. Anhelemus ad vitam futuram, quâ imago Dei, & consequenter Lux perfectæ sapientiæ in nobis fulgebit, *Illâ die nihil amplius quæremus.* Johan. 16. 23. 1. Cor. 13. 9. &c.

3. Tertiò exponit *pertinax* ac constans suum in sapientiâ indagandâ studium; se licèt perspexerit, ad fundum tantæ abyssi penetrare neminilicere, non tamen segniorem factum, sed utcunque perrexisse indagando. Dicit ergo Ps. 25. *Convertime ego, idque ex animo meo, ad*

ſcicndum & explorandum, & quærendum ſapientiam & ratiocinium: ſimiliter cognoſcendum improbitatem ſtoliditatis, & ſtoliditatem omnis inſaniæ. In utrumque intentus erat Salomon, tam in bonum, quàm in malum; tam in virtutes quàm in vitia; tam in ſapientiam quàm in ſtultitiam, & hoc quidem exactiſſimè, uti ſolent Arithmetici calculos ſubducere, rerumque ſummas ac rationes computare, indeque res quaslibet æſtimare ac dijudicare (id enim innuitur voce חשבון) Ideò verò utraque ad rationis limam revocavit, quia contraria juxta ſe poſita clariùs eluceſcunt. Quisquis enim expenderit, quanta lateat in improbitate ſtultitia, is contrà inveniet, quanta in virtute & pietate laus veræ ſapientiæ conſiſtat: tantoque ſibi plus cavebit ab improborum ſtoliditate. Nec alio fine inquiſivit in vitia, quàm ut perſpectâ eorum vanitate ac noxâ, & caveret ipſe illa, & alijs ad ea cavenda author eſſe poſſet. Non enim rectè intelligit, quid ſit ſummum hominis bonum, & vera ejus felicitas, tam quod ad præſens quàm futurum ſeculum attinet; niſi qui & novit, quid ſit ſummum quoque malum, &c. Hic pes nobis aliquantùm figendus, & differendum de impiorum ſtultitiâ, & errore ſtuiorum, quem exercent dum peccant: tum enim multiplici errore ac fatuitate ſe decipiunt. 1. *Antequam peccent.* 2. *Dum peccant.* 3. *Poſtquam peccarunt.*

De fraudibus peccati.

I. *Prima* fraus peccati eſt; quòd *ſub titulo, & ſpecie ac ratione Virtutis, ſeſe homini offerat, atque inſinuet.* Perinde, ut Pſeudoprophetæ foris ovillis veſtibus induti comparent, dum intus ſunt lupi rapaces: aut, ut Satan ſæpè in Angelum lucis ſe transformat: Ita vitia ſeſe pro virtutibus venditant, ut tantò illa avidiùs arripiamus, ſecuriùsque illis indormiamus. Nec mirum: Quis enim non ea, quæ ſic pulcra, jucunda, glorioſa oculis apparent, appetat & proſequatur? Cauſſa eſt malitia & fraudulentia cordis, quod præſtigias ejusmodi menti noſtræ offundit, ut nigrum pro albo aſpiciamus. Opus igitur eſt, ut aperiamus oculos, intendamus aciem mentis, diligenter cuncta probemus, atque ad Lydium verbi divini lapidem exigamus: Hoc enim inter genuinum & adulterinum, inter virtutes & vitia, diſcernere nos docebit: Atque hujus ſolius judicio ſtandum eſt; nec audienda carnis gloſſemata, quibus illud corrumpere nititur, ad nos in noſtrâ cœcitate confirmandos.

II. Se-

II. *Secunda* peccati fraus est, *quòd seipsum extenuet*, quasi leve aut nihilum sit, hoc vel illud committere. Ita Pharisæi inter levicula & majora peccata, inter festucam velut & trabem distinguebant, Matt. 5. 19. sicuti Papistæ inter peccata venialia & mortalia distinguunt. Ita vulgò inter minora & majora juramenta; inter modicam & immodicam ebrietatem: inter usuram tolerabilem, & omnimodam proximi expilationem ac oppressionem; inter petulantiam, libidinem q; ac fœrtationem & adulterium, &c. distinguere solent; sibiq; licentiam in minoribus fingunt, modò in excessu non peccent; nec propter minutiora aut leviora ista à Deo punitum iri se, confidunt. Quemadmodum prædones, qui aliquem spoliarunt, ac nudum dimiserunt, adhuc gratiam sibi deberi existimant, quòd è millibus aliquot ducatis, unum vel duos obolos reliquerunt, nec vitâ ipsâ privarunt: Sic isti virtutis loco habent non summum in peccando excessum commisisse.

Hic verò observandum, licèt inter peccata sit discrimen, tamen quòd sicut globus parvulus non minus rotundus est atque magnus; sic peccata quæ levia videntur, non minus inobedientia sunt, atque grandia: Omnis ἀνομία peccatum, quantacunque illa: 1. Joh. 3. 4. peccati cujusque quantillum nobis videatur, *stipendium*, Mors, Rom. 6. 23. Præcipuum, quod in peccato respicit ac attendit Deus, est inobedientia; ob quam, opus in se leve aliâs, & innocuum, Dei tamen respectu in magnum peccatum vertitur: Veluti, quòd Adam de fructu arboris comedit: quòd ille ligna Sabbathi die collegit: quòd Usa arcam fœderis tetigit. Num. 15. 32. &c. 2. Sam. 6. 6. levia nobis videntur; in quæ tamen Deum summo rigore animadvertisse constat. Fides in re minimâ, maximi habetur: Ita certè inobedientia & infidelitas etiam in minutioribus, ingens tamen est peccatum; quippe quâ non minus Lex & voluntas Dei violatur, atque in majoribus. Unde, quemadmodũ silex parvulus in aquam conjectus, non minus in fundum usque delabitur atque lapis molaris: Ita peccata etiam quæ levia judicamus, non minus tamen in abyssum gehennæ demergunt, atque grandia. Modicum de monetâ rescindere, totam monetam facit valorem perdere: Ita minima Legis Dei violatio, ejusdem est transgressio ac peccatum. Monetarij falsi censentur, non modò, qui majores monetas adulterant, sed & qui uncias: Ita &c. Ista verò peccati fraus, dum seipsum adeò extenuat, maxima est ac periculosissima, ideò: Quia 1. *Primò* prohibet hominem ab agnitione, & consequenter emendatione

peccati: Neque enim ea, quæ vix leves esse nævos æstimat homo, multum curat, aut ad animum revocat, aut emendare intendit; quia irâ & judicio Dei indigna esse judicat, ob suam levitatem: Unde fit, ut nunquam ad pœnitentiam conversus, illis immoriatur.

Secundò, Quia peccatum utut initiò leve & exiguum videtur, si tamen ei indulgeat homo, sensim incrementa sumit in tantum, ut ad summum devergat, totum hominem occuper, ac pœnitere amplius nescium, pessundet. Peccatum gradatim invalescit, *viresq; acquirit eundo*. Crescit, inquam, instar plantæ (quemadmodum de sinapi grano Servator loquitur) instar fluvij, instar gangrænæ, fermenti, scintillæ è quâ incendium ingens oritur, sicut triticum, sic & lolium peccati, in homine sensim crescit & augescit. Marc. 4.26.27,28. Simile peccatum aquæ illi, de quâ Ezech.47. Sæpissimè evenit, ut quis convivium adire recusans tandem semihorium adesse annuat, quo elapso iterum persuasus horulam spondet, mox succedentem aliam, donec ad finem usque perduret. Alij, qui nihil se gustaturum putat, id evenire potest; ut unico bolo comesto, aut vino modicùm gustato, mox appetitu irritato, sensim tantum cibi vinij sumat, ut totus tandem oppleatur ac turgeat. Ita certè peccatum nobiscum fraudulenter agit; si digitum ei porrigamus, mox manum ambit, hac porrectâ bracchium postulat, ampliusque semper desiderat, donec totum corpus obtineat. Si [Satan] peccatum inhabitans hominem vel ad homicidium, aut adulterium, aut idololatriam, incitare intendit; non statim & primò tanta facinora ei committenda offert, (sic enim forte repulsam ferret) sed per gradus progreditur, & quæ leviora videntur primò emendicat, progrediendo sensim ad majora, donec quod voluit, obtineat. Ex. *Israelitæ*, Num.25.1.&c. Origo mali erat habitatio & consuetudo cum Moabitis: hinc corporalis, ex hac spiritualis fornicatio, h.e. Idololatria ipsorum succrevit. *David* ex otio in lasciviam, ex hac in adulterium, inde in homicidium est prolapsus. *Salomon* ex voluptatibus in securitatem, (Eccl.2.3.) ex hac in libidines, inde in Idololatriam cecidit. *Petrus* ex conversatione cum hostibus Christi, ad eum negandum adductus est, nec semel sed iterum, tertioque se horrendùm devovendo. Ideò Christus iram temerariam vetat, quia principium jurgiorum ac cædium; similiterq; lascivum mulieris aspectum, quia principium adulterij. Mat. 5.28. Sic Paulus Corinthios, qui in Idolijs comparebant, & Idolothytis vescebantur, etsi Idololatriam corde aversati essent, jubet tamen ab Idolo-

latriâ

lolatriâ fugere.1.Cor.10.14.eò quòd vel aſpectus aut communicatio epulorum illorum,aditus ipſis eſſe poterat ad plenariam Idololatriam.

Usus. Cavendum igitur vel à leviculâ quavis mali occaſione aut ſpecie;nec vilipendere oportet,quæ ſub initium levia videntur: v.c. ne quis dixerit: Quid oberit, ſi maximè Miſſæ adſtem, ceremonias adſpiciam; ſi aſſe uno vel alio proximum defraudem; ſi ſemel atque iterum immoderatiùs bibam; ſi per res exiguas jurando, decipiam; ſi parum jocer,ac laſciviam,modò ne facto ipſo impurus ſim,&c.Audi! Hoc oberit,ut ſenſim ab his initijs, velut funibus ad majora & atrocia traharis: An den kleinen Riemen lernen die Hund leder freſſen: An Neſſlen lernt man ſtälen.Si quam enim rem leviter guſtaverimus,eademq; palato noſtro arrideat,vix temperare appetitum poſſumus, quò minùs ad ſatietatem edamus aut bibamus, minùs ſoliciti de eventu an ſanitati profuturum an obfuturum ſit.Ita certè in noſtro arbitrio non eſt, carnem & affectus refrænare aut reprimere,ſi fuerint vel leviter irritati: Sunt enim indomitorum inſtar equorum, qui liberi facti, prehendi ac coërceri vix poſſunt.Falſum proin Proverbium, *Modicum non nocet*, wenig ſchadet wenig/ ſi de peccatis enunciatur: Immò Modicum multum nocet; quia minora delicta,facinoribus majoribus,viam ſternunt.Benè *Chryſoſtomus*,levicula illa aciei bipennis,aut mucroni haſtæ,comparavit; qui in extremitate tenuis eſt,ſenſimque retrò craſſior; quo tamen craſſiori parti via panditur,ut penetrare in corpus humanum poſſit,ad illud ſauciandum. Iſtam ergò peccati fraudem obſervemus,ac ſapiamus: moniti exemplo Evæ matris noſtræ; quæ ſi ab aſpectu ſaltem arboris ſibi temperaſſet, non irritatus fuiſſet ejus appetitus, nec porrò ab hoc ad fructum vetitum comedendum incitata fuiſſet.

III. *Tertia* peccati fraus eſt,quòd *faciem duntaxat monſtret & obvertat*,non dorſum aut caudam; h.e.quòd non niſi delicias & voluptates nobis in peccato polliceamur; ac imaginemur,nos totos,gaudiorum undis immerſos natatures eſſe; interim malorum ingentium ac plurimorum,quæ peccatum ſubſequuntur,non recordamur, ſed ſecuri negligimus. Nullum ſiquidem gaudium,nulla voluptas eſt in mundo, quæ non plus aloës quàm mellis habeat: nos verò inconſiderati homulli mella pura,toxica nulla apprehendimus,cùm ad peccandum propendemus & irritamur. Ex.Obtigit id *Evæ*, quæ fructum vetitum tantùm

tùm adſpectavit,ut oculis acceptabilem; oblita divinæ comminationis, quantumque ex ejus guſtu malum ſubſecuturum eſſet.Geneſ.3.6. *David* cæcus erat planè, dum Bathſebam deperiret, non conſiderans in quas conſcientiæ terrores ſe conjecturus eſſet,quæ lacrymarum flumina profuſurus eſſet,&c.Pſal.32.& 51. *Samſon* recubans in gremio Delilæ beatiſſimum ſe arbitratus eſt,nec ad inſidias animum applicuit,quas ei ſtruxerat.Judic.16.19.*Judas* in nummos modò intentus erat, quodque ex illis fructum habere poſſet; nec expendit,quam ſibi facinore proditionis miſeriam & damnationem attracturus eſſet. Idem permultis obvenit: Ex unâ parte monſtrat Satan ingentes honores, gloriam, divitias, voluptates,omnemque felicitatem hujus ſeculi, quam è peccatis habere poſſit homo.Matt.4.8. Ex alterâ verò parte monſtrat Deus dedecus atignominiam,terrores & metum,dolores & tormenta, mortem & infernum, quæ indidem ſis reportaturus. Ac lucrum quidem illud, quo Satan te ineſcare nititur,eſt momentaneum & caducum; damnum verò, quo te Deus à peccato retrahere nititur, perpetuum eſt ac æternum. Dolendum hic,complures aversâ à Deo facie aures Satanæ præbere, & quas hic ſpondet delicias, apprehendere; quas verò Deus calamitates certò peccatum inſecuturas monet, minimè attendere.*Hæc enim eſt illa peccati fraus*,quæ quod jucundum modò eſt in illo,oſtendit;quod amarum, occultat. Simil. Ut *Jaël* amiciſſimè quidem Siſſeram excepit hoſpitio, ac ſitientem lacte refecit; poſt tamen transfixo per tempora palo crudeliter necavit,&c.Ita,&c. Jud.4.18.Peccata ſunt ſimiles locuſtis illis,quibus caput humanum,cauda aculeata ut ſcorpionum, Apoc.9.7.&c. Sunt inſtar veneni ſaccarati, aut vini venenati, aut philtri meretricij, quo ad inſaniam proci aguntur. Quòd ergò incauti adeò in peccata ruimus, cauſſa non eſt alia, niſi quòd fraudem iſtam non advertimus,nec quas caudâ ſecum trahit calamitates ſatis expendimus; ſecus eſcam non guſtaremus,ſi hamum obſervaremus: non in herbam procumberemus, ſi quòd in eâ anguis iſte lateret,agnoſceremus: non poculum hoc meretricium deliberamus, ſi toxico mixtum crederemus. Conſideratiores ergò ſimus,ac ſalutis noſtræ curioſiores,ut ſolent eſſe,qui valetudinis ſuæ exactam habent rationem,dum nihil facilè in os admittunt, quod turbare eam poſſit: atque in quem ſenſum Rex ſapientiſſimus de cavendis meretricum illicijs ac blanditijs ſubmonet, Prov.5.4.&c, cap.9.17,18. item-

que de

que de vitandâ ebrioſitate, Prov.23. v.31, 32. cò quòd triſtis ſequatur exitus: Eôdem argumento inducti, ſtatuamus nobis à quocunque vitio ac ſcelere abſiſtendum eſſe. Politicæ prudentiæ laus eſt, futuros eventus præſpeculari, ſicque juxta illorum tenorem rebus præſentibus conſulere: Næ! divina hæc ſapientia fuerit, ſi ideò mala vitemus opera, quia jam antè conſtat, maledictionem Dei ac perenne exitium, incurrere hominem, quiſquis protervius illa committit.

)(Econtrà verò, Virtutis, Pietatisque nonniſi moleſtias ac calamitates caro inculcat, quæ eam comitentur ac ſequantur; occultando inſignem illam felicitatem, in quam illæ tandem commutantur. Id enim certiſſimum eſt: *Omnes qui pie vivere volunt, perſecutionibus eſſe obnoxios:* Qui Chriſti ſectator eſſe cupit, abnegare debet & ſeipſum, cunctaque negligere etiam chariſſima, parentes, conjuges, liberos, amicos, facultates, honores, ipſam deniq; vitam. Hoc verò quam durum & grave! Quis cupiat pius eſſe, ſi non aliter id licet, quàm ut quis ſimul ſit miſer? Iſta verò peccati fraus eſt, quòd reticer eximiam crucis piorum cataſtrophen: Unde ſapienter monet Chryſoſtomus; *Cùm bona facimus ac Deo obedientiam præſtamus, undeq; jacturam pati videmur; tùm non in hanc modò oculis conjiciendi, ſed ſimul in lucrum, quod ſub illa jactura latet.* E.g. cùm das eleemoſynam, teque expenſarum pœnitet; recordare tùm, quòd ampliſſimo fœnore tibi Deus ſe reſtituturum permiſerit. Ita quicquid perdideris propter Chriſtum, memento centuplicia te recepturum, &c. Matth.19.29.

Sim. Si *agricola* ſaltem jacturam perpenderet, quam facit arando ac ſeminando; nec ſimul in meſſem intentus eſſet; nunquam ſeminaret: at *ſpes* (meſſis) *alit agricolas.* Si *mercator* in pericula & expenſas, quas peregrinando facit, duntaxat reſpiceret; nunquam domo pedem moveret: ſed ſimul in quæſtum intentus eſt, propter quem adverſa quæque animo infracto patitur: Ita certè convenit nos non in præſens modò ſationis tempus reſpicere, quo non niſi lacrymas & dolores ſerimus; ſed & in futurum meſſis, quo gaudia & gloriam immortalem meſſuri ſumus. Quem ergò pigebit momentaneam crucem pati, pro æternâ & immarceſſibili gloriæ coronâ? 2.Cor.4.17. Ac certam quidem minimeq; fallacem eſſe ſpem iſtam, proceſſus ipſe docet ac ordo, qui hîc obtinet. Quicunque enim decipiendi animum habent, illi ſolent ab initio quæ optima ac jucundiſſima ſunt, offerre ac præſtare; ut ſic incautos ineſcent ac illaqueent; quæ ſpecioſa tamen initia triſtiſſimus excipit tandem e-

ventus. Sic faciunt aleatores falsi, qui initiò permittunt lucrari, quos expilare gestiunt. Ita hostis nonnunquam victum se simulat ac fugam fingit, ut ad occultas quas retrò habet insidias, insequentem hostem alliciat. Eundem servat ordinem Peccatum, ut dictum, juxta illud Augustini: *Peccata, Peccata, cùm suadetis, ungitis; cùm suasistis, pungitis.* Sed integerrimus est Pietatis processus, quæ diserte nobis antè edicit, quæ patienda sint nobis, antequam ad æternam felicitatem deveniamus. Verbum enim Dei nobis primò proponit tristitiam, deinde gaudium; priùs laborem, inde mercedem; sationem, inde messem; lacrymas, inde relaxationem; cursum, inde corollam; luctam, inde victoriam ac triumphum; mortem, inde vitam; infernum, inde cœlum; Satanam cum suis tentationibus, inde Deum ejusque aspectum. Processus iste integerrimus est, atque vivam ac indubitatam spem progignit. Ne ergò atras nubes ac tempestates præsentium calamitatum nos conturbent; quin potiùs ob acerbiora hæc initia lætemur, atque spe certò secuturæ relaxationis ac refrigerij nos firmemus: freti, post brevem istam noctem, lucidam ac æternam illam diem orituram, quâ non modò à Justitiæ Sole illuminandi simus, sed & ipsi Solis instar fulsuri. In vitâ hâc quum rebus secundis utimur, metus aliquis secretò corda nostra subit mutationis alicujus in deterius: contrà dùm adversis utimur, spe mutationis in melius resocillamur. Simus *ergò in cruce patientes, subsse gaudentes semper.* Rom. 12. 12.

IV. *Quarta* peccati fraus est, quòd *variis prætextibus* soporem nobis injicit, atque vanâ impunitatis spe firmas in nobis radices agere, protinusque cor nostrum occupare intendit. Soporifera hujusmodi sunt:

A. *Deum esse misericordem*, qui peccatis tuis ignoscat. Ita Satanas ad Christum, *Præcipitate, quia præcipiet Deus angelis suis, &c.* Matth. 4. 6. Hoc verò perinde est, ac si quis diceret: Bibe cicutam, præstò hîc alexipharmacum: Imorque mucronem istum in corpus, præstò hîc emplastrum, &c. Error ingens, ac diabolicum planè fascinum, illud adhibere ad nos in peccatis confortandos, quod vel maximè nos ab illis abstrahere deberet. Nunquid enim hoc, quòd Misericordia Dei magna, nos ad eum amandum, venerandum, timendum potiùs; quàm offendendum, blasphemandum, irritandum compellat? Nunquid hoc turpissimè est misericordiâ Dei in ejus contumeliam & offensam abuti? Aliter longè

David

David illam perpendere docet, Psal. 130. 4. Sincerus amor non ad displicendum, sed placendum illi invitat, quem amare nos profitemur; sicuti Paulum amor Christi ad eum fideliter prædicandum, 2. Cor. 5. 14. Qui hoc modo ratiocinantur, altero oculo capti sunt: Dum enim uno gratiam Dei nimis actutum cernunt, altero tamen ejus veritatem & justitiam non vident: Atqui arctissimè cohærent ambæ: Psal. 45. 8. & 117. 2.

Una gerit bellum, monstrat manus altera pacem.

Ita Deus *erga puros corde, bonus ac misericors*, Psal. 73. 1. ac tales ad se vocat Christus, qui mole peccati in conscientiâ *gravati*, idem detestantur; ijsdemque suam annunciat gratiam, Matth. 11. 28, 29. Erga improbos verò justus est, ac verax manet in custodiendis suis minis. Cumprimis verò talem se declarabit erga illos, qui turpiter adeò ac nefariàm gratiâ suâ ad ἀσέλγειαν abutuntur. Jud. v. 4. Tales enim faciunt è Deo peccati Patronum, quorum est vindex, non sine insigni ejus contumeliâ. Quid enim contumeliosius Christo, quèm sub clypeo gratiæ ejus Sàtanæ & mundo militare? immò sub ejus protectione in ipsum velle insurgere? An Christus nobis dum peccamus adjutor esse debet? An ideò nos è tenebris eruit in lucem, ut ipsum rursum in tenebras nobiscum trahamus, ad opera tenebrarum patranda sub ejus clientelâ? Manet ergò illud: Wer auff Gnad sündiget/dem wird mit Ungnad vergolten werden.

B. *Nos in cæteris satis esse probos* & pios, eoque propter hoc vel illud peccatum cui dediti sumus, non facilè nos Deum puniturum. Sicut enim ex livore plurimas proximi virtutes, unico ejus nævo obfuscare in promptu est: Ita plurima nostra vitia, eaque sæpè enormia, leviculâ aliquâ ac fucatâ virtute, quâ nos præditos esse judicamus, obtegere intendimus. Ita multi existimant, quia integritatis sint in externâ vitâ & negocijs studiosi; facilè transitura reliqua vitia, ebriositatem, libidinem, superbiam, voluptates, &c. Alij, quia frequentes sint in Concionibus sacris, ut pro pijs habeantur; nihil nocitura ipsis quibus scatent vitia, avaritiam, obscœnitatem, injurias quascunque proximo illatas. Ita nimirum se Herodes excusare potuisset: Quia Johannem libenter concionantem audivit; itaque nihil incestum ac necem Johanni illatum sibi obfutura. Sed enim fallax hæc est imaginatio: quam ne Judex quidem terrenus non sit improbaturus: coram quo, si facinorosus aliquis homicida vel prædo se excusaturus esset, quòd fidus fuisset hero cui servîsset, eoque sibi quod admisit facilè condonari posse; non certè ejusmodi

excusationem admitteret: Ita,&c. Ut pauxillo albarij, magnus paries ater albari nequit: sic nec modico virtutum, ingens peccatorum cumulus obtegi. Prout duo vel tria tritici grana, magno palearum acervo mixta conspectum fugiunt: Ita nihil pauxillum boni, quod penes nos esse fingimus, præstat ad tantum malorũ cumulum tollendum. Nunquid sermo esset planè stolidus, dicere, licèt multæ venenosæ herbæ in lebete sint, quia tamen quædam etiam salubres illis sint permixtæ; ideò cibum illum nemini nociturum: Atqui modicum oleris venenati, totam massam corrumpit & exitiosam facit: Ita certè, si vel unicum peccatum in cordibus nostris latet, in quo nobis complacemus, nec ullâ ratione avertari parati sumus; quicquid aliâs in nobis bonum est, inficit ac inquinat: tantum abest, ut propter illud peccatum, vitiositatem suam ac reatum perdat.

C. Si peccaverimus hoc vel illo modo, facilè nos culpam alijs *bonis operibus compensaturos*, sicque impunitatem promerituros. Ita nonnulli sibi imaginantur, licèt hoc vel illud peccatum perpetrent, tantò frequentiùs se porrò cultui divino, precibus, &c. vacaturos. Avarus quispiam quæstui inhiat, quem facere possit, licèt non aliter, quàm dolosè & cum proximi jacturâ: Convictus est in conscientiâ, iniquè se agere: attamen quia ἀισχροκερδία urgetur, cum conscientiâ suâ pacisciturr; se pauperibus largâ eleemosynâ benefacturum; aut aliquid cultui divino promovendo dicaturum, atque ita crimen facilè eluiturum. Sed huic eleganter occurrit D. Augustin. alicubi, in hunc sensum: *Ne quicquam auferas, & jam dedisti: lætatur equidem is cui ex prædâ tuâ communicans; sed vicissim alter lamentatur cui abstuliisti. Quem verò putas ex his duobus citiùs Deum exauditurum? Eúmne qui à te accepit, ac proinde pro te orare debet; an illos, quos expulasti, & qui in cœlum ingemiscunt super tuâ injustitiâ? Sic te Deus affatur: Stulte, jussi te quidem pauperibus benefacere; sed quis te jussit ex aliorum pauperum sudore & sanguine id facere? Hoc scito stulte, Christum olim tibi dicturum, quod pauperibus detraxisti, idem sibi te abstulisse: Quod si in infernum usque detrudentur, qui Christum, h.e. pauperes, nudos non vestierunt, quousque tu protruderis, qui ipsum vestibus denudasti? &c.* Satiùs ergò non dare, quàm ex rapto dare. Similiter si quis contumaciter peccatis suis insistens, putet se cultûs divini frequentiore exercitio, culpam declinaturum; næ is turpiter se fallit: talis enim cultus hypocriticus, Deoque abominabilis: cùm non alius placeat, nisi qui à corde puro, sincero,

cero, attrito, pœnitentiæ ſtudioſo proficiſcitur. Pſal. 50. Joh. 9. 31. Opinione hâc deceptus *Saul*, qui putavit retenta ab Amalekitis ſpolia contra expreſſum Dei mandatum, ſacrificijs ſe eluiturum. 1. Sam. 15. 15. 21. Idem ſibi meretrix imaginatur, apud Salomonem, Prov. 7. 14. Sic Phariſæi, ſuis jejunijs, eleemoſynis, purgationibus externis, omnem ſuam nequitiam injuſtitiamque obtecturos ſe confidebant. Luc. 11. 41. Hoc quid eſt aliud, quàm ex Deo iniquum δωροδόκον facere, qui partem rapinæ acceperurus, ac de reliquo nobis indulſurus ſit? Adde, quòd nec bonis operibus ſatisfacere Deo licet, pro antegreſſis peccatis, cùm obedientiam omni tempore Deo debeamus: Nec ſi liceret maximè; non tamen ita tibi licentiam acquiliviſti, porrò impunè peccandi. Perinde ut is, qui vulnus alterius curavit, non propterea jus ſibi acquiſivit novum ei infligendi: Ita certè ſi maximè ſemel atque iterum acceſſerimus, Deum deprecati fuerimus, teruncium in eleemoſynam dederimus, &c. porrò indultum nobis eſſe credemus nihil non vitij ac ſceleris patrandi? Atqui hoc eſt Deo illudere; taliſque, ut dictum, cultus Deo exoſus.

V. *Quinta* peccati fraus eſt, quaſi *bonum quodpiam emergere ac promoveri poſſit*, ſi hoc vel illud mali commiſerimus. Atque huc accommodant illud: *Inter duo mala minus eligendum*: nempe, commiſſione minoris mali, majus & atrocius malum hoc modo præcaveri poſſe, quod omninò boni rationem habeat. Ad quod ſtabiliendum factum Lothi obtenditur, qui filias maluit Sodomitarum libidini proſtituere, quàm auctor eſſe, ut in maribus ſtupri ſcelus admitteretur: quia illud levius eſſe judicavit, quàm hoc. Patris exemplum ſecutæ filiæ, cum ebrio patre inceſtum commiſerunt, ne familia & propago Patris ſui periret; Geneſ. 19. 32. q. dicerent, ut bonum hoc ex inceſtuoſo noſtro concubitu ſequatur: vel, quod minoris æſtimabant inceſtum, quàm deletionem familiæ patris. Sic Rebecca filium Jacob ad mentiendum Patri informavit, ut benedictionem ejus aſſequeretur. Inter Ethnicos mulieres fuêre, quæ manus potiùs violentas ſibi inferre, quàm ſtuprum pati, maluerunt. Quidam ideò ſe ad Papatum deflexiſſe dixerunt, ut hoc modo apud Reges & Principes, Eccleſiæ cauſſam tantò feliciùs agere poſſent. Peſſima fraus hæc: 1. *Quia* verè bonum è malo nullâ ratione oriri poteſt. *An legent uvas è ſpinis?* Matth. 16. Mella ex aloë aut abſynthio exprimere velle, quàm abſurdum.

2. *Quia* bonum illud, quod videmur è peccato acquirere, longè minus est eo bono, quod peccando perdimus. Perdimus autem conscientiæ puritatem, thesaurum inæstimabilem, cui conferri nequit, quicquid demum ejus labefactatione videmur acquisiviſſe.

3. *Quia* hoc est Dei negare *providentiam*: si enim quid boni procurandum est, faciendum id legitimâ ratione, juxta Legis divinæ præscriptum: si non succedit, res Deo commendanda; qui noverit, quod bonum est, absque nobis nostrisque peccatis, producere. *Usa* judicavit fœderis arcam delapsuram, nisi ipse exertâ manu eam retineret, contra Dei Legem: At sine ipso Deus arcæ suæ prospecturus fuisset: Ipse verò repentinâ morte perijt, 2. Sam. 6. 6, 7. propter nimiam temeritatem & inobedientiam. Tenenda ergo potiùs Apostoli regula, Rom. 3. 8. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Id enim verè bonum est, quod bene fit, ac suâ origine bonum est: Malum omne, etsi boni speciem habeat, quod malè fit, &c.

VI. *Sexta* peccati fraus est; *Mansuros nos nihilominus pios ac religiosos*, licèt in hoc vel illo prævaricemur. Equidem si persuadere nobis velit cor nostrum, ut in solidum à Deo deficiamus, nosque Satanæ mancipemus, non facilè obsecundaremus: sed cùm nobis persuadere nititur, nos huic vel illi peccato litare posse, & nihilominus ac simul Deo servire; tum equidem partitionem istam faciles acceptamus; nobisque imaginamur, Nos simul posse & Deo servire, ac simul mundo impio, carnique peccatrici. Quâ persuasione seductus *Salomon*; statuit & delicias mundanas sectari, & Deo simul firmiter adhærere: usquedum planè ad Idololatriam deflexit, ac protinus à Deo defecit; eventu comprobans, utrumque simul consistere non posse. *Judas* simul Apostolus Christi, & fur ac Satanæ mancipium conabatur esse: sed perperàm. Conf. Luc. 9. 59. &c. Sic plures Mammonæ, Baccho, Veneri, &c. simulque Deo litare se posse judicant; quod tamen expressè negat Servator, Matth. 6. 24. Deus & Satan, Christus & Belial, Dagon & Arca, nunquam uno cordis hospitio combinantur. *Nulla luci cum tenebris, justitiæ cum injustitiâ communio*: citiùsq; ignem aquæ miscueris, quàm ista. 2. Cor. 6. 1. Joh. 2. 15. Jacob. 4. 4. *Quæ Deus conjunxit homo non separet*: Illa quę Deus separavit, hominis non est conjungere. Non licet nuptijs regijs simul interesse, & sordidâ vitiorum veste indutum esse, Mat. 22. aut enim illis abscedendum, aut hęc exuenda.

enda. Si in cor, quod Pietas occupat, avaritia, luxus, libido, &c. intromittatur; tùm mox illa recedit; quia horum fœtorem & hostilitatem ferre nequit. Allein/oder gar nicht. Fieri nequit ut sincerus sit conjugis erga maritum amor, quæ procis adhæret: Ita nec sincerus est amor erga Deum, si res mundanæ procorum instar simul diligantur. Tales sunt δίψυχοι, quos Deus abominatur. Jacob. 4. 8. Est igitur necesse ut totos nos Deo devoveamus, ipsumque toto corde, anima, viribus omnibus amemus, veneremur: peccatum omne, si non vitare, saltem aversari & odisse studio habeamus.

HOMILIA. XVIII.

TEXTUS ℣. 26.

Inveni autem ego amarius quiddam morte, nimirum fœminam illam cuius in animo sunt retia, & plagæ, cuius in manibus vincti: qui bonus videtur coram Deo ipso, liberatur ea; peccator verò capitur ea.

DE SECUNDO.

QUemadmodum Oratores de rebus gravibus dicturi, adium sibi faciunt commodis *Præfationibus*, quibus animos Auditorum tùm ad attentionem, tùm fidem dictis tribuendam, commoveant: Ita sapientiss. Ecclesiastes, novum Vanitatis humanæ genus propositurus, quod sc. à sexu muliebri promanat, gravi Transitione uti voluit, quâ suum in sapientiâ disquirendâ & explorandâ studium indefessum ac pertinax exposuit, ut experto ac sedulo omnium istorum indagatori tantò plus fidei deferretur. Et certè rebus istis, quæ de muliebri sexu hîc percenset *Salomon*, nemo facilè

facilè fidem derogabit, qui perpenderit quàm fuerit ille mulierosus, quippe qui 700. uxores, 200. pellices foverit: ut est 1. Reg. 11. 3.

Illâ igitur Translitione nuperà nobis perpensâ, Nunc ad considerationem Vanitatis, miseriæ, malitiæ, noxæ, è sexu fœmineo prodeuntis, progrediamur.

Tria hîc occurrunt enucleanda:

I. *Quæ illa?*
II. *Quanta?*
III. *Vnde.*

I. *Quæ?*

Describitur illa v. 26. a. *Et inveni ego rem amariorem morte, Mulierem: quia est sicut retia, & laquei cor ejus, ut vincula manus ejus.*

Ἀρσις. Non damnat *Salomon* sine discrimine sexum fœmineum, non in ejus contumeliam quicquam hic pronunciat, uti fecêre, qui non homines, sed bestias esse fœminas dixerunt: ipsi bestiæ si his matribus oriundi.

Constat enim fœminam esse opus Dei, nec minus ad imaginem Dei conditam, quàm virum: Constat donum esse Dei, Viro in adjutorium datam: Constat non esse discrimen, quod salutem æternam attinet, inter virum & fœminam. 1. Pet. 3. 7.

Θέσις. Cujusmodi ergò fœminas notet, ipse *Salomon* explicat, quæ sc. *instar est retis, laquei, ac vinculorum*, &c. quod, palàm est, de mulieribus pudiosis, fornicarijs, meretricibus ac adulteris intelligendum esse; quę id agunt, ut suis quibus utuntur illicijs, viros in sui amorem pelliciant. Ista igitur quæ hîc dicuntur, mulieres pias, probas, castas, fideles non spectant. Vanitatem autem, seu potiùs malum summè exitiosum, quod ab isto mulierum genere redundet in genus humanum, per comparationem enunciat, quâ illas morte quâvis amariores, acerbiores, deteriores esse affirmat: Atqui constat, morte nihil esse amarius aut acerbius, si nim. in se & qualis est suâ naturâ consideretur, 1. Sam. 15. 32. Esai. 38. 17. 2. Reg. 4. 40. Eccles. 41. 1. ut ipse etiam Christus eam horruerit. Nam alioquin dulcis illa fidelibus est facta per Christum, qui amaritiem ejus absorpsit, ipse

ipse moriendo, dumque adeò mortis mors factus est, Hos.13.14. atque in ejus tanquam Leonis truculentissimi gutture favos mellis locavit. Judic.14.8.

Amarissima igitur fuerit summeque exitiosa mulier impudica, si morte ipsâ amarior, amarore amarior, morte lethalior: Hyperbole. Quod ne præter rationem dixisse videatur *Salomon*, subdit, *Quia est sicut retia, & laquei cor ejus, ut vincula manus ejus:* sensus est, scortum deteriorem amasijs inferre mortem, quàm sit mors communis seu naturalis: ideò; quia

1. *Primò* inferat mortem *per insidias ac fallacias.* Cujusmodi mortis genere feræ aut aviculæ intercipiuntur, quando sc. securissimè oberrantes, escæque repertæ velut exultabundæ inhiantes, illicò retibus ac laqueis implicantur: Ita quum juvenes aut amasij amores meretricum sectantur, seque ex illarum consuetudine in summis delicijs versari existimant; tùm certè ab illis, nihil tale ominantes, irretiuntur in sui perniciem. Typus in Samsone & Delilâ. Quemadmodum, dicentibus Medicis, dulcia omnia facilè vertuntur in bilem, & amarescunt: sic mulierum suavitas in amarorem lethalem transit. Prov.5.4.

2. *Secundò*, quia inferat mortem *diuturnam* seu *lentam.* Satiùs enim est homini mox per mortem abripi, quàm ante mortem diu torqueri, atque sic continuam aut fermè mille mortes pati: quod accidit piscibus aut avicul s, quę diu retibus ac laqueis retinentur, continuo mortis metu torquentur, maximosque sibi dolores, dum effugia quærunt, sibi cumulant. Tale mortis genus sibi accersunt meretricum proci, dum videlicet ditem pauperiem, ignominiam & opprobrium, morbos teterrimos, diuturnos ac exquisitos, conscientiam mordacem, aliaque mala morte ipsâ diriora sibi accersunt; ut mori tandem præoptent quàm diutiùs vivere: adulteri præsertim, quibus etiam domestica jurgia, vitam reddunt meritò asperrimam.

3. *Tertiò*, quia non modò *corpori, sed & animæ mortem* infert meretrix, pœnitere nescijs, adeoq; duplicem & corporalem & æternam mortem. Constat enim scorteaoribus & adulteris in scripturâ æternam damnationem denunciatam. 1.Cor.6.10.Gal.5.21.Hebr.13.4.Apoc.22.15.

In hunc planè sensum Ethnici, Libitinam, quæ ipsa est Venus, coluerunt, quasi præsidem mortis & Deam exequiarum: Athenienses item

Venerem colebant, quasi Parcarum maximam, eamque ἀνδροφόνον, h.e. virorum homicidam cognominarunt. Pausan. libr. 1. Plutar. in Numâ.

DOCTRINA.

De nequitiâ ac fraudulentiâ meretricum, in irretiendis, fascinandis, decipiendisque amatoribus; sævitiâ in ijsdem perdendis.

Conferuntur enim hîc à *Salomone* instrumentis venatorijs, quibus feræ, pisces, volucres implicantur & capiuntur, retibus putà, sagenis, laqueis, vinculis, &c. Horum autem ea est ratio, ut *occulta* partim sint, eoque ad decipiendum ac deceptoriè capiendum aptata: tum *fortia* ad retinendum quæ capta sunt, donec perimantur; ideò *cordis* & *manuum* facit mentionem: illo quidem insidiosa meretricis consilia, & astus ad irretiendum; his vires ad retinendum exprimens. Hinc duo sunt, quæ ut exitiosa in fœminis fornicarijs damnantur: A. *tùm quòd* ad fallendum & irretiendum amatores cuncta componant: B. *tùm quòd* captos ac deceptos internecioni ac exitio devoveant. Utque adeò non instrumentorum modò instar sint venaticorum; sed ipsæ venatrices simul, indeque latrones & tyranni crudelissimi.

A. Ac priùs illud quidem de *fallacijs* mulierum, quibus incautos attrahunt, alliciunt, implicant ac constringunt; cujusmodi sint illæ, quámve retibus ac laqueis persimiles, passim alibi ostendit *Salomon*. Testatur enim retia illa esse,

1. Primò *Ornatum meretricium*: Prov. 7. 10. Constat autem inter ornamenta muliebria fuisse reticula illa, è lino tenuissimo, serico, aut etiam auro, raro textu confecta, eoque translucida; quæ tùm capitibus imponebant ad continendos capillos; tùm pectori ac mammis admovebant, ut illâ corporis parte nudatæ fermè conspicerentur: De quibus Esai. 3. 19. quò alludum Hos. 2. 2. ubi jubetur fornicaria Judæorum Ecclesia amovere fornicationem suam de mammis suis.

Unde aptissimè ornamenta hujusmodi meretricia retibus assimilantur, quia & reticulorum formam habent, & usum, qui est, ut illis incauti amatores irretiantur & capiantur.

Unde stoliditas illorum notanda, qui dum hæc retia tuentur, illis se irretiri patiuntur, stolidiores hactenus aviculis, de quibus Prov. 1. 17. *Frustra pandatur rete, ante oculos omnis alitis.* De *Cervo* scribit

Plinius

Plinius libr.8.cap.32. Animal simplex est in tantum, ut hominem juxta venantem non cernat, aut si cernat, arcum ipsum sagittasque miretur. Quo quid aptius, ad exponendum illius hominis stoliditatem, fœminæ speciem ac ornatum, h.e. arcum, sagittas, retia, quibus implicetur ac transfigatur demirantis? addit *Plinius*, Pastorali fistulâ & cantu mulceri, &c.

Interim quam ad classem spectent fœminæ illæ, quæ tantoperè cultum illicem sectantur, hinc liquet; eam videlicet, in quâ sunt illæ quæ morte amariores, quæ retia, laquei, vincula, &c. Unde nec mirum, si quod quærunt, inveniant sæpè, turpitudinem & ignominiam.

2. *Sermonem blandiloquum*, mellitum, deceptorium; quo animos juvenum demulcent & capiunt prostibula ista. *Flexit eum multitudine disciplinæ suæ, blanditiâ labiorum suorum impulit eum.* Prov.7.21. *Quamvis favum stillent labia extraneæ, & mollius oleo stillet palatum ejus: Attamen posterius ejus amarum est ut absinthium, acutum ut gladius bipennis.* Prov.5.3,4.

3. *Mores impudicos*, quales circumcursitationibus, Prov.7.11,12. oculis, manibus, incessu, gestibusq; alijs plenis illecebrâ exercent: de quibus Esai.3.16. *Eò quòd altæ sunt filiæ Tzijonis, & ambulant extento gutture, & nutantes oculis: indesinenter minutis passibus incedunt, pedibusq; suis compedes agunt.*

Carpit enim vires paulatim, uritq; videndo
Fœmina. ——————— Virgil.

Est porrò in Græcorum Proverbijs, *Mulieris oculum spiculum esse. Jactu enim oculorum* (Verba sunt *Basilij* in cap.3.Esai.) *sagittam planè exitialem emittit: cujusmodi tandem obtinet rumor de basiliſci naturâ, quem dicunt solo aspectu corrumpere suos spectatores.* Sequendum hîc Christi consilium: *Si scandalizaverit te oculus dexter, erue*, &c. Matth.5.29. Pangendum fœdus cum oculis, ad exemplum *Jobi*: c.31.1.

4. Quin & inter illecebras meretricum recenset *Salomon, domos* earum, & semitas eôdem ducentes, velut quæ sint instar decipularum, quibus incauti capiuntur. *Propendet ad mortem domus ejus, & ad expertes vitæ orbitæ ejus.* Prov.2.18. quod omninò verissimum est de lupanaribus, & latebris alijs, quibus id hominum genus versatur.

B. Pessimo verò *fine* & exitu illecebras istas ac blanditias adhi-

bent insidiosæ istæ ac impudicæ fœminæ; quia voluptatum obtentu; *perniciem ac interitum* quærunt ac promovent eorum, qui incauti ruunt in eorum retia ac laqueos: suntque adeò latronum instar, ac tyrannorum sævissimorum, quorum è manibus elabi non datur, citra notabile dispendium ac amarissimum, ut dictum antè. *Quicunque adeunt eam, non revertuntur, neq; assequuntur itinera vitæ.* Prov. 2. 19. *Adulter inus mulierem est demens: perditurus seipsum, ipse faciat istud.* Prov. 6. 32. Confer c. 22. 14. & 23. 27. Nempe ut significetur, exitum tam esse difficilem, quàm sit facilis lapsus.

Ista, de vanitate & miseriâ è muliebri sexu in genus humanum redundante, proponere voluit *Salomon*, eo ipso, quo cuncta, scopo: ut quisque sibi caveat, providè ac prudenter ambuler, ne hujusmodi retibus exitialibus implicetur: Neque enim alij irruunt, nisi vecordes & incauti, qui bruti instar sunt bovis, & aviculæ stolidæ: sicut tales nominat *Salomon: Sequitur eam subitò, sanquam bos ad mactationem abit, & velut compeditus ad eruditionem stultorum. Donec dissecet culter jecur ipsius, quemadmodum avis festinat ad laqueum, nesciens contra vitam suam illum esse.* Prov. 7. 22, 23. Quò respiciens *Petrus* 2. c. 2. ψ. 14. ait: *Impudicitiæ blandimentis pelliciant animas instabiles*, i. e. multivolas instar levissimarum avicularum. Perspicacitate igitur opus, sobrietate vitæ, precibus, vigilantiâ, &c. *Voluntas Dei nostra sanctificatio.* 1. Thess. 4. 7. eam expedire studio habeamus.

II. *Quanta?*

Quanta dein sit vanitas hæc & miseria exprimit, inquiens: *Bonus coram Deo, evadet ab illâ, peccans autem capietur ab illâ.* Vult dicere, inevitabilem esse humanitùs: tantam enim esse illicij meretricij virtutem, tantam è contrà hominis imbecillitatem, atque ad brutinas hujusmodi voluptates propensionem, ut vix quisquam proprio Marte devitare ac declinare illud possit, nisi quem Deus pro immensâ suâ gratiâ retrahat, ac à lapsu custodiat. Parall. locus est, Prov. 22. 14.

Bonus ergò dicitur, non qui in se bonus est perfectè, talis enim nuspiam, Mat. 19. 16. sed is, qui talis à Deo æstimatur, uti suprà cap. 2. 27. expressiùs dicitur: *Is autem est, quem suâ gratiâ & bonitate Deus dignatur ac complectitur, ut bonitatis & pietatis sit sectator & studiosus:* Hujus ergò zelum ac probitatem remuneratur Deus ex gratiâ, ut ipsum peculiari

liari suo auxilio, à retibus & laqueis exitialibus impudicæ fœminæ tueatur & custodiat, ne illaqueetur.

Peccans è contrà est, qui nullo Numinis metu tangitur, securiùs vitijs & voluptatibus indulget, immò avidè illas consectatur, & cum gaudio ac destinato consilio, hujusmodi retia & laqueos quærit: hunc igitur Deus sibi permissum, prolabi sinit, quò vult ac tendit.

DOCTRINA I.

Mortales nos adeò sumus ad malum proclives, ac præterea imbecilles, ut speciali Dei auxilio nobis opus sit, ad præcavenda & effugienda peccata: per nos ipsos enim non possemus. Deus autem est, qui suos custodit, & à malo præservat, mirabiliter: obstacula sæpè injiciens, quibus à peccato quod concepimus enitendo, prohibeamur. Ex. *Abimelech.* Genes. 20. 6. *David*, ne *Nabal* vim inferret. 1. Sam. 25. 26. 34. *Ruben* impedivit, ne fratres reliqui *Josephum* necidarent. Genes. 37. 22. *Paulus*, ne Carcerarius se interficeret. Actor. 16. Sic idem *Paulus* ab Angelo percussus, ne superbiret. 2. Cor. 12. 8. Quoties nos Deus retrahit à peccato, cujus nobis occasio objicitur!

Usus. Quod dum perspicimus, Deo gratias agamus, viribus nostris nihil tribuamus, moniti exemplo *Petri*, qui præsumpserat quod Christum minimè esset abnegaturus; at is protinus fidem perdidisset, ni Christi precibus fuisset sustentatus. Luc. 22. 32. Oremus, *Ne nos inducas in tentationem:* cum *David*, Psalm. 119. 19. *Remove a me opprobrium*, &c. & *Syracide*, c. 23. 5. &c.

DOCTRINA II.

Deus peccata peccatis punit justissimè.

Ita peccantes puniuntur à Deo, ut incurrant retia meretricum; adeoque scortentur, &c. Punit autem Deus peccata peccatis, *vel* in *eodem* peccati genere, ut è levioribus initijs ad culmen impietatis pertingant, ut obvenit Judæis Idololatris: Papistis superstitiosis; apud quos pulso verbi divini lumine, superstitio superstitionem sevit: *David* fastuoso. 2. Sam. 24. 1. *Vel* ut ex scelere uno in *diversum* graviusque prolabantur. Ita Gentiles ex Idololatriâ in tetras & naturæ contrarias libidines,

Rom.1.24. Confer Hoſ.4.13. Sic plexa *Cain* hypocriſis fratricidio; *David* adulterium cæde injuſta *Uriæ*; *Judæ* avaritia proditione Magiſtri, &c. *Vel* denique *finali ſcotomate* & impœnitentiâ puniuntur, qui peccandi Cacoëthes & callum contraxere, ut pœnitere amplius neſciant. Epheſ.4.19.

Usus. Principijs igitur maturè obſtandum. Hebr.3.13. Ne conniveamus vel nobis vel alijs in levioribus, quia facilis inde ad majora progreſſus: juſtum Dei judicium, ubi nos è peccato in peccatum ruere ſinit.

DOCTRINA III.

Exemplum hîc inſuper habemus proverbialis illius dicti Chriſti, *Habenti dabitur, qui autem non habet, auferetur quod habet.* Matt.25.29. Qui enim gratiam acceperunt ac initia fidei & ſanctimoniæ, illiſque ritè utuntur, his eadem illa dona augentur, ut in fide & pietate proficiant. Qui verò ne quidem naturalibus rectè utuntur, cùm videantur etiam gratioſa dona accepiſſe & habere, illi juſto Dei judicio deficiunt, ruunt in pejus, de peccato in peccatum, ſicque tandem palàm fit, nihil unquam habuiſſe. 1. Joh.2.19.

Usus. Unde quid noſtri ſit officij videmus; ſpiritum ſcilicet non ſuffocare, ſed excitare, ac illo fervere, ſtudere profectibus in fide & pietate. Apoc.22.11. Sic fiet, ut Deus nos ſit à malo cuſtoditurus, & incrementa ſuorum beneficiorum largiturus.

HOMILIA XIX.

TEXTUS ℣.27. ad fin.

Vide, hoc inveni, inquit Eccleſiaſtes; ſemel atque iterum quærendo aſſequi ratiocinium: Quo ampliùs quærit anima mea ratioci-

tiocinium, tamen non assequi: hominis quidem unius cuiusque ex mille assequi; at fœminæ omnibus istis instructæ non assequi. Solummodò vide, hoc inveni, Deum ipsum fecisse hominem rectum; ipsos autem quærere ratiocinia plurima.

Confirmatio sequitur.

PRorsùs Vanitatis istius ac meretriciæ improbitatis magnitudinem ac effugiendi difficultatem, vehementissimâ contestatione exaggerat & confirmat: ℣.27.28. *Vide hoc inveni, dicit Ecclesiastes, semel atque iterum, &c.* vel *unum post alterum*, dum sc. unum post alterum observarem, singulaq; certo ordine servato inter se conferrem: *ut invenirem rationem*, h.e. ut singulis invicem collatis ac sapienter subductis, certi aliquid concludere ac statuere possem, Arithmeticorum more: Respicit autem ad præcedentia, quæ tùm de exitiali fœminarum impudicarum venatione; tùm difficili ejusdem devitatione dixerat.

Fatetur insuper ℣.28. in eòdem argumento se perrexisse, atq; continuò inquisivisse, si forsan res aliter se haberet, quàm uti dixerat; nec tamen se invenisse vel deprehendisse fatetur, unquam aliter cum illo sexus fœminei genere comparatum esse, quàm sicuti exposuerit. Text. *Quod amplius*, &c. vel *quod adhuc quæsivit anima mea, & non inveni*, sc. diversum, vel aliud. Quare sententiam superiorem confirmaturus à multiplici suâ disquisitione & experientiâ, subdit: *Hominem unum ex mille inveni: mulierem autem inter omnes istas non inveni.* Sensus est, Inter omnes illas mulieres quæ pudorem prostituêre, mihi nulla unquam cognita nec deprehensa est, quæ non venatricis cujusdam aut laquei fuerit instar, ad illaqueandos & capiendos incautos amatores omnibus modis intenta, omnesque in eam rem versans dolos: & ita quidem, ut ex mille viris vix unus repertus sit, qui, si vel levi familiaritate, & consuetudine cum illis usus esset, elabi potuerit, nec obstrictus, dementatus, captusque hæserit; inde-

indeque sibi præsentissimum exitium attraxerit. Vix enim aliud exemplum extat, quale est *Josephi*.

Vulgò verba ista nimis generaliter explicant, atque utriusque sexûs masculi & fœminei comparationem à *Salomone* institui conjectant, numerumque certum ac finitum pro infinito poni existimant; ut sensus sit: licèt ægerrimè reperiantur viri verè recti, integri, cordati, prudentes, ac constantes; fieri tamen posse, ut fortè inter mille unus inveniatur; adeò exiguum esse illorum numerum: At in sexu fœmineo, difficiliùs reperiri fœminam verè prudentem, probam, sinceram ac constantem, quia adeò mollis, vagus, levis, imbecillis ac inconstans sit ille sexus: Breviter, faciliùs esse in sexu virili quàm fœmineo reperire hominem verè sapientem, ac cæteris virtutibus præditum: eoq; illum sexum huic anteceliere. Sed nimis longè petita videtur hæc expositio, nec aptè cum præced. cohærere. Taceo non levem injuriam illâ fieri fœmineo sexui, in quo constat matronas ac martyres fuisse, pietate, fide, pudicitiâ constantiâque insignes; aliasque alijs virtutibus præclarissimis præditas: Nisi quis restringere velit ad peculiarem *Salomonis* experientiam, atque mille illas mulieres quas suis fovit gynæceis. Credibile enim est, nullas inter illas fuisse verè probas ac pudicas. Sed transeant ista.

Non prætereundus tamen videtur *sensus mysticus*, quem huic dicto tribuit D. *Thomas Aquinas* in cap. 3. ad Galat. lect. 6. ad illa verba: Quasi in uno, & semini tuo qui est Christus, &c. *Ipse*, inquit, *solus & singularis est, qui non subjacet maledictioni culpæ. Unde Eccles. 7. Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato, mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ omnino à peccato immunis esset, ad minus originali vel veniali.* Hactenus *Thomas* non inconvenienter: licèt antiqui scriptores Ecclesiastici hujus interpretationis non meminerint. *Salomonem* tamen de Christi Servatoris ceu Sponsi Ecclesiæ excellentiâ, dignitate ac prærogativâ præ omnibus hominibus, aliquam velut in prophetico ænigmate notitiam habuisse, cujus ipse tamen sensum non plenius assecutus sit; & præsens locus, quo difficultatem hujus mysterij fatetur, & liber Cantici, & Psalm. 45. satis indicant.

Placet interpretatio Jesuitis, modò ne obstaret B. Virgo Deipara, quam sine omni labe & peccato originali conceptam dicunt; eoque fine in ejus honorem festum solenne Conceptionis B. V. celebrari affirmant; seque suamque sectam Jesuiticam ad asserendam, prædicandam, ac defenden-

fendendam istam B.V. gloriam institutam, immò juramento obstrictam dicunt: uti Pineda in h.l. asserit. Ad hunc tamen scopulum effugiendum, & privilegium immaculatæ conceptionis B. V. stabiliendum, distinguendum putat *Cornelius à Lapide* in h.l. inter debitum contrahendi peccatum originale, cui subjectam fuisse B.V. innuit, nempe, quòd debuisset originalem quoque labem contrahere, quippe natam ex conjugio carnali: Et ipsam realem peccati contractionem, à quâ singulari privilegio exemptam fuerit, & à Deo præventa, quæ mater futura erat Dei & Christi.

Nos ut nihil derogatum volumus honori B.V. Ita dicimus, hujus rei nullum vestigium extare in Scripturâ; neminemque à peccato immunem dici, præter solum Christum. At, inquit *Cornelius*, Quis credat matrem Dei aliquando fuisse servam peccati, immò mancipium Diaboli? At, inquam ego, & progenitores Christi omnes tales naturâ fuêre, è quibus ipse carnem suam suscepisse dicitur: Nec officit id puritati Christi. Nam ideò à Spiritu S. in utero virginis sanctificatus est, ne labem ab eâ contraheret; quâ sanctificatione opus non fuisset, si ab omni labe immunis fuisset B. Virgo. Luc. 1.

DOCTRINA.

Omnes ergo homines miseri peccatores, solo Christo Servatore, peccati expiatore excepto.

III. *Unde?*

His ita expositis, sponte velut sese offert quæstio: Cùm tanta sit in sexu muliebri vanitas & perversitas, in ponendis exitialibus tendiculis virili sexui: in hoc verò tanta fatuitas & imbecillitas, ut proprijs viribus elabi aut effugere illas vix valeat: Unde hoc malum? An à Deo? Et si non, Unde ergò?

Respondet aptè *Salomon: Tantummodò vide, hoc inveni, quòd fecit Deus hominem rectum: ipsi autem inquisiverunt quæstiones, seu cogitationes multas.* Culpam igitur omnem à Deo aufert: quia ut maximè homo à Deo conditus sit, non tamen conditus sit ab ipso primitùs corruptus, perversus, sed rectus, pollens nim. verâ sapientiâ, sanctitate & justitiâ; quippe conditus ad Dei imaginem: Et hoc de primo homine solùm verum est, nempe *Adamo* & Conjuge. Malũ ergò ab hominibus ipsis, qui non

contenti verbo Dei, fidem & obedientiam in simplicitate mentis & cordis adhibuisse; dictatore & instigatore Satanâ curiosiùs in illud inquisivisse leguntur, uti est Genes. 3.1-5. Hæ nim. sunt illæ quæstiones & cogitationes, quas primi homines versabant, quæve ipsis initium fuerunt lapsus & præcipitij in peccatum, quo rectitudo illa in quâ fuerant creati, in difformitatem & corruptionem exitialem transijt.

Cogitationes igitur istæ fuerunt antecedentes lapsum, ut causa ejus seu occasio; non autem (ut alij interpretantur) consequentes lapsum & effectus ejus, quasi sensus esset; quòd homo post lapsum se mille curis, cupiditatibus, curiositatibus, litibus, disputationibus, passionibus, concupiscentijs involverit, quibus assiduè instar Euripi jactetur, &c. Nam, ut dixi, quæstiones illæ allegantur ut causa defectionis à rectitudine, &c. Quanquam negari non possit, quòd per peccatum homo invarias ac innumeras difficultates, tricas, spinas, quæstiones, concupiscentias, & turbulentos affectus sese conjecerit.

DOCTRINA I.

De statu hominis primo. Deus fecit hominem rectum.

Rectum in *mente*, h.e. sapientiâ perfectâ præditum, quâ Deum, seipsum, cunctaque alia extra se cognoscebat.

Rectum in *voluntate*, h.e. justitiâ & sanctitate pollentem; quâ Deo, ejusque voluntati in omnibus erat conformis.

Rectum in *affectibus* & *concupiscentijs*, quatenus scilicet corpus animæ, appetitus rationi, hæc DEI jussis sese subijciebat ac imperio: Nulla uspiam repugnantia aut ἀταξία. Ephes. 4.23. Coloss. 3.10.

Fecit tamen DEUS hominem mutabilem, ut vel perstare posset in integritate illâ, vel excidere si vellet. Voluit autem posterius, ideòdicitur: *Ipsi protoplasti, quæsiverunt cogitationes multas.*

DOCTRINA II.

Lapsus igitur Adami & primorum parentum non à Deo est, sed ab homine, Satanæ instigationibus obsecundante. Rectè quidem dicitur, DEUM permisisse lapsum *Adami*, adeoque permittere & voluisse & decrevisse, eoque non omnimodò contra Dei voluntatem evenisse; Deum

Deum tamen cauſſam eſſe efficientem aut impellentem ejus, impium eſt aſſerere: Permiſit autem juſtas & ſanctas ob cauſſas, nempe ut medium eſſet gloriæ ſuæ demonſtrandæ ſubſerviens; miſericordiæ quidem in electis, quos per Chriſtum è lapſu vindicatos, ſalvat; in cæteris, juſtitiæ, quos ob peccata damnaturus eſt: Non permiſiſſet, niſi majus bonum exinde elicere potuiſſet.

DOCTRINA.

Status hominis lapſi & corrupti eſt, quòd quærit cogitationes multas, ſc. à rectitudine primævâ devias, obliquas, errantes, *malas*, h.e. ut dicitur Geneſ. 8. 21. *Cor hominis malum à juventute.*

Gloria & Gratia Tibi Domine IESV,
AMEN.

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS,

CAPVT VIII.

HOMILIA I.

TEXTUS vſ. 1.

Quis eſt par illi ſapienti? aut quis noſcenti interpretationem rei? ſapientia hominis ita illuſtrat faciem eius, ut firmitas vultûs eius duplicetur.

QUEMADMODUM non ſatis eſt, Medicum noxios cibos ægrotis ſuis prohibuiſſe, ſed inſuper ſalubriores eis nominare debet, quibus uti ipſos conveniat: Ita non ſatis habuit *Salomon*, Vanitatem rerum humanarum demonſtrâſſe, atque ab illis conſectandis dehortatum eſſe, exinde, quòd Summum hominis Bonum in illis minimè lateat: ſed inſuper Regulas utiliſſimas præſcribere voluit, quas tùm ad benè beateque in hoc ſeculo vivendum, tùm ad ſummum in cœlis olim bonum aſſequendum, obſervare conveniat. Summa eſt; Miſſis nimijs curis & laboribus, quos vulgò in divitijs & honoribus aſſequendis, cum vitæ tædio & affli-

& afflictione, impendunt; tùm etiam voluptatibus gaudijsque profanis, in quibus homines insipidi summam felicitatem collocant; sapientiæ potiùs veræ, studendum esse. Eam verò in vitiorum & pravorum affectuum devitatione, contrà pietatis, probitatis & virtutum consectatione & exercitio constituit; cum decoro conjunctum gaudio, & rerum præsentium usu frugali manente.

Eôdem argumento pergit hoc cap. 8. Ecclesiastes. Illudque

I. *Orditur à sapientiæ Encomio.* ℣ *1.*

II. *Pietatem & Obedientiam iniungit, & ab impietate graviter dehortatur.* ℣ *2-13.*

III. *Repetit axioma suum illud, de vitâ optimè instituendâ, &c.* ℣ *14. ad fin.*

PARS CAP. PRIMA.

Vers. 1. Quis est par, &c. Vel *Quis ut sapiens? & quis ut cognoscens solutionem verbi? Sapientia hominis illustrat vultum ejus, & fortitudo faciei ejus mutabitur.*

Versus continet commendationem Sapientis, cui nullum hominum genus, quantiscunque aliâs dotibus ac privilegijs excellat, conferri mereatur: Unde exclamando provocat *Salomon*, petitque hominem sibi monstrari excellentiorem Sapiente. Ad istam verò sapientis commendationem delapsus est occasione proximè præcedentis dicti; *Creavit Deus hominem integrum, ipsi autem quæsiverunt adinventiones multas:* quibus verbis culpam peccati à Deo in hominem trajecit, quòd nimirum is proprijs suis cogitatibus & ratiocinijs seipsum à primogeniâ rectitudine dejecerit in servitutem peccati, eoque stolidissimè egerit, quòd non verbo & præcepto Dei fisus obsecundarit, tantumque sui lapsum præcaverit & averterit. Id enim si fecisset, sapientissimè utique fecisset, utpote qui sic in illâ rectitudine, gratiâ & gloriâ quam acceperat, apud Deum permansurus fuisset.

Hinc ergò ad Encomium sapientiæ perhibendum progreditur: Neminem mortalium dignitate sapienti esse æquandum: quippe qui ma-

turo consilio perspiciat quid faciendum, quid fugiendum sit: beatissimus siquidem, qui id novit & præstat. Unde simul liquet, *Salomonem* per *Sapientem* non eum duntaxat intelligere, qui theoriâ sapiens est, atque scientiâ pollet rerum abstrusarum, earumque seu divinarum, seu naturalium, seu civilium: sed qui ipsâ praxi talis est, novitque providè, prudenterque dispicere, quid sibi faciendum, quid omittendum sit, atque prout novit, dextrè quoque ac constanter exequitur. Talis autem est, qui (ut ex seqq. liquet) pietati & obedientiæ mandatorum Dei studet, atque juxta eorundem normam vitam suam componit. Hæc enim summa est sapientia, Timor videlicet, & obsequium Dei: ut alibi testatus est *Salomon*, Prov. 1. 7. Conf. Psalm. 111. 10. Sed audiamus à *Salomone* ipso

A. Tùm Sapientis Descriptionem.

B. Tùm dignitatis & præcellentiæ ejus Assertionem.

A. Descriptionem in verbis, *Qui novit solutionem verbi. Communiter* hæc possunt accipi, ut sensus sit, Sapientem esse, qui è rebus quibusque dubijs ac intricatis se novit expedire, quidve statuendum ac agendum sit explicare; adeoque nodos quæstionum aut consultationum perplexos dissolvere. *Specialiùs* tamen commendare videtur *Salomon* eum, sapientiæ nomine, qui Verbi divini genuinum sensum & usum est assecutus, ut quid facto opus sit in vitâ hâc accuratè beneque instituendâ ac transigendâ, compertum habeat.

B. Excellentiam ac dignitatem ejusmodi Sapientis duplici argumento demonstrat *Salomon*: Inquiens,

a. Primò, *Sapientia hominis illuminat vultum ejus.*

Quidam hæc propriè *de facie hominis externâ* exponunt; ut sensus sit: Sapientiam in animo latentem, se prodere per faciem liberalem & ingenuam, hancque illius esse indicem & speculum, ac vivam velut imaginem: Hinc *Aristoteles* alijque de Physiognomiâ Canones & signa tradiderunt, è quibus de hominis sapientiâ vel stoliditate, proclivitate ad has vel illas virtutes aut vitia, liceat concudere. Addunt isti Interpretes, Sapientiam hominis non animum modò, sed & corpus, hujusque mores & gestus, ac vultum præcipuè congruenter ad omnem decorem componere & efformare, ut in eo luceat gravitas, authoritas, majestas, urbanitas, modestia, gratia, jucunditas, hilaritas, &c. At primò incerta hæc sunt valde, & non nisi contingentia; Restè enim Comicus,

Multis

Multis mortalium facies est ingenua, mens verò intus illiberalis reperitur: & contrà è sapientissimus deformes & monstrosi penè fuêre complures. Sed & in moribus ac vultus compositione haud infrequens est, sapientes ab insipidis superari. Notum præterea Pharisæos vultum transformasse, Matth. 6. 16. Confer Esai. 58. 5. Nec desunt, qui Curios simulent, & Bacchanalia vivant.

Deinde verò, si maximè ista formæ liberalitas ac majestas, sapientibus esset propria; certè non ideò sapientes cunctis alijs mortalibus præferri mererentur, si nullæ aliæ à sapientiâ redundarent utilitates ac prærogativæ, quàm isto. Minimè proin sapientiæ æstimatio ab externâ vultus gratiâ aut lepore arcessi debet. Quanquam negari prorsus non debeat, quin vultum & corpus sapientis quodammodò fingat & pingat sapientia, suique indicia in compluribus prodat: quod alibi *Salomon* asseruit; *Adest faciei prudentis sapientia.* Prov. 17. 24. *Ut in aquis facies faciei obversatur, ita animus hominis unius alteri.* Prov. 27. 19. Eccles. 19. 26. Sicuti contrà mores stultum produnt. c. 10. 3. Hinc Adagium: *Ex fronte perspicere.*

Rectiùs igitur verba ista *de Animo sapientis* dicuntur: Quod enim oculis corporis est lumen, cujus beneficio illi vident objecta, corpusque adeò dirigunt; illud animo est sapientia, illustrans illum, ut seipsum in seipso videat, seu cognoscat, quidque in rebus omnibus statuendum aut agendum comodè sit, monstrans. Sensus igitur est: *Sapientiam animum hominis illuminare*, ut solet lux vultum seu oculos corporis: h. e. sapientiam esse directricem ac moderatricem cogitatuum, sermonum & actionum hominis, quâ mediante quid conveniat, perspicere possit. In eum planè sensum suprà dixerat, cap. 2. 14.

b. Secundò dicit: *Et fortitudo faciei ejus mutabitur.* Hebræâ dictione, *fortitudo faciei* impudentiam, audaciam, pervicaciam, feritatem, duritiem, barbariem, sævitiam significat: sicuti Dan. 8. 23. *Rex robustus facie*, h. e. vafer, impudens, infronitus. Sic Deut. 28. 50. Prov. 21. 29. *Vir improbus faciem suam roborat*, &c. h. e. se in peccato obfirmat, &c. E phrasi igitur patet, *non de externâ vultûs corporis mutatione* hîc sermonem esse; hic enim non tam per sapientiæ accessum mutatur, quàm per affectuum vehementiorum vicissitudinem, quales sunt timor & metus, ut in *Daniele*, cap. 7. ℣. 28. c. 10. 8. in Regibus, Ezech. 27. 35. Invidia & odium, in *Caino*, Gen. 4. 6. & mercenario, Matth. 20. 15. Tristitia & lætitia, in *Annâ*. 1. Sam. 1. 18. Æstus, in *Davide*. 1. Sam. 21. 23.

Sermo

Sermo igitur est *de mutatione cordis ac animi*: vultque adeò per antithesin præced. lemmatis *Salomon* indicare, Sapientiam hominis animum mutare ita, ut ex vecorde, effero, obstinato, intractabili ac sævo quandoque, reddat lucidum, h.e. mitem, tractabilem, benignum, obsequiosum, vereque humanum: juxta illud Horat. 1. Epist. 1.

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem. Item
——— *Didicisse fideliter artes,*
Emollit mores, nec sinit esse feros. Ovid.

Summa. Sapientiam ducere hominem ad sui ipsius agnitionem; atque dehinc abigere vitia, & virtutibus animum imbuere.

DOCTRINA.

Unde *Sapientiæ excellentia* perspicitur, quam hîc commendat *Salomon*: quid enim preciosius, istâ humani animi illuminatione, ac transformatione? Unde non immeritò alibi Sapiens, tantoperè ejus laudes prædicat, eamque rebus quibusve præfert, prout hîc Sapientem cunctis alijs mortalibus. Veluti, Prov. 3. 13. cap. 16. 16. cap. 20. 15.

Statuendum verò, non alterius sapientiæ hoc esse encomium, quàm ejus, quæ è Verbi & Legis divinæ notitiâ proficiscitur, atque vitâ ipsâ exprimitur.

a. Hæc enim primò *novit solutionem verbi*: h.e. abstrusissima quæque pandit mysteria, in cœlestibus & divinis; quæ lumine naturæ nemo mortalium scire potuisset: quorum exempla sub fin. præcedentis capitis allegavit, exindeq; in istam verè sapientis, qui illa novit, commendationem prosilijt; qualia sunt: De hominis creatione, & originariâ ejus rectitudine, ac statu integritatis; de ejusdem lapsu, ac statu peccati: item quæ de Christo visus est innuere, ejus videlicet Incarnatione, sanctitate perfectâ, quâ omnium mortalium sortem excessit: his multa alia accedunt mysteria, quæ è solâ verbi revelatione innotuerunt; de vero Deo ejusque voluntate, lege, operibus, providentiâ, gubernatione, Psalm. 147. de Trinitate; de mysterio nostræ per Christum Redemptionis, sanctificatione Spiritûs, quam & hîc quodammodò tangit Ecclesiastes: Is enim est Spiritus ille sapientiæ, qui electorum corda immutat, ut ex efferis & lapideis, fiant carnea & obsequiosa: Item de resurrectione mortuorum, extremo

extremo Judicio, æternâ fidelium beatitudine, &c. Sola sapientia Verbi divini de his docet, Matth.11.25.c.16.17.1.Cor.2.6.&c.

Usus. Tractandus igitur hic liber Scripturæ sacræ, si quis ullus alius. Pessimèque ac invidiosè immò exitialiter Papistæ eum è manibus plebis rapiunt.

b. Eadem Sapientia, *verè collustrat vultum ejus*, h.e. verè sapientem reddit ad salutem, ducens eum ad sui cognitionem, monstrans ei quid credere, quomodo vivere, quid sequi quid fugere debeat. 2.Tim.3.16,17. Deut.4.6.Psalm.49.4.

Usus. ad ἔλεγξ. Negant hoc Papistæ, dum Scripturam ajunt esse obscuram, ut in errores potiùs ac perplexitates, vulgares homines ducat, quàm ut illis fidei & vitæ norma esse possit.

Sed quid est ore blasphemo Spiritui S. reclamare, & Scripturam nequiter traducere, si hoc non est? Dicitur hîc Sapientiam verbo sc. Dei expressam, illustrare hominem, illi dicunt obscurare: alibi eodem sensu, lux & lucerna pedum vocatur, Psal.19.9.12.& 119.105. sc. cujus splendore ducamur in viâ veritatis & vitæ: Illi tenebras ei affingunt & obscuritatem tantam, ut per eam non nisi palpitare oporteat, & incertum vagari. Sed alia nobis mens, qui malumus cathedras nostras hoc lumine illustrari, quàm cereis; cordaque nostra eodem illo perfundi, quàm traditionum humanarum nebulis caligare.

c. Eadem denique verè *mutat humani cordis asperitatem, atque emollit*. Hæc enim sapientia, virtute Spiritus Dei, qui eam cordibus instillat, efficax est ad cor hominis innovandum. Jerem.23.29.Hebr.4.12.

Usus. Itaque verè sapientes sunt, qui cor habent mutatum, seu, qui spiritu cordis sunt innovati, desertis cupiditatibus perversis ac fallacibus, Ephes.4.22,23. Unde Timorem Domini idem noster *Salomon* caput sapientiæ dixit, Prov.1.ex Psalm.111.10.

Stultus manet & insanus, qui hâc sapientiâ non pollet, quantamcunque mundo videtur habere sapientiam, in illis scilicet quæ sunt hujus mundi caduci cum omni suâ gloriâ.

DOCTRINA.

Sapientia maxima est seipsum agnoscere: De quo verè dixeris σύνολα τὰ καλά. Difficillimum enim seipsum nosse: Ut enim proprios

oculos ſuis oculis pervidere homo nequit: ſic nec ſuum ipſius animum quisquam ritè poteſt cognoſcere. Cor hominis fallax & inexplorabile. Jerem.17.9. Sæpè nobis videmur ſaperdæ, feſtivi & belli, cùm ſimus capreæ. Ex. Opulentus Juvenis. Matth.19. Phariſæus. Luc.18. Angelus Laodicenus, Apoc.3.18.

Usus. Oremus Deum, ut collyrium ſuggerat, Apoc.3.18. Exploremus nos ipſos, Thren.3.40. lucernam verbi legisque mittamus in cor noſtrum, &c. Rom.7.9. Inquiſitionis hujus non pœnitebit nos. Ducet ad humilitatem, contemptum gloriæ, & adulationis; ad ſtudium expurgandi reliquias carnis, & æquanimitatem erga proximum.

HOMILIA II.

TEXTUS ℣.2,3,4.

Præſtitutum meum, præſtitutum Regis obſerva; ſed pro ratione iuramenti Dei. Ne perturbatè à facie eius abito, ne perſiſtito in re mala: nam quicquid volet, facturus eſſet. Vbicunque verbum Regis eſt, ibi dominatio: ecquis dicat ei, quid facis?

PARS CAP. SECUNDA.

SAPIENTIÆ quam tantoperè commendarat, nunc præcepta præſcribit *Salomon*, injungendo obſequium erga DEUM & Magiſtratum, adeoque ad pietatem probamque vitam cohortando.

I. *Videnda præcepta ipſa.*

II. *Eorun-*

II. *Eorundem confirmatio.*
III. *Obiectionis confutatatio ac solutio.*

DE PRIMO.

Proponit illa, tùm καλὰ θέσιν. tùm καθ' ἕξιν.

I. *In thesi*, vs. 2. *Præstitutum meum, &c.* Vel *Ego* (sc. moneo te, vel suadeo aut impero tibi, Elliptica enim est oratio) *ut os Regis observes, & super verbo juramenti Dei*; Præceptum duplex:

A. Primum est, de obedientiâ Regi, adeoque cuilibet ordinario Magistratui præstandâ. *Os Regis*,) h.e. leges, verba, jussa ab ore Regis ac Principis prodeuntia: Tritum in scripturâ, *os* pro *sermone oris* accipi, ut Luc. 21.15. Exod. 17.1. cap. 38.21. Esai. 30.2. Significatur autem hâc phrasi, promptitudo & alacritas ad parendum, ut nimirum subditi, velut ad minimos oris motus, adeoque nutus ac nictus oculorum, parati sint. Constans hæc Dei voluntas, parendum esse Magistratui. Rom. 13.1. Quod & seqq. docent. Addit enim,

B. *Super verbo juramenti Dei*) Quibus alterum præceptum continetur, de servando nec violando juramento Dei. Appellatur autem *juramentum Dei*, quia cultus est religiosus, soli Deo debitus, ut videlicet in ejus nomine jusjurandum concipiatur, Deut. 6.13. cùm solus ipse sit scrutator cordis, & vindex perjurij summus. Jerem. 17.10. Malach. 3.5. Hic verò tria apprimè observanda.

1. *Primum*, quòd præceptum de subjectione & obedientiâ Magistratui præstandâ, *jungatur* præcepto de obsequio erga Deum: Sic enim innuitur utramque obedientiam, Deo videlicet & Magistratui debitam, conjunctas esse, ut neutra sine alterâ subsistere possit. Unde junctim passim in Scripturâ mandantur: *Reverere Jehovam fili mi, & Regem; cum variis ne commisceto te.* Prov. 24.21. *Date Cæsari quæ Cæsaris, & Deo quæ Dei.* Matth. 22.21. *Deum timete. Regem honorate.* 1. Petr. 2.17.

Ratio, Quia Magistratus personam gerunt Dei in terris: ideò Dij appellantur, Psalm. 82.6. Vicarij Dei, Rom. 13.4. Neque proin obsequium recusari potest Magistratui, aut idem contemni, quin hoc ipsum

fatinus in Deum ipsum vergat; quod exertis verbis Deus *Samueli* contestatus est.1.Sam.8.7. Ideò quum obedientiam Magistratui præstandam Scriptura præcipit, propter Dominum & conscientiam id facere jubet.. Rom.13.5.1.Petr.2.13.

Usus. Notent id temerarij illi ac procaces, qui tutò ac impunè Magistratus contemnere se fingunt, citra ullam Dei offensam.

2. *Alterum* quod heic observare oportet, est: Quòd præcepto de obedientiâ Regi præstandâ, jungatur præceptum de jurisjurandi observantiâ; quia videlicet subditi, propter juramentum Dei, quo se Magistratui suo obstrinxerunt, ad subjectionem ei devincti sunt; ut eam negare nequeant, quin fiant perjuri?

Usus. Quod rursum notent præfracti, qui nihil pensi habent, edicta Magistratûs violare pro lubitu, & palàm quasi suâ obstinatione illa conculcare; nec recordantur jurisjurandi, quo se suosque devoverunt ad obsequendum legitimis Magistratûs legibus. Ita verò perjuri evadunt: At quantum hoc! Quis non exhorrescat vel ad solum perjurij nomen, non ut infame modò, sed & exitiale?

Quin immò juxta veterum *Patrum* interpretationem, juramentum Dei hìc intelligi potest illud pactum, quo velut interpositâ jurisjurandi religione, Deus obstringit omnes ad Ecclesiam ejus accedentes, ut ejerato Dioabolo, sibi militent, mandata & præcepta ejus custodiendo: Id enim sanctione fœderis à populo suo flagitavit Deus, Exod.24.1. in eumque finem Sacramento Circumcisionis fœderatorum masculi initiandi erant. Quod ipsum hodieque de Baptismi nostri Sacramento accipiendum, quo utique Deo spondemus obedientiam, quam & ipsi & mandatis suis, adeoque & illis, quos in locum suum ceu vindices Legis suæ constituit, præstare parati simus. Ergò qui obedientiam Magistratui recusant, quia simul & Deo recusant, fœdifragi sunt.

Narrat Victor Uricensis libr.3. Wandal. Duos fratres Christianos à Wandalis Arrianis fuisse suspensos, molibus lapidum ad pedes appensis, cumque unus eorum peteret deponi, dariique sibi inducias, alter metuens ne fidem negaret, exclamavit: *Noli, noli, Frater; non ita juravimus Christo: Accusabote cùm ante thronum ejus terribilem venerimus, quia super corpus & sanguinem juravimus, ut pro eo invicem patiamur.* Unde prior confirmatus, constanter edixit: *Adigite supplicijs quibus vultis, & pœnis Christianos arctate crudelibus: Quod frater meus facturus est, hoc etiam ego.*

Hoc

Hoc pacto voti Baptismo facti memores esse convenit, ne à pactâ Deo omnimodâ obedientiâ deflectamus.

3. *Tertium* est, sic Regi obediendum esse, ut interim ratio habeatur juramenti Dei, h.e. obedientiæ Deo debitæ. Præstanda utraque quoad consentiunt, sin diversa sint utriusque jussa, tùm standum axiomate Apostolico, *Plus Deo, quàm hominibus obsequendum*. Actor. 4. 19. Quâ de re aliàs.

II. Obedientiæ præceptum κατ' ἄρσιν exponit, ψ. 3. a. *Ne perturbate à facie ejus, &c.* Vel *Ne sis festinus à facie ejus abire; ne stes in re malâ.* Quidam de *fugâ pœnæ* hæc accipiunt, ne quis sc. si deliquerit, sibi consulere satagat fugiendo procul à Regis conspectu, quia constat longas Regibus esse manus: sed rectiùs de *culpâ, offensâ* Regis ac inobedientiâ ipsâ capiuntur, quam dupliciter *Salomon* dissuadet:

1. *Primò* quidem temeritatem, festinationem, incogitantiam in patrando malo: qui enim mandata superiorum susque deque habent, vix aurem præbent illis, sed accelerant abitum ab imperante, cum quodam eorum fastidio ac contemptu. 2. *Deinde* perseverantiam in malo. Vult ergo, ut jussa ac edicta Magistratûs violaturi, rem priùs maturè deliberemus, quid incaudâ prævaricatio secum trahat, nec præcipites in delicta ruamus: si tamen contigerit per incogitantiam nos deliquisse, ne nos in malo obfirmemus, sed mox animum factaque mutemus, resipiscamus, convertamur.

DOCTRINA.

Duo extrema circa peccatum vitanda: Festinatio sc. in principio, dum illud patratur: *Tarditas* verò in fine, dum patratum est, atque in illo pertinaciter persistitur. Cui duo alia in partem meliorem per inversionem opponenda: Tarditas sc. in initio, immò constans & pertinax quasi propositum nunquam illud committendi: Festinatio verò in fine, si commissum est, ut mox & hodiè quidem ab eo desciscas & convertaris. Quin hæc sint respectu Dei ceu summi Magistratûs seriò observanda, nemo negabit, nisi atheus: At Magistratus terreni respectu, non usque adeò necessum esse plures arbitrantur; atque impunè sibi licere Magistratûs edicta violare, existimant. Sed isti non considerant, eandem quasi personam esse Dei & Magistratûs, easdem leges, eoque eandem obedientiam, quæ utrique præstatur. Immò non considerant astum Satanæ,

qui ut in peccatum incautos inducat, leve esse persuadet Magistratus ceu homines, magnis sæpè nævis laborantes, despicere; qui & falli possint, eorumque judicia eludi: Ita verò sibi tales aditum faciunt ad Deum ipsum contemnendum, ejusq; mandata temerè violanda: Quisquis enim puer præceptores contemnere assuevit, brevi & parentes ipsos vilipendet.

DE SECUNDO.

Confirmatio duplex: *Prior*, à *noxâ inobedientiæ*: pœnâ sc. *Altera*, ab *utilitate obedientiæ*, &c.

I.

De priore agitur v. 3. b. & 4. *Quia (Rex) quicquid vult facit; secundum verbum Regis est potestas; & quis dicet ei, quid facis?* Sensus est; Vindictam ac pœnam Magistratus incurrere, qui ipsorum mandatis non parent.

Verba hæc loquuntur, *a.* vel de ordinariâ Regum & Magistratûs potestate: *b.* vel de tyrannide, & ejusdem abusu.

a. *Priore* modo si capias, sensus erit: Magistratum à Deo ipso gladio & potestate armatum & instructum esse, ut sontes pro merito & delicti gravitate punire possit, etiamque debeat: Metuendum igitur & cavendum ab ejus offensâ: ut Rom. 13. 4. exserte dicitur: Nec verò subditis integrum esse expostulare aut obsistere Magistratui plectenti, & dicere, *Quid facis?* quia sc. divinum hoc sit ejus jus, eoque voluntatem ejus, Lege sc. Dei temperatam, pro ratione esse.

DOCTRINA I.

His ergò primò *Status & potestas Magistratûs* confirmatur, utpote subnixa jure & institutione divinâ.

DOCTRINA II.

Ejus *Officium*, quod in plectendis malis, prævaricatoribus ac facinorosis exercere debent, indigetatur. *Quòd si malè feceris metue, non enim frustra gerit gladium, nam Dei minister est, vindex ad iram ei, qui quod malum est, fecerit*, Rom. 13. 4. Secus civitas nulla stare potest; Erit homo homini

mini lupus: & magna regna degenerabunt in magna latrocinia. *Augustin.* l. 4. de Civ. Dei. Causam hanc Deus ipse allegat, Deut. 13. 17. Ideoque & publicè solent pœnæ infligi, ut spectatores metuant, & sibi caveant. Prægnantior adhuc videtur esse causa, cur Magistratus in flagitiosos severè animadvertere debeat, ut *sic malum è medio populi auferatur*, ut Deus ipse loquitur, ne sc. ob unius crimen integer plectatur populus. Conf. Jos. 7.

Cæterùm verba hæc, *Quicquid vult, facit*; non eò trahenda sunt, quasi in Magistratûs arbitrio positum esset, sontes punire vel non; aut cum personarum respectu pro lubitu in pœnis irrogandis dispensare: Non enim ab hâc voluntate Deus excluditur, sed reus duntaxat; ut sensus sit, non ad arbitrium rei agere Magistratum, sed suum ipsius; eoque invitum reum & coactum trahi ad pœnas & supplicium. Dei enim respectu, non libero pollet arbitrio Magistratus, sed tenetur ex officio plectere flagitiosos, secus ipse plectendus est à summo judice Deo. Deus enim eôdem gradu habet Magistratus, quo ipsi suos subdelegatos Judices, ac etiam Carnifices: horum enim si quis facinorosum evadere sineret suâ incuriâ, aut in supplicio inferendo erraret, mox ad pœnam raperetur: Ita certè Deus cum Magistratibus acturus est, qui juxta ipsius Legem non in sontes animadvertunt. Quemadmodum privatis à Christo interdicitur Luc. 6. *Ne judicate, ne judicemini*: sic vice versâ eâdem retentâ Talionis lege Magistratibus præcipitur, Judicate, ne judicemini. *Quâ mensurâ, &c.* Hinc apud Jerem. c. 48. 30. *Maledictus qui facit opus fraudis, & maledictus qui cohibet gladium suum à sanguine.*

DOCTRINA III.

Subditorum est pœnas promeritas patienter & æquo animo ferre, non oggannire, non obsistere, non maledicere Judici, multoque minùs cum eo expostulare, aut vindictam spirare. Text. *Quis dicet ei, quid facis?* q. d. nefas hoc dicere. Ex. in Latrone converso. *Josepho*, Genes. 39. ℣. 20. secus multi, &c. quanquam in cassum, quia in verbo Regis potestas.

b. *Posteriore* modo si de tyrannide verba hæc capiantur, fortius stringit ratio allegata: Constat enim tyrannos in pœnis infligendis modum excedere, tantò igitur amplius metuendi, & ab inobedientiâ ac offensâ ipsorum sedulò cavendum. Videtur autem Salomon tyrannos

suis velut coloribus depingere, utpote qui tria sibi falsò adjudicant, quæ soli Deo Regi Regum competunt. Fingunt enim se

1. *Exleges*, quibus quicquid lubet, liceat, juxta illud: Stat pro ratione (adeoque & pro lege) voluntas. Quod Imperatori *Caracallæ* noverca propudiosa suasit, ad incestum eum invitans: An nescis te Imperatorem esse, & Leges dare non accipere. Quantò rectiùs Salomon noster, Rex quanquam potentissimus, qui excelsiorem excelsis ponit Deum, cap. 57. cujus judicio cuncti mortalium Reges sint subjecti. Hujus ergò legibus noverint se subjectos Reges quique, ac juxta illas judicatum iri, 2. Cor. 5. 10. *Omnes enim manifestos fieri oportet coràm tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit.* Didicit id suo damno Nebucadnezar, tandemque mente receptâ publicè fassus est, Dan. 4. 34, 35. Ac licèt legibus civilibus abs se latis se eximere possent, attamen (lex est Theodosij, in Codice extans) *Digna vox majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Adeò de authoritate iuris nostra pendet authoritas; & reverà maius imperio est, submittere legibus imperium.* Unde Divi Severus & Antoninus sæpissimè rescripserunt: *Licet legibus soluti simus, tamen legibus vivimus.*

2. *Cunctipotentes.* Text. *Secundùm verbum Regis est potestas:* q.d. adeò se potentes fingunt, suaque potestati subesse cuncta, ut quicquid edixerint pro lubitu, fiat necesse sit: nec verò ullâ ratione à proposito dimoveri se patiantur; ut qui flecti non minùs existimant turpe, quàm vinci; ut ait *Seneca* de Benef. libr. 6. c. 30. tantumque non in rabiem aguntur, si contra verbum ipsorum quid eveniat. Cujus insolentiæ exempla historiæ prodiderunt in *Cyro*, qui Gyndem fluvium trajiciens, quod ex equis unus, qui trahere regium currum solebant, illo abreptus esset, in 360. rivos dispersum, ac in diversum fluentibus aquis siccum reddiderit, tempus omne, omnemque belli apparatum opere illo consumendo. Seneca de irâ libr. 3. cap. 21. in *Xerxe*, qui Hellespontum, quòd obortâ tempestate, pontes suos disjecisset, convicijs oneravit, trecenta verbera illi infligi, sacrificijs privari, quin & compedes injici jussit. Herodot. libr. 7. Consideratior haud parum *Canutus* Angliæ Rex; qui vanas suorum de potentiâ suâ laudes hac ratione compescuit: sedens enim ad littus Oceani super injectâ veste, sic ei imperavit: *Unda* (inquit) *iubeo, ne pedes meos tangas:* ab eâ tamen madefactus, docuit Anglos

glos, solum Christum esse Regem, qui ventis & mari imperet, cuique soli in obediant: insuper Vintoniæ templo Petro & Paulo dicato, Coronam regiam Christo imposuit, nec unquam suo postea eam capite gessit. Polydor. Virg. libr. 7. histor. Angl. sub. fin.

3. Ἀνυθύνους, nulli sc. ad reddendas rationes obstricti adeoque absolutâ potestate præditos. Text. *Quid facis?* Insolentior hic Papa Romanus, de quo traditur, si multa millia animarum in gehennam deijceret, neminem tamen ausurum dicere, Papa quid facis? Item, Principem etiam injustè abdicatum, contra injustam sententiam ne hiscere quidem audere. Mitior *David*, qui *Nathanem*, 2. Sam. 2. *Gad*, 2. Sam. 24. immò *Joabum*, 2. Sam. 19. & 1. Chron. 21. tulit obloquentes.

Conclus. Tyranni ergò, non in subditos modò iniquissimi sunt, sed in Deum ipsum, dum quæ Dei sunt solius, sibi attribuunt, horrendo sacrilegio: quo scelere omnes illi quoque Rerumpubl. Proceres comprehenduntur, qui præfractâ ac insolenti quâdam ambitione ac austeritate turgent, ut excussâ Numinis Divini reverentiâ, legumque repagulis violatis, cuncta ex libitu ac impetu, & per vim quasi peragunt; nec contradicentes ullo modo ferunt, sed persequuntur.

)(Soli ergò Deo competit esse exlegem: Solius voluntas ipsissima lex est, quia justissima, sanctissima, optima semper. Psalm. 119. 137. Psalm. 144. 13. Solus ille Omnipotens, de quo dici possit, Dictum, factum, Psalm. 115. 3. Job. 23. 13. Psalm. 33. 9. Solus ἀνυθύνος, à quo rationes factorum exposcere nefas, nulli obligatus aut subjectus, de cunctis rationem villicationis exacturus, Luc. 16. 2. à quo nulla est provocatio, quæ in ipso omnis terminatur. Sic *Job: Ecce, rapuerit, quis cogat eum restituere? quis dicat ei, quid facis?* c. 9. 12. *Nebucadnezar: Dominatur Excelsus in regno hominum, & cui vult dat illud.* Dan. 4. 32. Conf. Rom. 9. 20. Esai. 45. 9. 10.

Usus. Est ergò, ut Dei cumprimis pœnam ac judicium metuamus, si vel maximè contingat, Regum manus effugere, eorumque supplicia quocunque modo declinare. Huncque etiam Reges ipsi potentissimi Judicem & vindicem metuere debent. Sed de his jam plura.

Sermo igitur est *de mutatione cordis ac animi:* vultque adeò per antithesin præced. lemmatis *Salomon* indicare, Sapientiam hominis animum mutare ita, ut ex vecorde, effero, obstinato, intractabili ac sævo quandoque, reddat lucidum, h.e. mitem, tractabilem, benignum, obsequiosum, vereque humanum: juxta illud Horat. 1. Epist. 1.

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem. Item
——— *Didicisse fideliter artes,*
Emollit mores, nec sinit esse feros. Ovid.

Summa. Sapientiam ducere hominem ad sui ipsius agnitionem; atque dehinc abigere vitia, & virtutibus animum imbuere.

DOCTRINA.

Unde *Sapientiæ excellentia* perspicitur, quam hîc commendat *Salomon*: quid enim preciosius, istâ humani animi illuminatione, ac transformatione? Unde non immeritò alibi Sapiens, tantoperè ejus laudes prædicat, eamque rebus quibusve præfert, prout hic Sapientem cunctis alijs mortalibus. Veluti, Prov. 3. 13. cap. 16. 16. cap. 20. 15.

Statuendum verò, non alterius sapientiæ hoc esse encomium, quàm ejus, quæ è Verbi & Legis divinæ notitiâ proficiscitur, atque vitâ ipsâ exprimitur.

a. Hæc enim primò *novit solutionem verbi:* h.e. abstrusissima quæque pandit mysteria, in cœlestibus & divinis; quæ lumine naturæ nemo mortalium scire potuisset: quorum exempla sub fin. præcedentis capitis allegavit, exindeq; in istam verè sapientis, qui illa novit, commendationem prosilijt; qualia sunt: De hominis creatione, & originariâ ejus rectitudine, ac statu integritatis; de ejusdem lapsu, ac statu peccati: item quæ de Christo visus est innuere, ejus videlicet Incarnatione, sanctitate perfectâ, quâ omnium mortalium sortem excessit: his multa alia accedunt mysteria, quæ è solâ verbi revelatione innotuerunt; de vero Deo ejusque voluntate, lege, operibus, providentiâ, gubernatione, Psalm. 147. de Trinitate; de mysterio nostræ per Christum Redemptionis, sanctificatione Spiritûs, quam & hîc quodammodò tangit Ecclesiastes: Is enim est Spiritus ille sapientiæ, qui electorum corda immutat, ut ex efferis & lapideis, fiant carnea & obsequiosa: Item de resurrectione mortuorum, extremo

extremo Judicio, æternâ fidelium beatitudine, &c. Sola sapientia Verbi divini de his docet, Matth. 11.25. c. 16.17. 1. Cor. 2.6. &c.

Usus. Tractandus igitur hic liber Scripturæ sacræ, si quis ullus alius. Pessimèque ac invidiosè immò exitialiter Papistæ eum è manibus plebis rapiunt.

b. Eadem Sapientia, *verè collustrat vultum ejus*, h.e. verè sapientem reddit ad salutem, ducens eum ad sui cognitionem, monstrans ei quid credere, quomodo vivere, quid sequi quid fugere debeat. 2. Tim. 3.16,17. Deut. 4.6. Psalm. 49.4.

Usus. ad ἐλεγξ. Negant hoc Papistæ, dum Scripturam ajunt esse obscuram, ut in errores potiùs ac perplexitates, vulgares homines ducat, quàm ut illis fidei & vitæ norma esse possit.

Sed quid est ore blasphemo Spiritui S. reclamare, & Scripturam nequiter traducere, si hoc non est? Dicitur hîc Sapientiam verbo sc. Dei expressam, illustrare hominem, illi dicunt obscurare: alibi eodem sensu, lux & lucerna pedum vocatur, Psal. 19.9.12. & 119.105. sc. cujus splendore ducamur in viâ veritatis & vitæ: Illi tenebras ei affingunt & obscuritatem tantam, ut per eam non nisi palpitare oporteat, & incertum vagari. Sed alia nobis mens, qui malumus cathedras nostras hoc lumine illustrari, quàm cereis; cordaque nostra eodem illo perfundi, quàm traditionum humanarum nebulis caligare.

c. Eadem denique verè *mutat humani cordis asperitatem, atque emollit.* Hæc enim sapientia, virtute Spiritus Dei, qui eam cordibus instillat, efficax est ad cor hominis innovandum. Jerem. 23.29. Hebr. 4.12.

Usus. Itaque verè sapientes sunt, qui cor habent mutatum, seu, qui spiritu cordis sunt innovati, desertis cupiditatibus perversis ac fallacibus, Ephes. 4.22,23. Unde Timorem Domini idem noster *Salomon* caput sapientiæ dixit, Prov. 1. ex Psalm. 111.10.

Stultus manet & insanus, qui hâc sapientiâ non pollet, quantamcunque mundo videtur habere sapientiam, in illis scilicet quæ sunt hujus mundi caduci cum omni sua gloriâ.

DOCTRINA.

Sapientia maxima est seipsum agnoscere: De quo verè dixeris γνῶθι σεαυτόν. Difficillimum enim seipsum nosse: Ut enim proprios

oculos ſuis oculis pervidere homo nequit: ſic nec ſuum ipſius animum quisquam ritè poteſt cognoſcere. Cor hominis fallax & inexplorabile. Jerem.17.9. Sæpè nobis videmur ſaperdæ, feſtivi & belli, cùm ſimus capreæ. Ex. Opulentus Juvenis, Matth.19. Phariſæus, Luc.18. Angelus Laodicenus, Apoc.3.18.

Usus. Oremus Deum, ut collyrium ſuggerat, Apoc.3.18. Exploremus nos ipſos, Thren.3.40. lucernam verbi legisque mittamus in cor noſtrum, &c. Rom.7.9. Inquiſitionis hujus non pœnitebit nos. Ducet ad humilitatem, contemptum gloriæ, & adulationis; ad ſtudium expurgandi reliquias carnis, & æquanimitatem erga proximum.

HOMILIA II.

TEXTUS ℣.2,3,4.

Præſtitutum meum, præſtitutum Regis obſerva; ſed pro ratione iuramenti Dei. Ne perturbatè à facie eius abito, ne perſiſtito in re mala: nam quicquid volet, facturus eſſet. Vbicunque verbum Regis eſt, ibi dominatio: ecquis dicat ei, quid facis?

PARS CAP. SECUNDA.

SAPIENTIÆ quam tantoperè commendarat, nunc præcepta præſcribit *Salomon*, injungendo obſequium erga DEUM & Magiſtratum, adeoque ad pietatem probamque vitam cohortando.

I. *Videnda præcepta ipſa.*

II. *Eorun-*

II. *Eorundem confirmatio.*
III. *Obiectionis confutatatio ac solutio.*

DE PRIMO.

Proponit illa, tùm καλὰ θέσιν, tùm καλὰ ἕξιν.

I. *In thesi*, ψ. 2. *Præstitutum meum, &c.* Vel *Ego* (sc. moneo te, vel suadeo aut impero tibi, Elliptica enim est oratio) *ut os Regis observes, & super verbo juramenti Dei*; Præceptum duplex:

A. Primum est, de obedientiâ Regi, adeoque cuilibet ordinario Magistratui præstandâ. *Os Regis,*) h.e. leges, verba, jussa ab ore Regis ac Principis prodeuntia: Tritum in scripturâ, *os* pro *sermone oris* accipi, ut Luc. 21. 15. Exod. 17. 1. cap. 38. 21. Esai. 30. 2. Significatur autem hâc phrasi promptitudo & alacritas ad parendum, ut nimirum subditi, velut ad minimos oris motus, adeoque nutus ac nictus oculorum, parati sint. Constans hæc Dei voluntas, parendum esse Magistratui. Rom. 13. 1. Quod & seqq. docent. Addit enim,

B. *Super verbo juramenti Dei*) Quibus alterum præceptum continetur, de servando nec violando juramento Dei. Appellatur autem *juramentum Dei*, quia cultus est religiosus, soli Deo debitus, ut videlicet in ejus nomine jusjurandum concipiatur, Deut. 6. 13. cùm solus ipse sit scrutator cordis, & vindex perjurij summus. Jerem. 17. 10. Malach. 3. 5. Hic verò tria apprimè observanda.

1. *Primum*, quòd præceptum de subjectione & obedientiâ Magistratui præstandâ, *jungatur* præcepto de obsequio erga Deum: Sic enim innuitur utramque obedientiam, Deo videlicet & Magistratui debitam, conjunctas esse, ut neutra sine alterâ subsistere possit. Unde junctim passim in Scripturâ mandantur: *Reverere Jehovam fili mi, & Regem; cum variis ne commisceto te.* Prov. 24. 21. *Date Cæsari quæ Cæsaris, & Deo quæ Dei.* Matth. 22. 21. *Deum timete, Regem honorate.* 1. Petr. 2. 17.

Ratio, Quia Magistratus personam gerunt Dei in terris: ideò Dij appellantur, Psalm. 82. 6. Vicarij Dei, Rom. 13. 4. Neque proin obsequium recusari potest Magistratui, aut idem contemni, quin hoc ipsum

satinus in Deum ipsum vergat; quod exertis verbis Deus *Samuelis* contestatus est.1.Sam.8.7. Ideò quum obedientiam Magistratui præstandam Scriptura præcipit, propter Dominum & conscientiam id facere jubet. Rom.13.5.1.Petr.2.13.

Usus. Notent id temerarij illi ac procaces, qui tutò ac impunè Magistratus contemnere se fingunt, citra ullam Dei offensam.

2. *Alterum* quod heic observare oportet, est: Quòd præcepto de obedientiâ Regi præstandâ, jungatur præceptum de jurisjurandi observantiâ; quia videlicet subditi, propter juramentum Dei, quo se Magistratui suo obstrinxerunt, ad subjectionem ei devincti sunt; ut eam negare nequeant, quin fiant perjuri?

Usus. Quod rursum notent præfracti, qui nihil pensi habent, edicta Magistratûs violare pro lubitu, & palàm quasi suâ obstinatione illa conculcare; nec recordantur jurisjurandi, quo se suosque devoverunt ad obsequendum legitimis Magistratûs legibus. Ita verò perjuri evadunt: At quantum hoc! Quis non exhorresçat vel ad solum perjurij nomen, non ut infame modò, sed & exitiale?

Quin immò juxta veterum *Patrum* interpretationem, juramentum Dei hìc intelligi potest illud pactum, quo velut interpositâ jurisjurandi religione, Deus obstringit omnes ad Ecclesiam ejus accedentes, ut ejerato Dioabolo, sibi militent, mandata & præcepta ejus custodiendo: Id enim sanctione fœderis à populo suo flagitavit Deus, Exod.24.1. in eumque finem Sacramento Circumcisionis fœderatorum masculi initiandi erant. Quod ipsum hodieque de Baptismi nostri Sacramento accipiendum, quo utique Deo spondemus obedientiam, quam & ipsi & mandatis suis, adeoque & illis, quos in locum suum ceu vindices Legis suæ constituit, præstare parati simus. Ergò qui obedientiam Magistratui recusant, quia simul & Deo recusant, fœdifragi sunt.

Narrat Victor Uricensis libr.3. Wandal. Duos fratres Christianos à Wandalis Arrianis fuisse suspensos, molibus lapidum ad pedes appensis, cumque unus eorum peteret deponi, dariique sibi inducias, alter metuens ne fidem negaret, exclamavit: *Noli, noli, Frater; non ita juravimus Christo: Accusabo te cùm ante thronum ejus terribilem venerimus, quia super corpus & sanguinem juravimus, ut pro eo invicem patiamur.* Unde prior confirmatus, constanter edixit: *Adigite supplicijs quibus vultis, & pœnis Christianos arctate crudelibus: Quod frater meus facturus est, hoc etiam ego.*

Hoc

Hoc pacto voti Baptismo facti memores esse convenit, ne à pactâ Deo omnimodâ obedientiâ deflectamus.

3. *Tertium* est, sic Regi obediendum esse, ut interim ratio habeatur juramenti Dei, h.e. obedientiæ Deo debitæ. Præstanda utraque quoad consentiunt, sin diversa sint utriusque jussa, tùm standum axiomate Apostolico, *Plus Deo, quàm hominibus obsequendum*. Actor. 4. 19. Quâ de re aliàs.

II. Obedientiæ præceptum κατ' ἄρσιν exponit, vs. 3. a. *Ne perturbate à facie ejus, &c.* Vel *Ne sis festinus à facie ejus abire; ne stes in re malâ.* Quidam de *fugâ pœnæ* hæc accipiunt, ne quis sc. si deliquerit, sibi consulere satagat fugiendo procul à Regis conspectu, quia constat longas Regibus esse manus: sed rectiùs de *culpâ, offensâ* Regis ac inobedientiâ ipsâ capiuntur, quam dupliciter *Salomon* dissuadet:

1. *Primò* quidem temeritatem, festinationem, incogitantiam in patrando malo: qui enim mandata superiorum susque deque habent, vix aurem præbent illis, sed accelerant abitum ab imperante, cum quodam eorum fastidio ac contemptu. 2. *Deinde* perseverantiam in malo. Vult ergo, ut jussa ac edicta Magistratûs violaturi, rem priùs maturè deliberemus, quid incaudâ prævaricatio secum trahat, nec præcipites in delicta ruamus: si tamen contigerit per incogitantiam nos deliquisse, ne nos in malo obfirmemus, sed mox animum factaque mutemus, resipiscamus, convertamur.

DOCTRINA.

Duo extrema circa peccatum vitanda: Festinatio sc. in principio, dum illud patratur: *Tarditas* verò in fine, dum patratum est, atque in illo pertinaciter persistitur. Cui duo alia in partem meliorem per inversionem opponenda: Tarditas sc. in initio, immò constans & pertinax quasi propositum nunquam illud committendi: Festinatio verò in fine, si commissum est, ut mox & hodiè quidem ab eo desciscas & convertaris. Quin hæc sint respectu Dei ceu summi Magistratûs seriò observanda, nemo negabit, nisi atheus: At Magistratus terreni respectu, non usque adeò necessum esse plures arbitrantur; atque impunè sibi licere Magistratûs edicta violare, existimant. Sed isti non considerant, eandem quasi personam esse Dei & Magistratûs, easdem leges, eoque eandem obedientiam, quæ utrique præstatur. Immò non considerant astum Satanæ,

qui ut in peccatum incautos inducat, leve esse persuadet Magistratus ceu homines, magnis sæpè nævis laborantes, despicere; qui & falli possint, eorumque judicia eludi: Ita verò sibi tales aditum faciunt ad Deum ipsum contemnendum, ejusq; mandata temerè violanda: Quisquis enim puer præceptores contemnere assuevit, brevi & parentes ipsos vilipendet.

DE SECUNDO.

Confirmatio duplex: *Prior*, à *noxâ inobedientiæ*: pœnâ sc. *Altera*, ab *utilitate obedientiæ*, &c.

I.

De priore agitur v. 3. b. & 4. *Quia (Rex) quicquid vult facit; secundum verbum Regis est potestas; & quis dicet ei, quid facis?* Sensus est; Vindictam ac pœnam Magistratus incurrere, qui ipsorum mandatis non parent.

Verba hæc loquuntur, *a.* vel de ordinariâ Regum & Magistratûs potestate: *b.* vel de tyrannide, & ejusdem abusu.

a. *Priore* modo si capias, sensus erit: Magistratum à Deo ipso gladio & potestate armatum & instructum esse, ut sontes pro merito & delicti gravitate punire possit, etiamque debeat: Metuendum igitur & cavendum ab ejus offensâ: ut Rom. 13. 4. exsertè dicitur: Nec verò subditis integrum esse expostulare aut obsistere Magistratui plectenti, & dicere, *Quid facis?* quia sc. divinum hoc sit ejus jus, eoque voluntatem ejus, Lege sc. Dei temperatam, pro ratione esse.

DOCTRINA I.

His ergò primò *Status & potestas Magistratûs* confirmatur, utpote subnixa jure & institutione divinâ.

DOCTRINA II.

Ejus *Officium*, quod in plectendis malis, prævaricatoribus ac facinorosis exercere debent, indigetatur. *Quòd si malè feceris metue, non enim frustra gerit gladium, nam Dei minister est, vindex ad iram ei, qui quod malum est, fecerit*, Rom. 13. 4. Secus civitas nulla stare potest; Erit homo homini

mini lupus: & magna regna degenerabunt in magna latrocinia. *August.* l.4.de Civ.Dei.Causam hanc Deus ipse allegat, Deut.13.17. Ideoque & publicè solent pœnæ infligi, ut spectatores metuant,& sibi caveant. Prægnantior adhuc videtur esse causa,cur Magistratus in flagitiosos severè animadvertere debeat,ut *sic malum è medio populi auferatur*,ut Deus ipse loquitur,ne sc. ob unius crimen integer plectatur populus. Conf. Jos.7.

Cæterùm verba hæc, *Quicquid vult,facit*; non eò trahenda sunt,quasi in Magistratûs arbitrio positum esset,sontes punire vel non; aut cum personarum respectu pro lubitu in pœnis irrogandis dispensare: Non enim ab hâc voluntate Deus excluditur, sed reus duntaxat; ut sensus sit,non ad arbitrium rei agere Magistratum,sed suum ipsius; eoque invitum reum & coactum trahi ad pœnas & supplicium. Dei enim respectu, non libero pollet arbitrio Magistratus, sed tenetur ex officio plectere flagitiosos,secus ipse plectendus est à summo judice Deo. Deus enim eôdem gradu habet Magistratus, quo ipsi suos subdelegatos Judices,ac etiam Carnifices: horum enim si quis facinorosum evadere sineret suâ incuriâ, aut in supplicio inferendo erraret, mox ad pœnam raperetur: Ita certè Deus cum Magistratibus acturus est,qui juxta ipsius Legem non in sontes animadvertunt. Quemadmodum privatis à Christo interdicitur Luc.6. *Ne judicate, ne judicemini*: sic vice versâ eâdem retentâ Talionis lege Magistratibus præcipitur, Judicate, ne judicemini. *Quâ mensurâ, &c.* Hinc apud Jerem.c.48.30. *Maledictus qui facit opus fraudè, & maledictus qui cohibet gladium suum à sanguine.*

DOCTRINA III.

Subditorum est pœnas promeritas patienter & æquo animo ferre, non oggannire,non obsistere,non maledicere Judici, multoque minùs cum eo expostulare,aut vindictam spirare. Text. *Quis dicet ei, quid facis?* q.d. nefas hoc dicere. Ex.in Latrone converso. *Josepho*, Genes.39. v.20.secus multi,&c.quanquam in cassum,quia in verbo Regis potestas.

b. *Posteriore* modo si de tyrannide verba hæc capiantur, fortius stringit ratio allegatâ; Constat enim tyrannos in pœnis infligendis modum excedere,tantò igitur amplius metuendi,& ab inobedientiâ ac offensâ ipsorum sedulò cavendum. Videtur autem Salomon tyrannos

suis

glos, solum Christum esse Regem, qui ventis & mari imperet, cuique soli in obediant: insuper Vintoniæ templo Petro & Paulo dicato, Coronam regiam Christo imposuit, nec unquam suo posteà eam capite gessit. Polydor. Virg. libr. 7. histor. Angl. sub. fin.

3. Ἀνυθύνους, nulli sc. ad reddendas rationes obstricti adeoque absolutâ potestate præditos. Text. *Quid facis?* Insolentior hîc Papa Romanus, de quo traditur, si multa millia animarum in gehennam dejiceret, neminem tamen ausurum dicere, Papa quid facis? Item, Principem etiam injustè abdicatum, contra injustam sententiam ne hiscere quidem audere. Mitior *David*, qui *Nathanem*, 2. Sam. 2. *Gad*, 2. Sam. 24. immò *Joabum*, 2. Sam. 19. & 1. Chron. 21. tulit obloquentes.

Conject. Tyranni ergò, non in subditos modò iniquissimi sunt, sed in Deum ipsum, dum quæ Dei sunt solius, sibi attribuunt, horrendo sacrilegio: quo scelere omnes illi quoque Rerumpubl. Proceres comprehenduntur, qui præfractâ ac insolenti quâdam ambitione ac austeritate turgent, ut excussâ Numinis Divini reverentiâ, legumque repagulis violatis, cuncta ex libitu ac impetu, & per vim quasi peragunt; nec contradicentes ullo modo ferunt, sed persequuntur.

)(Soli ergò Deo competit esse exlegem: Solius voluntas ipsissima lex est, quia justissima, sanctissima, optima semper. Psalm. 119. 137. Psalm. 144. 13. Solus ille Omnipotens, de quo dici possit, Dictum, factum, Psalm. 115. 3. Job. 23. 13. Psalm. 33. 9. Solus ἀνυθύνος, à quo rationes factorum exposcere nefas, nulli obligatus aut subjectus, de cunctis rationem villicationis exacturus, Luc. 16. 2. à quo nulla est provocatio, quæ in ipso omnis terminatur. Sic *Job: Ecce, rapuerit, quis cogat eum restituere? quis dicat ei, quid facis?* c. 9. 12. *Nebucadnezar: Dominatur Excelsus in regno hominum, & cui vult dat illud.* Dan. 4. 32. Conf. Rom. 9. 20. Esai. 45. 9. 10.

Usus. Est ergò, ut Dei cumprimis pœnam ac judicium metuamus, si vel maximè contingat, Regum manus effugere, eorumque supplicia quocunque modo declinare. Huncque etiam Reges ipsi potentissimi Judicem & vindicem metuere debent. Sed de his jam plura.

HOMILIA III.

TEXTUS ℣.5,6,7.

Qui obſervat præceptum, non experitur rem malam: tempus enim ac rationem novit animus ſapientis. Nam cuique voluntati eſt tempus & ratio: ſed malum hominis multum incumbit ei, Quum non agnoſcit id quod futurum eſt; nam quomodo futurum ſit, quis indicet iſti?

II.

Utilitatem dein obedientiæ commendat, & aſtruit *Salomon*, ℣.5,6,7,8. Eſt ea, *Quod cuſtodiens præceptum, non experitur (cognoſcet) rem malam*, h.e. tutus & immunis ſit ab omni noxâ & pœnâ, quam alias metuere neceſſe haberet, non minus à Deo ipſo ceu ſupremo judice, quàm à Magiſtratu terreno: Eoque obedientiam legibus præſtitam unicum eſſe medium, quo pœnæ Dei & hominum averruncantur. In quem ſenſum monet Apoſtolus, *Vis non metuere poteſtatem, quod bonum eſt facito, & laudem ab ea obtinebis*. Rom. 13.3. Adeoque verba hæc non de Rege modò terreno, ſed & Rege Regum capienda; ſicut ante dictum. Quò ſpectant infinita Scripturæ dicta, quibus obedientia, juſtitia, & pietas eo nomine commendatur, quòd hominem ab omni malo cuſtodiant. Deut. 10.12,13. Pſal. 112.7. & 81.14. & 37.28. Prov. 11.3,5,6. Eſai. 3.10,11. & cap. 19.23.

Documento hujus rei ſunt: *tùm* quòd Deus in publicis pœnis pios eximit, & mirabiliter eos conſervat ac tuetur quandoque: *tùm* quòd imminentes jam ac juſtæ Dei pœnæ, maturâ reſipiſcentiâ à pœnitentibus averti poſſint.

Con-

Consectarium. Huic proin obedientiæ præcepto Dei & Regis præstandæ operam dare sapientem, innuit *Salomon*: Verè enim sapit, qui vitam suam sic componit, ut rem malam cognoscere non cogatur.

Explicat verò 1. Tùm *modum*, juxta quem sapiens obedientiam suam instituit ac moderatur.

2. Tùm *causas*, ad hoc ipsum impellentes.

1. *Modum* quod attinet, dicit, *Et tempus & modum (judicium) cognoscit cor sapientis. Judicij* vox pro prudentiâ, circumspectione, & agendi cum ratione & dexteritate, hîc accipitur.

Ergò sensus est, Sapientem nec negligere obedientiam, nec etiam turbato animo & inconsideratè eam præstare legibus; sed prudenter, magnâque circumspectione, & opportunum ac conveniens tempus, & modum ac rationem legitimam, attendere, ut recta & placens sit sua obedientia. Aut in sensu reciproco: Qui dicto modo obedientiam suam ad justum tempus & modum convenientem componat, verè sapere, seu pro sapiente habendum.

Illustrat hoc institutum sapientis generali gnomâ, *vs.6.a. Quia omni voluntati est tempus & ratio (judicium)* h.e. opportunitatem in cunctis actionibus spectandam esse, ut ea prudenter arreptâ res ex voto succedant, quæ alioquin, eâ neglectâ, adversum sortirentur exitum: tùm & rerum omnium dextrè agendarum modum esse certum, cujus adhibendi sapiens sit studiosissimus. De hoc dicto supra ad cap.3.Hom.1. sub finem diximus.

2. Sequuntur *causæ*, quibus sapiens ad studium obedientiæ & probitatis ducitur ac movetur: *Tres* sunt,

a. Quia pluribus malis subjectus.
b. Quia futuri est ignarus.
c. Quia mors inevitabilis.

a. Text. *Quia malum hominis multum incumbit ei (super eum.)* h.e. multis & magnis malis, infortunijs, calamitatibus homo subjectus est in hâc vitâ. Mundus malis & ærumnis oppletus, cui ceu mari homo innatat: necesse est igitur, ut pietati ac obedientiæ det operam, ne statum istum miserum exasperet, ac justas sibi pœnas, adeoque malorum cumulum in se congerat. Nihil igitur causæ est homini, cur ferociat, aut ju-

gum legis divinæ excutere nitatur, quem tot undique mala circumstant. Ut enim captivus, quem magna speculatorum turba circumstat, si obsistere volet, incassum faciet; quia mox omnium manus in se provocabit: Ita, qui petulanter peccat, lacessit omnia circumstantia se mala in sui vindictam, & perniciem.

Quicquid enim uspiam supra, infra, circum, intus te & extus cernis, in Dei est manu: præstò sunt illi cuncta jam velut armata ad supplicium de te sumendum; si Deus jusserit, tum peccatis tuis provocaveris. Nuspiam ac ne momentũ quidem tutus es à vindicatrice Dei manu, quæ infinita in te mala torquere possit: ut primo quem sorbes halitu morbum attrahere, primo quem facis gressu crus frangere, sedens domi ab ædium ruinâ opprimi, foris versans ab obviante quovis vel homine vel bestiâ lædi multipliciter possis: immò proprijs tuis affectibus abripi, & in sævum aliquod malum conijci, &c. veluti irâ, libidine, gulâ, avaritiâ, &c.

b. Text. vs. 7. *Quia nescit quid futurum sit: nam quando id erit, quis indicabit ei?*

Etsi nunc quidem nulla experitur mala, qui petulanter peccavit, non tamen extra omnem aleam se positum statuat, omnemque pœnam effugisse: *Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est*, ait rectè Seneca libro, Quare bon. viris mala acc. Metuendum itaque ne succedente tempore pœnas dudum promeritas demum luat. Nam quòd protinus emansuræ sint, nec in futurum obventuræ, certus esse non potest, siquidem homini non liceat futura scire, seu futuri temporis eventus prænosse. Quisquis ergo sapit, sibi à peccato cavebit, ne si maximè nunc benè habeat, imposterum tamen mala quæque experiri cogatur.

DOCTRINA.

Homini futura præscire nullo modo licet, quæ sc. futuram ejus hoc in mundo sortem, ac fortunam vel secundam vel adversam concernunt. Quod & hîc, & supr. cap. 2. 17. & cap. 7. 1. assertum.

Quæstio hîc incidit de *Prædictionibus Astrologicis*, quid de illis statuendum: Cùm enim alia divinationum genera vetita legantur in Scripturâ, videtur tamen huic in illâ, cùm etiam ipsâ naturâ aliquid juris esse, ut minùs adeò damnari illa videatur.

Resp. Distinctione opus; sunt enim Prædictiones Astrologicæ.

1. *Vel*

1. *Vel de ijs, quæ in cælo contingunt.*
2. *Vel de ijs quæ in aëre ac terrâ.*
3. *Vel de ijs, quæ circa homines; seu eventis humanis.*

1. Quod *primum* genus attiner, Prædictiones sc. de Conjunctionibus aut oppositionibus luminarium, Eclipsibus, Planetarum ortu, occasu, situ, aspectibus, periodis, & quæ similia sunt cœli phænomena & effecta, ex motu syderum ac luminarium proximè manantia, veluti 4. anni partium vicissitudines, accessus & recessus Solis, dierum & noctium incrementa & decrementa, &c: Harum rerum prædictiones sunt certissimæ; quia à constantissimo & invariabili syderum motu dependent, qui quidem Astronomis ex longâ experientiâ est notissimus: sic ut norint, quæ cujusque Planetæ periodus, quæ fixarum stellarum ab invicem distantia, positus ac ordo; ut in calculandis ac definiendis Planetarum aspectibus errare non possint.

Usus. Cujus quidem scientiæ usus permagnus ad agnoscendam infinitam Dei potentiam, sapientiam & providentiam; quam declaravit in condendis, disponendisque his cœli facibus miro ordine ac varietate: maximè verò conservando earum tàm constantem & æquabilem semper motum, ut ne minimum quidem variare deprehendatur. Psal. 8.4,5. Psal. 19.2. Psal. 147.4,5. Rom. 1.20.

2. *Secundum* Prædictionum genus valde lubricum est ac incertum: dum sc. ex astris prædicere conantur futuras cœli aërisque tempestates, frigus, calorem, pluvias, sudum, ventos, grandines, tonitrua, fulmina, &c. indeque de constitutionibus anni ejusque vel fertilitate, vel sterilitate, salubritate vel insalubritate vaticinari. Fundamentum enim cui innititur hæc Astromantia est dubium ac inexploratum. Licèt enim fateamur, Superiora agere in hæc inferiora, atque sydera suas habere influentias, quibus aërem, terram ac animantia afficiant: quod vel ex solius Solis ac Lunæ operationibus patet: quas tamen quælibet stella vel etiam aspectus habeat in agendo virtutes ac qualitates non liquet. Assignant quidem Astronomi huic peculiarem in calefaciendo, alij in frigefaciendo, alij in humectando, alij in ciendis ventis, aut pluvijs, aut siccitatibus, aut fulminibus, &c. virtutem: Sed enim quàm incertæ ac fallaces sint hactenus Astrologorum istæ hypotheses, ac distributæ velut ab ipsis in stellas & aspectus functiones & munia, contrarietas ac

disparitas eventuum plus satis ostendit; artemque proin nullo certo fundamento subnixam coarguit. Rem unico documento claram faciam. De *Sirio* tradunt ingentem æstum excitare: at constat quàm difformes sint dies caniculares, sæpeque diebus alijs longè frigidiores. Sed esto, æquales esse semper astrorum actiones & influxus: Id tamen divinationem ex astris facit incertissimam, quòd non uniusmodi semper & ubique locorum est aëris terræque constitutio; fieri itaque nequit, ut influxus ille æquabiliter omni tempore & loco recipiatur; sed variè impediatur, differatur, retundatur, immutetur, pro subjectorum patientium constitutione ac differentiâ. Accedit quòd ingens stellarum multitudo Astrologis non sit cognita. Jam cùm ex eorum supposito, stella stellæ operationes possit impedire, quum hæc impedimenta prævidere non possint, quomodo certi quid, de ullius constellationis effectu prædicere poterunt?

)(Erudimur è contrà in Scripturâ, Deum tempestates astris non affixisse, sed in liberâ suâ habere potestate, ut quo placet ipsi tempore rorem, pluvias, fœcunditatem largiatur: rursumque tonitruis, fulminibus, ventis, siccitatibus, alijsque funestis tempestatibus plectat. Levit. 26. 4. Psal. 147. 8. Amos 4. 7. Unde à Deo fœcundas pluvias ac tempestates exorare jubemur, Zach. 10. 1. Reg. 8. 35, 36.

Object. Videtur Christus ejusmodi Prædictiones de venturis tempestatibus adprobasse, Matth. 16. 2, 3. Neque enim Pharisæorum observationes rejicit, qui ex cœli rubore arguebant.

R. Non ex astris eorumque positu & influxu, sed ex aëris & nubium colore, prædicebant de tempestatibus Pharisæi: neque ut longo post tempore eventuris, sed ut jam instantibus, ac velut præsentibus: cujusmodi multa sunt in naturalibus rebus signa, quæ ex longâ observatione innotuerunt; è quibus de immittentibus pluvijs, aut secuturâ serenitate conjicere licet: quia signa illa fortasse ex ijsdem caussis manant, è quibus effectus ipsi quorum sunt signa, adeò ut cum ipsis effectis sint conjunctissima; sicque illos, saltem probabiliter, præsignificent. Nihil verò hoc ad Astrologorum prædictiones, qui ex astris, non velut è signis, sed velut e caussis tempestatum, prædicere conantur.

3. *Tertium* prædictionum genus circa homines ac res humanas versatur. Audent enim Astrologi genethliaci præsagire ex astris, de nominis

hominis cujusque ingenio, moribus, vitæ genere, fortunâ, infortunio, conjugio, tempore ac genere mortis, &c. itemque de Rerumpubl. mutationibus, Ecclesiæ fatis, &c.

A. *Vanitatem* hujus artis & incertitudinem, arguunt satis fundamenta quibus innituntur evanida.

a. Primò enim distinctio illa domorum cœlestium, earumque significata & proprietates, merum est commentum, de quorum numero ac constitutione nondum inter ipsos Astrologos convenit.

b. De Planetarum, atque eorundem mutuorum aspectuum efficacitate in Temperamentum, aut animum ac voluntatem hominis, quæ suâ naturâ ut spiritualis substantiæ, eoque ab agente corporeo affici non potest; sic & liberrima est, nec nisi à manu Jehovæ, quò vult ille, inclinari potest, Prov. 21. 1. nihil est, quod valere possit ad eam stabiliendam. Ac rectissimè D. Augustinus lib. 5. de C. D. cap. 6. *Non usque quaque absurdè dici potest, ad solas corporum differentias, afflatus quosdam valere sidereos, sicut in solaribus accessibus & decessibus videmus etiam ipsius anni tempora variari; & lunaribus incrementis ac decrementis augeri, ac minui quædam genera rerum: sicut echinos & conchas, & mirabiles æstus Oceani: Non autem & animi voluntates positionibus siderum subdi.*

——— *sapiens dominabitur astris.*

c. Sed nec Temporis illud momentum, quo homo vel concipitur vel nascitur, à quo tamen genethliaci prædictiones suas suspendunt, notum ipsis esse potest; propter incredibilem motuum astrorum celeritatem, propter quam fit, ut momento cœlum novam atque aliam faciem ac diversos astrorum positûs sortiatur: cùm tamen juxta illos, Thema cœli exactissimè, juxta minutissima minuta certi temporis cujusque, erigi debeat. Ut verè scripserit *Ludov. Vives*, in libr. 5. August. de C. D. cap. 3. *Si*, inquit, *tàm brevi temporis momento mutentur omnia, ut non diversa modò, sed adversa quoque fiant: quis unquam de nato puero poterit aliquid prædicere, cùm momentum illud, vel quo conceptus, vel quo natus est, nemini possit esse certum. Itaque etsi detur, multum in nos virium potestatisque habere sidera, tamen illud quicquid est, hominibus incomprehensibile esset: cùm momenta, in quibus astrorum positus necesse est collocare, certò deprehendi non possint, & siderum incitatissimus cursus tarditatem nostræ considerationis antevertat.*

d. Nec ulla subest ratio, Cur punctum illud quo vel concipitur vel

vel nascitur homo, in omnem hominis vitam, atque etiam mortem agere, atque illas disponere possit: Quæ enim ratio, quòd non cœlum semper ac omni tempore suo influxu hominis animum, vel externam ejus sortem ac conditionem moderetur? Cur alijs temporibus quiescit, solo nativitatis initio vim suam & quidem in tam longum duraturam, exerit?

c. Vanitatem artis experientia abunde stabilit; præsertim in gemellis, qui cum simul concipiantur ac nascantur, diversissimos tamen non modò habent mores, sed & in vitâ eventus: uti vel solius *Jacobi* & *Esavi* exemplis liquet. Sed nec doctissimi Babylonis Astrologi, *Nebucadnezaris* M. fatum suâ arte perspectum habuerunt. Confer Esai. 47.13,14.

B. Sed nec minor est *Impietas*, quę circa artem genethliacam committitur.

1. *Violatione divini præcepti*: Deus enim hanc artem & exerceri, aut adhiberi severè vetuit: *Ne inveniatur in te utens divinationibus, planetarius, aut conjector, aut præstigiator. Nam abominationi Jehovæ est faciens ista.* Deut. 18.10.12. *A signis cœlorum ne consternemini.* Jerem. 10.2. Stent jam Astrologi qui contemplantur stellas, &c. Esai. 47.13,14. *Rivetus* in cap. 20. Exod. ad implicita cum Satan. pacta refert Astromantes.

2. *Profanatione nominis divini*: Dum quæ Dei solius sunt, perperàm creaturis deferuntur, non sine magnâ gloriæ ejus deminutione. Esai. 42.8.

a. Disponere enim de hominis vitâ, moribus, statu, fortunâ, eventis, morte, &c. Dei est solius, nec ab astris ista dependet. Deus est, qui nascendi moriendique metas homini fixit. Deus conjugia disponit. Prov. 19.14. Ab ipso divitiæ, Prov. 10. honores. Psalm. 133. Ab ipso mala & bona, &c. Thren. 3.37. Ab ipso mutationes imperiorum. Dan. 2.21. & 4.32.

b. Scire & prædicere futura. Hoc enim & soli sibi Deus reservavit. Text. hic. Actor. 1.7. Jac. 4.14. Matth. 24.42. Marc. 13.

3. *Fiducia in Deum ponendæ abdicatione.* Qui enim siderali prædictione nituntur, oculos à Deo avertunt, nec ut decet, totos se Deo devovent; sed inani vel spe vel metu seipsos decipiunt; precesque negligunt, ad utiliora torpescunt, si bona sperant; ac vel in securitatem vel desperationem prolabuntur.

Non immeritò igitur divinatrix ista Mathematica in Concilijs damnata, ab Imperatoribus Christianis vetita, immò ab ipsis Ethnicis sanioribus explosa est.

Obj-

Objicitur locus Luc. 21.26. *Erunt signa in sole, lunâ, stellis,* &c.

R. Signa erunt non genethliaca, sed finis seculi: Non ordinaria ex motu & aspectibus planetarum petita, sed extraordinaria planeque miraculosa ac supernaturalia: Non in cœlo modò erunt, sed & in terrâ, mari, aëre, &c. Signa hæc cum suâ significatione omnibus erunt nota & perspecta, ex Christi prædictione hâc; at figuræ Genethliacæ non nisi artis Astrologicæ peritis sunt notæ. Nihil ergò præsidij habet Astrologia judiciaria in his verbis Christi, cùm & signa illa non tam prognostica futura sint, quàm cum ipsâ seu mundi interitu conjunctissima.

DOCTRINA.

Etsi non statim Deus pœnas suis impios subjiciat, non tamen existimare debent protinus se evasisse; quia quid futurum sit ignorant: Ut cuique rei, sic & divinis judicijs suum tempus: Differt autem quandoque Deus pœnas longanimitate usus, quam moram gravitate vindictæ compensat erga impœnitentes. Quod differtur non aufertur. Luc. 13.3. Rom. 2.4. 2. Petr. 3.9. Rom. 9.22.

Usus. Versandum igitur in timore perpetuo illis, qui scelerum conscij, nullas adhucdum pœnas luerunt; nec securitati indulgendum, quasi omninò evanuissent: quin potiùs maturâ ac seriâ pœnitentiâ allaborandum, ut mitigentur: quod consilium dedit *Daniel Nebuk.* cap. 4. 24. Orandum ex Psal. 38.2. &c. *Domine ne in furore tuo arguas me, ne in irâ tuâ corripias me.*

HOMILIA IV.

TEXTUS v. 8.

Nullus homo dominatur spiritui suo ut contineat spiritum suum; nullaq; est dominatio in die mortis, nullumq; missile in

isto prælio: denique non liberat conflictatio utentem ipsa.

c. Ext.℣.8.*Nullus homo dominatur spiritui suo,ut contineat spiritum suum; nullaque est dominatio in die mortis,nullumque missile in isto prælio: denique non liberat conflictatio utentem ipsa.*

Sicuti futuri temporis ignarus est homo,ita ut scire non possit,quales & quando sibi pœnæ luendæ sint, adeoque & mortis tempus incertissimum: Ita vicissim ineluctabile est fatum,certissima ac inevitabilis mors, quæ improbis est stipendium peccati; & quidem irresipiscentibus *æterna* futura: Hîc enim latet vis argumenti, q.d.utcunque omnes pœnas temporales effugerit, qui obedientiam negligit,mortem tamen non effugiet,& quæ mortem improborum consequuntur mala: Utpote quæ nullo modo cum ingruit,averti potest: nec quicquam ad eam effugiendam aut reprimendam, regia dignitas ac potestas,nec vis & apparatus bellicus,nec ulla alia,quæ improbi conquirere possent media,valent aut conferunt.

DOCTRINA.

Dicendum hîc nobis de *incertitudine horæ emortualis:* Deque *inevitabilitate mortis:* & quàm nihil tam sit excellens, aut validum, aut arte conquisitum in mundo,quod morti prævalere possit.

I. De incertitudine horæ emortualis.

Incertum ac ignotum esse homini tempus,quo moriendum sit cuique,è præced. deducere videtur *Salomon*: si enim futurorum ignarus est homo,tum maximè mortis suæ,de quâ jam verba facit. Clarissimè verò cap.seq.9.℣.12.*Ne glorieris de die crastino, quia nescis quid pariturus sit dies.* Prov.27.1. *Age nunc qui dicitis, hodiè vel cras proficiscemur in illam urbem, & agemus ibi annum unum,& mercabimur,& lucrabimur. Qui ignoratis quid futurum sit postero die,&c.* Jacob.4.13. Agnovit id *Isaacus, Ecce nunc senui, nescivi diem mortis meæ.* Genes.27.4. Idem Servator affirmare videtur, Marc.13.35.*Nescitis quando Dominus venturus sit.*

Expe-

Experientia testis locuples: Quot enim eorum, qui dum nihil minùs quàm de morte cogitant, ac manè surgunt incolumes, ilicet vel morbo aliquo obruuntur, vel casu tragico vitam claudunt?

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Seneca in Thyest. act. 3. scen. 3. Exempla infinita.

Certum est, quâ horâ Sol sit occasurus, non item de occiduâ vitæ horâ constat. Occidit enim vitæ sol alijs circa auroram infantiæ, alijs circa meridiem juventæ, alijs circa vesperam ætatis constantis, alijs circa crepusculum senectæ: Usque adeò, ut exætate hominis de ejus morte concludere non liceat: Mors senibus in januis, juvenibus in insidijs.

Causæ graves, ob quas Deus homini tempus & horam mortis occultam esse voluit.

1. Ut demonstraret se *mortis esse Dominum*, eandemque habere in suâ potestate. Proprium enim videtur esse hominis, quod nemo præter ipsum novit, v.g. thesaurus quidam absconditus: Quia ergò Deus solus tempus nostræ mortis perspectum habet, quod nos latet; patet, per eum stare quando moriamur, non penes ullam aliam creaturam, adeoque ne quidem nos ipsos. Ergò Deus *occidit & vivificat*. 1. Sam. 2. 6. Deut. 32. 39. Sinit homines mori, Psalm. 90. 3. Ac hinc migrare, Luc. 2. Habet *claves mortis*. Apoc. 1. 18.

2. Ut in omne tempus & singula momenta *parati simus*; profligatâ securitate ac improbitate. Quam consequentiam Servator ipse sæpiculè nectit; præsertim, Matth. 24. 42. &c. c. 25. 13. Ergò quia nullo momento à morte securi sumus, necesse est ut in singula momenta parati simus. *Augustin.* de discipl. Christianâ. *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. Serò parantur remedia, quum mortis imminent pericula.*

Si homini constaret de horâ mortis, prospiceret ad minimum, ut in eâ paratus esset, si maximè totâ vitâ nunquam de morte cogitasset: At quæque hora nobis pro ultimâ reputanda; quia ne nunc quidem novimus, an halitus iste quem nunc spiramus, ultimus esse possit.

Inter spem curamque, timores inter, & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Horat. 1. Epist.

Narrat Petrarcha libr. 3. Memorand. sub finem, de quodam Religioso. Quidam spectatæ sanctitatis vir, ac jam senio gravis, ad insequentis diei convivium invitatus; *Si quid*, ait, *nunc ex me vultis, præsto sum: Quid*

vero cras agendum sit, vos quibus vacas, considerate: Ego enim à multis annis cras ullum non habui.

Nemo facilè vellet, se tum cùm in actu peccandi est, per mortem abripi? Insanum igitur vivere in ullo statu, in quo quis non vellet mori, cùm incertum adeò sit, quando mori oporteat. Milites oportet semper armatos esse, & excubias agere, quia incertus hostis adventus: At ultimus & summus hostis noster mors: adversus quem nunquam non excubare debemus armaturâ spirituali induti. Ephes. 6. tantoque vigilantiores, quantò est illa incertior. Quod si putamus tempestivum esse, se adversus mortem parare, cùm illa est in accessu, nunquam non tempestivum erit, siquidem vita præsens continua sit mors.

Nec verò pœnitere vel pigere nos debet continuæ ejusmodi præparationis, si maximè diu mors emanserit: nemo enim facilè succensebit quòd non sit factus æger, licèt antè pridem multa adversus morbos pharmaca acquisiverit. Quantò enim diuturnior illa fuerit præparatio, tantò erit validior, ad impetus mortis superandos. Qui tempestivè civitatem vult ingredi, maturè se ad iter accingit, Ita &c. In illis rebus, quas non omni tempore perficere expedit, solicitè de tempore maximè opportuno cogitamus: Imparatis nunquam opportunum mori: Ut ergò semper opportunum sit, semper parandi sumus. Ephes. 5. 15, 16.

3. Quia multa afferret homini *damna*, si sciret tempus mortis suæ: Vel enim sciret se brevi, vel serò moriturum. Si brevi, continuo mœrore angeretur, remissus foret & negligens in peragendâ functione, nihilque facturus esset, quod posteritati conduceret, quum ipsi non amplius illo frui liceret, &c. Quod si serò: totus huic mundo mundanisque negotijs immergeretur, viveret securiùs, protraheret & differret tùm pœnitentiam, tùm alia negotia permulta, cum aliorum damno; quin & audax & ferox redderetur, ut qui sciret terminum vitæ suæ nondum adesse, quibuscunque demum se immisceret periculis: denique si adversis uteretur, mœrore succumberet, si sciret tantum adhuc sibi patiendi & miseriæ tempus restare. Si enim cùm latet hora mortis securi adeò degimus, quantò securiores essemus si nobis constaret de tantâ ejus prolongatione.

Usus. Itaque beneficij loco habendum, quòd nobis Deus horam mortis occultarit: nec optandum illi, ut eam scire posset: quod tamen ambiunt,

ambiunt, qui vaniſſima Magorum & genethliacorum prognoſtica conſectantur; à quibus plus noxæ quàm utilitatis manat. Cumque incertiſſima adeò ſit hora mortis, neceſſe eſt, ut vita tota noſtra in rectâ ad mortem præparatione conſumatur à nobis, cùm & vita noſtra nihil ſit aliud, quàm continuus ad mortem decurſus. Quò reſpiciens *Moſes* petijt à Deo, ut nos *docent numerare dies noſtros*. Pſal. 90. 12. *Plato* alijque, Philoſophiam ſeu vitam ſapientum meditationem mortis eſſe dixerunt.

Tuncque igitur rectè, benè, & ſapienter vixerimus, ſi mortis memores continuò nos ad eam ſanctâ vitâ, apparaverimus.

De Inevitabilitate Mortis.

Aptiſſimè poſt incertitudinem mortis aſſertam quoad ejus tempus, de ejus certitudine ſeu inevitabilitate diſſeritur. Si quis enim obijceret, Non adeò neceſſe eſſe, ut in ſingula momenta homo paratus ſit ad mortem, utut illa incerta ſit, cùm, ſi appropinquarit, fortaſſe differri aut prorogari, aut utcunque devitari poſſit ejus impetus. Reſpondet ergò *Salomon*, Nihil horum fieri poſſe; quin appetente definitâ à Deo mortis horâ, nullo artificio, poteſtate, fortitudine, largitione aut aſtu inhiberi illam poſſe, ſed inevitabiliter homini eſſe moriendum. Ponit igitur pro fundamento, *Cuilibet homini certum moriendi tempus fixum eſſe*; quod & ſupra aſſeruit cap. 3. (Vide Homil. II. in cap. 3. Eccleſ.)

Nunc ita fixum eſſe contendit, ut nullo modo ab homine mutari, ſuſpendi, inhiberi, declinari, aut evitari poſſit: quod Inductione modorum, quibus alia differri aut devitari ſolent, oſtendit.

Quæcunque enim dilatio vel mutatio rebus ab homine infertur, provenit illa, vel 1. à libera ejus voluntate, qui ſuſpendere actionem decrevit: 2. vel ab ejus imperio, qui aliter agere jubet, quæ ejus poteſtati ſubſunt: 3. vel ab illatâ vi: 4. vel ab aſtu, &c. Nullo ex iſtis mors ſuſtinet averti modo.

1. Non *primo*. Text. *Nullus homo dominatur, &c.* Vel *eſt, qui poteſtatem habet in ſpiritum, ut retineat ſpiritum*: Per *ſpiritum* intelligitur *ſpiritus vitalis*, ſeu anima hominis, quę quoad vivit homo in corpore continetur: Hæc verò quum è corpore migrat ac excedit, atq; ſic ab illo ſeparatur, mors eſt hominis. Jam ergò ait *Salomon*, In hominis arbi-

erio ac voluntate non ſtare, ſpiritui exceſſum è corpore, vel concedere vel negare; quin ſi maximè eam emigraturam comprimere, continere, ac prohibere ne emigret conaretur, fruſtra id futurum, ut quæ ſe ab homine retinerit aut includi non ſuſtineret; perinde ut verba aut affectus deglutire aut comprimere interdum poteſt homo, ne foràs erumpant. Alluſio videtur ad ventum, quæ eôdem nomine (רוח) Hebræis appellatur. Nempe ut ventus impetuoſus ab homine coërceri aut ſiſti non poteſt, ſic nec anima.

Usus. Inanis igitur & Medicorum opera, cum eò uſque deventum eſt, ut ſpiritus exire geſtiat: nam nec illi eundem retinere poterunt, utcunque multùm ſoliciti ac laborantes.

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger.

2. Non *ſecundo*. Text. *Neque eſt poteſtas in die mortis*: h.e. Poteſtas, qualis eſt Regum ac Principum, (qui ſubditis ſuis juſſa ferre poſſunt, ac quibus ipſi obſecundare tenentur,) nulla eſt in mortem: non pareret illa ſi maximè abire aut retrocedere jubeatur à Regibus: poteſtas ipſorum quantumlibet maxima, non eò uſque ſe extendit, ut imperare ei poſſint; quin potiùs ipſi morti ſe ſubijcere coguntur. Ipſa Monarcha eſt invincibilis.

DOCTRINA.

Mors ne quidem ſummis Regibus parcit.

Mors non ſervat legem, tollit cum paupere Regem.
Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumq; turres.

Non movetur ullâ Regum authoritate, dignitate, excelſitate, purpurâ, coronâ, ſceptro, &c. quæ à vulgaribus hominibus ſuſpiciuntur ac adorantur in tantum, ut nihil non in illorum gratiam ſibi agendum putent. Mors iſta omnia contemnit: nec modò ſibi imperari non ſuſtinet, ſed ne quidem exorari, ſi cernui id agerent Reges, ab illis poteſt.

Æqualitatem Juſtitiæ diſtributivæ obſervat: pariq; ratione ſummos ut imos habet ac tractat, etiam in circumſtantijs. Neque enim minore cum dolore ac mœrore hinc migrant Reges, quàm alij: Non majora illis vitæ ſpacia conceſſa: Nec ulla à morte aſyla magis ſunt illis, quàm alijs. *Ratio*: Quia non eſt diſcrimen; Peccarunt omnes; Ac ut ſtatu, ſic peccato

peccato Principes non rarò plebejos superant: Unde tragicâ sæpè morte decedunt.

Usus 1. Ad *consolationem* tenuiorum in morte: quum sc. considerant: Communem esse istam omnibus legem, mori; nec ab eâ quenquam exceptum. Solet enim aliàs disparitas judiciorum inter injurias referri, quibus concoctu nihil est difficilius. Jam ergò non est, ut ea propter quisquam ægro aut adverso animo mortem subeat, cùm nullus sit adeò penes ipsam personarum respectus.

Usus 2. Ad *humilitatem* Principum & Magnatum: Ut memores communis sortis, quam in morte nihilo meliorem habent, præ mendicabulis sordidissimis, discant cristas demittere, tenuiores non contemnere, modestiæ ac mansuetudini studere.

3. Non *tertio*: Text. *Non est missile*, vel *emissio in prælio*. Emissionem telorum (ex vi vocis Hebr.) intelligunt. Possunt autem verba hæc accipi vel *passivè*, ut sensus sit: Emissionem telorum ab hoste factam, non esse in hominis potestate, ad eam pro lubitu avertendam, quin occumbendum sit ipsi in prælio, si hora mortis affuerit: Vel *activè*, ut sensus sit: usum armorum utcunque strenuè & fortiter adhibitum, seu ad hostes lædendos, seu ad se ipsum defendendum, non valere ad hominem in prælio à morte custodiendum, cùm ipsa imminet. Summa, Virtus & fortitudo bellica quantacunque morti non obest, nulla arma vel tela eam lædunt, aut fugant, aut enervant. Et quid aliud experientia? Annon fortissimi Heroës cadunt? 2. Sam. 1. 19. Ecce Goliathum, Josiam, &c.

Usus. Milites ergò, fortitudini, viribus, armis, equis, curribus suis haud quaquam confidant. Quâ de re infra.

Frustra sunt, qui Magicis artibus se consolidant, ne vulnerentur: quasi verò in Satanæ potestate esset, tutum præstare hominem à morte, si hora ejus appetijt? Id enim si esset, nemo tandem horum occumberet prælio ullo, quod experientiæ refragatur. Licèt ergò à fusione sanguinis immunes præstet tales Satan, à morte tamen nequit.

Quid autem improbi isti lucrantur? Hoc, quòd tùm, quando ipsis cum morte dimicandum est, (qui certè agon maximus, tùm enim de cœlo & inferno decertatur, ac de æternâ hominis salute) adversarium simul habeant Satanam, à quo illi dum viverent, auxilium mutuabantur. Quidam è Patribus antiquis tradiderunt, Dæmonem moribundos impugnare,

gnare, frequenter in formâ visibili & formidabili: ac eò fecit, quod Sulpicius memorat de S. *Martino* in ejus vitâ, quòd is moriens vidensque Diabolum, dixerit: *Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies. Gregor.* Hom. 39. in Evang. tale quid de Christo ipso concludit, ex illo Joh. 14. 30. Quicquid horum: Dæmonem suis tentationibus moribundis vel maximè insidiari, indubium est. Quid igitur illis hominibus fiet, qui à duplici tam immani hoste impetuntur, morte & Satanâ? Ecce verò Satanæ præsidium: præservat à vulnere corporis, ut conscientiæ & animæ nocentius infligat: videri vult à morte temporali tueri, ut æternam inferat; assistit pugnantibus, agonizantes deserit ac perdit. Hosti se infensissimo curandos concredunt, qui opem ullam à Satanâ aut Magis anquirunt.

Manet ergò illud Propert. libr. 3.

Ille licet ferro cautus se condat & arce,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

4. Non *quarto.* Text. *Non liberat conflictatio,* Vel *Nec eripiet impietas possessorem suum.* Omninò, Nam impietas promovet potiùs ad mortem, eamque maturat, quàm ut inde eripiat. Cur ergò impietatem dicit? Quidam ut Lyra per eam intelligunt artes magicas, quibus impij conantur mortem amoliri & vitam prolongare; alij proterviam, audaciam; alij opes per impietatem corrasas, &c. alij astutiam & fraudes seu dolos, in quibus nectendis impij sunt versutissimi. Luc. 16.

Sensus igitur est: Ut violenter abigi mors nequit, sic nec arte aut astu, nec prece nec precio: nam & largitiones inter astus rectè numerantur, Prov. 10. 2. Psalm. 49. 7. Unde stoliditas avarorum perspicitur.

)(Rectè contrà dici potest, Pietatem à morte præservare, si non corporali, ast æternali. Apoc. 20. 6. Joh. 11. 26.

Gloria & Gratia Tibi DOMINE IESV.

HO-

HOMILIA V.

TEXTUS vſ. 9-13.

In totâ hâc re vidi, quum adhiberem animum meum ad omne opus quod fit ſub ſole; tempus interdum eſſe, quo dominatur homo in hominem malo ſuo. Nam ita dominatos animadverti improbos ſepeliri, poſtquam deceſſerunt, atque è loco ſancti abierunt, & oblivioni tradi in eâ civitate in quâ ſic fecerunt: etiam illud vanitatem eſſe. Quia nullum efficitur decretum, compenſatio iſtius mali citò; idcircò fervet animus hominum in ipſis, ut faciant malum. Quamvis peccatori facienti malum centies, etiam prorogaret Deus dies; quin etiam novi ego fore bonum timentibus Dei, qui timuerint à facie eius; Bonum autem non fore improbo, neque prorogaturum eſſe dies ſimiles umbræ, illi qui non timet à facie Dei ipſius.

DE TERTIO.

IN præcedentibus obedientiam suasit & commendavit variis argumentis *Salomon*, tùm Regibus ac Magistratui, tùm maximè Deo ipsi ceu summo Regi & Judici præstandam: quorum argumentorum summa est, quòd immorigeri & refractarij pœnas incursuri sint, à quibus contrà obsequiosi ac probi se præsturi sint immunes. Nunc Objectionem diluit ac confutat, quæ ejus Doctrinæ incommodare videtur. Est illa: Quòd injusti sæpè tyranni regnent, qui sontes dimittant impunes; è contrà probos & bonos nullo modo curent, defendant ac remunerentur: neque adeò videri, universale esse, quòd improbitas & inobedientia sit noxia tantoperè, ac vicissim obedientia utilis. Huic objectioni occurrit, asseverando, Quòd quæcunque rerum sit facies, certissimum tamen maneat, Pijs benè, Impijs malè futurum. Videamus ergò.

I. *Objectionem*, ℣. 9, 10, 11.

II. *Responsionem*, ℣. 12, 13.

PRIUS.

Objectionem quod attinet, Concedit veram esse *Salomon*, idque à propriâ suâ observatione & experientiâ confirmat, usus consuetâ sibi Transitione, inquiens: *Omne hoc vidi*, sc. quæ præcesserunt, & quæ jam dictus est; *Et dedi cor meum ad omne opus quod fit sub sole*: q. d. diligentissimè rerum omnium ac actionum humanarum cursum, statum, eventus, observavi, notavi, dijudicavi, &c. Quid illud?

Loquitur 1. *de Tyrannis, aut iniquis Principibus.*

2. *de eorum administratione.*

3. *de malo, quod inde consequitur.*

1. De *Tyrannis* ait, ℣. 9. *Vidi, &c. Tempus quo dominatur homo in hominem, in malum sibi.* h. e. Oriuntur nonnunquam tempora, quibus Deus injustos ac tyrannicos Reges ac Dominos, imperium in alios tenere finit, idque in subditorum malum; utpote à quibus isti crudeliter divexantur, affliguntur, opprimuntur.

Reges

Reges ac Magnates *in bonum* subditorum dominari debent, ac eorum omnimodam salutem procurare; hic enim regiminis ac dominij ipsius finis: nempe ut Patres sint, Pastores, Medici, &c. Quòd si cùm Patres esse deberent, Hostes potiùs agant, ac pro panibus ac ovis scorpiones porrigant: si leones sint & ursi, Prov. 28. 15. si, cùm curare ac pascere gregem deberent, eundem potiùs excorient, dissipent, mactent: si, cùm medicinam ac solatium ab ipsis subditi expectare deberent, ipsi potiùs ægrotis insidientur ac infectos calices veneno propinent: si pro pedo, virgâ, sceptro, nonnisi gladios ac equuleos monstrent: Hoc nimirum est Dominari *in malum* subditorum, seu interitum ac exitium populi ac Reipublicæ; Talesque Tyranni vetius, quàm Domini.

DOCTRINA.

Deus tyrannos quandoque regnis præficit. Cùm enim Deus solus Reges instituat & destituat, si tyranni rerum potiantur, non absque Dei permissu, immò directione, id factum esse putandum est. Quod dum facit Deus, in causâ sunt populi peccata, quæ per ejusmodi tyrannos vult punire. Job. 34. 30. Syr. 10. 8. Quam ob causam, sæpè sub finitimorum Regum potestatem dati sunt Israëlitæ; ut ex libris Judic. & Regum liquet.

Ac digni quidem sunt; ut, qui Magistratibus æquis obedire ultrò recusant, ac quæ justa & utilia sunt, facere abnuunt; ut à tyrannis vi cogantur, etiam ad injusta & damnosa servitia præstanda.

Appl. Caveamus nos, cùm adeò leve esse existimemus, legibus æquissimis & saluberrimis resistere, easque contemnere; ne Deus, quod facilè posset, nos in manus tyranni alicujus infidelis dedat.

Quidam verba ista, *In malum sibi*, reciprocè de principibus intelligunt, quòd dominio suo injusto malum sibi attrahant, h. e. justum Dei judicium, quod tragicâ sæpè morte luunt: uti *Pharaonis*, *Saulis*, *Sennacheribi*, *Antiochi*, *Herodis*, &c. fata testantur. Ac communiter tyrannis accidit, quod *Seneca Tragœdus* ait:

Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.
——Sine cade & sanguine pauci
Descendunt Reges, & sicca morte tyranni.

Ut verè ante cap. 5. 7. dixerit *Salomon.*

Usus. Sic ergò gubernent Reges ac Magistratus, ne *sibi in malum* seu

seu perniciem potestate suâ abutantur: Quod tum fiet, si in subditorum bonum & salutem publicam, immò gloriam Dei, gubernationem suam direxerint potiùs, quàm commodum privatum, ad ambitionem, avaritiam aliosque privatos affectus explendos. Psalm. 2. 10, 11.

2. De Tyrannorum porrò administratione loquitur v. 10. *Nam ita dominatos animadverti improbos sepeliri, postquàm decesserunt, atque è loco sancto abierunt, & oblivioni tradi in eâ civitate in quâ sic fecerunt: etiam illud vanitatem esse.* Summa est; Iniquissimam esse illam, quia impij nullâ pœnâ, pij & probi nullis meritis afficiantur.

Versus iste varias subit interpretationes: Quidam enim ad ipsos *Reges* & Tyrannos eum referunt: Alij ad *subditos*. Priores illi rursum variant: Alij enim priorem partem versûs, de impijs, posteriorem de pijs Regibus intelligunt: Alij totum versum de impijs accipiunt. Qui versum dividunt, sic eum reddunt: Vidi impios sc. Reges, sepultos sc. honorificè & cum pompâ, & redierunt, h.e. revixerunt quasi in suis posteris ac successoribus nihilò ipsis melioribus: Pij contrà, qui de loco sancto (vel sancti) h.e. de urbe sanctâ Jerusalem, aut templo sacris destinato, aut etiam solio regio, (Is enim etiam locus Sancti h.e. Dei dici potest,) ambulaverunt, seu vivis decesserunt, munere suo probè defuncti, oblivioni traditi sunt, &c. h.e. ipsorum memoria protinus obliterata est. Qui verò versum totum de impijs Principibus accipiunt, verbum Hebræum aliter legunt, nempe, & Laudati sunt, &c. ut sensus sit: Non modò pomposis exequijs sepultos, sed insuper laudatos & celebratos fuisse, quasi rectum fecissent, probique ac religiosi fuissent, plebe, quem ementito sanctitatis ac justitiæ zelo deceperant, ita sinistrum de ipsis judicium ferente. Atque sic quidem commodè expositio utraque de Tyrannis obtinere potest, si illud præced. versûs, *In malum sibi*, non de Regibus sed subditis oppressis capiatur: sic enim valebit Objectio, Non omnia vitia ac scelera puniri, quia impuniti hinc decedant Tyranni, immò pœnæ loco post mortem insuper laudari, &c. Atque hoc esse vanitatem, &c. sc. malos Principes laudari, bonos oblivioni tradi: cùm potiùs contrarium fieri deberet. Præstat verò versum hunc de subditis accipere, ut sit exegesis præcedentis, in quo de malâ Tyrannorum gubernatione: nec enim de gubernationibus propriè, sed promiscuè de quibusvis seu impijs seu pijs loquitur, Sensus igitur erit:) *Et tunc*, sc. improbis Regibus aut

aut Magistratibus obtinentibus, *vidi impios sepultos*, h.e. ita vitam transisse, ut ob comissa flagitia nunquam fuerint multati, sed impunes evaserint: *& redierunt*, sc. unde venerant, nempe in terram, omnium matrem; de quo reditu, infr. cap. 12. 7. & Psal. 90. Contrà verò *qui de loco sancto, vel sancti*, Dei sc. *ambulaverunt*, &c. Descriptio piorum est, quibus volupe est, locum Dei sanctum, ubi cultus ejus peragitur, frequentare: *oblivioni traditi sunt, in eâ urbe, in quâ sic fecerunt*; h.e. perijt eorum memoria, quum non solùm dum viverent ob probitatem, virtutes & benè merita laudandi ac præmijs afficiendi fuissent, sed maximè post mortem recolenda & celebranda fuisset eorum memoria.

Etiam hoc Vanitas est, h.e. non minima pars vanitatis ac miseriæ præsentis ævi, quòd in contrarium cuncta vertantur: Decuisset enim improbos plecti à Judicibus, probos laudari & beneficijs pro merito affici: Ita mali à vitijs abducerentur, pij ad bonum incitarentur; sed contraria eveniunt, ubi injusti regnant Principes.

DOCTRINA.

Corrupti statûs indicium est, quum sontes non pro merito à Magistratu plectuntur, sed impunes abeunt: ac contrà probi ac Reipubl. utiles non pro merito compensantur.

Utrumque enim Magistratûs officium, Rom. 13. 3. 4. *Plato* in libris de Republ. passim docet, Reipubl. regimen *præmio & pœnâ* contineri, quæ si tollas & impunitatem concedas, omnes leges & jura violari, & Rempe. everti. Idem *Aristoteles* in 10. Ethic. cap. ult. Quin immò in improborum vindictâ, & proborum remuneratione, publica salus consistit, ac ceu tibicinibus continetur; sine quibus necesse est eam labi. Vide Hom. II. in hoc cap.

Usus. Adversus Principes ac Magistratûs,

a. *Intempestivè Clementes.*

Facinoribus ignoscere, crudelitas est potiùs, quàm pietas. Lactant.

Ratio,

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis. Seneca.

Sic enim ipsorum improbitas, ac nocendi probis libido, succenditur ac confirmatur.

b. *Respectores personarum.*

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

c. *Ingrati*, qui pro merito non compensant eos, qui Reipubl. sunt utiles; aut aliâs ob perspectam probitatem, ac virtutes provehi nere-tentur.

d. *Injusti, qui impios absolvunt, justos condemnant.* Prov. 17. 15. cujusmodi judicium illud *Pilati* fuit in *Jesum* & *Barrabam*.

Utcunque verò hujusmodi Vanitas conspiciatur in hoc mundo, ut impij impunes abeant, justi nullas sentiant suæ probitatis fructus: Erit tamen olim, quum utrumque sequetur: Est enim hæc inæqualitas indicium universalis judicij; ut pòst dicetur.

3. Audiamus quid mali ac incongrui sequatur ex istiusmodi iniquâ gubernatione, vs. 11. *Quia non fit sententia de opere malo citò, ideò totum in hoc est cor filiorum hominum, ut faciat malum.* Summa est, Ex impunitate improbos in malo confirmari, ut magis magisque deteriores, audacioresque ad patranda quævis flagitia evadant, laxis quasi habenis, frænisque disruptis. *Effrenatus furor, alitur impunitate diuturna.* Cicero pro Sextio. *Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem.* Idem pro milone.

Vindictæ hæc impiorum intermissio, maximè ob id hominibus vitio vertitur, qui Judices agunt in terris. Dei alia est ratio: Etsi enim & ob Dei conniventiam & longanimitatem, dum non citò semper pœnas sumit de operibus malis, impij nequiores evadant; tamen suo tempore certò in illos ni resipuerint, est animadversurus: quòd verò pœnam differt, impiorum fit bono, ut interea redeant, si velint, ad meliorem mentem, & pœnas Dei antevertant. Deus & modum & tempus infligendi pœnas in suo habet arbitrio: Judices terreni non item.

DOCTRINA.

Mora illa, quam Deus nectit, quò minùs citò, & quasi *ἐπ' αὐτοφώρῳ* impijs pœnas irroget, *facit eos præfractos, pertinaces*, in malo induratos, minarum & pœnarum contemptores.

Constat Deum non rarò judicia sua differre, sic in 120. annum usque à factâ comminatione dilatum est diluvij supplicium.

Prophetæ aliquot annis antè, captivitatem Babylonicam prædixere: Vnicus *Jeremias* per annos 23. id egit. Jerem. 23. 3. Christus excidium Hiero-

Hierosolim. extremum per Romanos inferendum, paulò ante mortem suam prænunciavit, quod tamen post 36. demum circiter annos secutum est. Sic differt Deus Babylonis occasum, judicium ultimum.

Hanc verò Dei moram in perversum sensum trahunt impij, & quasi prorsus evanuissent denunciatæ Dei minæ, aut quasi omnia temerè fierent, nullaq; esset providentia, ac Numinis vindicta, exinde concludunt: *Quia non fit sententia*, &c. Sic Plutarch. in libro de serâ Numinis vindictâ ait: *Eximpunitate scelerum derogatur fides providentiæ divinæ.* Confer Esai. 26. 10. Et sic argumentantur profani illi, 2. Petr. 3. 4. *Ubi est pollicitatio adventus ejus. Nam ex quo die patres obdormierunt, omnia ita permanent, ab initio creationis*, q.d. pridem veniisset illud judicium, si ullum unquam futurum esset. Confer Ezech. 12. 22 Amos 6. 3. Perversitatem istam Deus obijcit improbo: *Hæc fecisti & tacui; propterea existimasti quòd futurus sim ut tu*, Psalm. 50. 21. Atqui longè est alia cunctationis istius ratio.

1. *Petrus* testatur non moram esse, sed longanimitatem Dei, cujus quidem scopus sit; spacium resipiscentiæ peccatoribus concedere, ne quisquam pereat, sed pœnitentiâ actâ serventur quivis: adeoque nemo sibi resipiscentiæ propositæ præreptum tempus, immeritoque plexum aut damnatum conqueri possit. Atque huc trahendam istam Dei longanimitatem monet Apostolus, Rom. 2. 4. & 9. 22. Eò denique tendit parabola ficûs, Luc. 13. 6. &c. *Tertull.* l. de pœn. c. 7. *Absit*, inquit, *ut ita aliquis interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, & ex redundantiâ clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur. Quid enim indignius quàm ex divinâ misericordiâ desumere argumentum ad divinam justitiam provocandam. Et quia Deus libenter excipit pœnitentes, datâ operâ velle fieri peccatores?* Et *Ambros.* l. 2. de pœn. c. 9. *Propositâ* (inquit) *spe agendæ pœnitentiæ licentiam sibi delinquendi propagatam putant, cùm pœnitentia remedium peccati sit, non peccati incentivum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, non vulnus medicamento: quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus desideratur*, q.d. Demens esset, qui ad virtutem balsami probandam vulnus capiti suo infligeret, aut venenum hauriret, quòd antidotum sciret: Ita amens, qui ex divinæ misericordiæ & longanimitatis largitate induceretur ad peccandum.

Nec verò dubium est, quin matura seriaque resipiscentia judicia Dei ante-

anteverti possint. Id enim vel *Ninevitarum* exemplum abunde comprobat. Jon. 3. Item *Achabi*, 1. Reg. 21. 29. *Josiæ*, 2. Reg. 22. 19. Itemque Deus testatur ipse, Jerem. 18. 7, 8. Eodemque spectat illa Joh. similitudo: *Securis ad radicem, &c.* Matth. 3. 10.

Usus 1. Itaque redimendum tempus istud divinæ longanimitatis, Ephes. 5. 16. atque in diversum potiùs, quàm impij faciant, trahendum, vitæ sc. emendationem.

2. Colligamus hinc ad solatium nostrum, cùm tantùm indulgeat impijs, quid non pijs indulturus sit.

II. Certum est, quòd Deus istam, si quæ est, moram, gravitate judicij compenset. Nam interea dum ille judicia sua inhibet, impij culpam magis magisque aggravant, eoque graviorem pœnam sibi pro merito accersunt, *thesaurizant sibi iram in diem iræ.* Rom. 2. 5. Unde fit, ut cùm culmen nequitiæ & securitatis attigisse, mensuramque scelerum exundanter impleviſse Deo videntur, (Ex. *Cananæorum.* Genes. 15. 16. *Sodomitarum*, Genes. 18 20. *Judæorum*, Matth. 23. 32. *Romana Babylonis*, Apoc. 18. 5.) ac maturi esse pœnis (Apoc. 14. 15.) aquilæ instar impetu velocissimo (Malach. 3. 5. *Ego ero testis velox*, &c. Zach. 5. 1. *Volumen volans*, Conf. Syr. 5. 8, 9.) suis judicijs eos invadat & obruat, leonisque instar intensioribus supplicijs consumat.

Tantùm nim. abest, ut interea dum cunctatur Deus, oblivioni dederit, aut abrogarit prorsus denunciatas pœnas, ut illas potiùs indies accrescere censendum sit. Itaque ut ex diutino æstu, quem nullæ interea pluviæ refrigerarunt, præsumitur, horrendam tandem tempestatem secuturam: Ita &c.

Stultus est qui non vult credere pauca, quæ restant, cùm videat tam multa impleta esse, quæ tunc non erant, quando prædicabantur. *August.* in Psal. 62.

POSTERIUS.

Sed audiamus ipsum *Salomonem*, respondentem ad superiorem Objectionem, de plurimorum impiorum impunitate. ℣. 12. 13.

℣. 12. *Quamvis peccans faciat malum centies* (infinities sine resipiscentiâ aut emendatione,) *& prorogetur ei, seu differatur* (sc. vel pœna vel vita; differtur enim impijs pœna, dum prolongat ipsis Deus vitam, ac non mox illos per mortem abripit) *scio nihilominus, quòd erit bonum timen-*

timentibus Deum, qui timuerint à facie ejus. q.d. Quæcunque sit rerum hoc in orbe dispositio, nec pro meritis puniantur improbi, sed prosperis sæpè utantur successibus; hoc tamen pios non segnes in bono, ac pietatis cursu facere debet, quasi nullum pietatis ac bonorum operum fructum expectandum haberent, sed periisset omnis retributionis spes; quia certò certius suo tempore benè erit Timentibus Dei: Contrà v. 13. *Et bonum non erit impio, neque prolongabit dies, tanquam umbra erit, quia non timet à facie Dei. Impij* licèt non mox luant pœnas, non tamen semper impunè abibunt, sed suo tempore judicabuntur & damnabuntur à Deo.

Prolongatio dierum, synecdochicè omnem Dei benedictionem & retributionem significat, inter quas maxima est & extrema, Vita æterna, quæ verè dierum est prolongatio, verè vita, utpote nunquam finienda, nullo mortis periculo aut metu mixta: sicuti urpatur in promissione Præcepto 5. annexa. Utcunque ergò non in hâc vitâ bonorum & malorum retributio fiat ac sequatur, suo tamen tempore, altero videlicet seculo examussim sequetur; atque tum metet, prout severit.

Multa hîc occurrunt observanda.

1. *Piorum* & impiorum seu peccatorum, Descriptio: Illi dicuntur Timentes Deum, ac qui timent à facie ejus: Isti qui non timent à facie Dei; h. e. qui non agnoscunt Deum esse humanarum actionum spectatorem & arbitrum, eoque non verentur malè agere; cùm contrà pij abstineant à malè agendo, quia statuunt Deum se tueri, quem verentur. (Confer Homil. N. in Eccles. 12. v. 13.

2. Etsi bonorum & malorum retributio differatur à Deo, certissimam tamen esse ac inviolatam; quâ bonis bona, mala malis adjudicabuntur, & retribuentur. 2. Thess. 1.

3. Retributionem illam tum hujus, tum futuræ esse vitæ: 1. Tim. 4. 8. Hujus quidem; quòd pijs vita longæva, cum omni bono, tum corporali tum spirituali obtinget: Impijs verò contrarium sit obventurum.

Quo sensu impijs decurtatio dierum, pijs verò prolongatio tribuatur, cùm sæpè contrarium eveniat; Vide ad cap. 7.

4. Præcipuam retributionem esse seculi futuri; atque eò differre & reijcere eam Deum: Unde certissimum futuri extremi ac universalis judicij, futuræque tum vitæ tum damnationis æternæ, indicium est, quòd hujusmodi retributio hoc in seculo nec pijs nec impijs contingat.

Usus. a. Nemo igitur impiorum in hoc ævo impunitate, aut felicitate offendatur. Lubrica illa ac momentanea: Certò certiùs enim non manebunt impunes. Psalm. 37. 35. &c.

b. Nemo pietatem inutilem esse autumet: Certò certiùs enim eam Deus ex gratiâ compensabit. Esai. 3. 10.

c. Non in hoc ævum, sed futurum oculi conijciendi; quo quæ omissa aut neglecta hîc fuerunt, eventum & effectum suum sortientur. Luc. 16.

d. Deus igitur sincerè timendus, cavendum à peccatis, quibus Numinis timor ac reverentia excutitur.

HOMILIA VI.

TEXTUS ꝟ. 14. ad fin. cap.

Est vanitas quæ fit super terram; quòd sunt iusti quibus obtingit secundùm opus improborum, & sunt improbi quibus obtingit secundùm opus iustorum: dixeram hoc quoque esse vanitatem. Quapropter laudaveram ego lætitiam, nullum esse bonum homini sub sole, nisi ut comedat ac bibat & lætetur: hoc enim adiacere ipsi ex labore suo diebus vitæ suæ, quos dat ei Deus sub sole. Quum autem adhiberem animum meum ad cognoscendum sapientiam, & ad perspiciendum ipsum negotium quod fit super terram,

terram; si etiam interdiu & noctu somnum oculis suis quispiam non percipiat: Animadverti totum opus Dei; non posse hominem assequi illud opus quod fit sub sole, quamvis laboriosè homo quærat, non tamen assequuturum esse: quin etiam si cogitet sapientissimus cognoscere, non tamen posse assequi.

PARS CAP. TERTIA.

His ita expositis, quæ sc. dixerat de impiorum hoc in seculo licentiâ & immunitate à pœnis, tum quòd pij probique parum curentur, eorumque post fata pereat etiam memoria, vers. cumprimis 10. in quibus quidem maxima penè hujus seculi vanitas ac miseria consistit: redit *Salomon* ad Axioma illud suum, de vitâ præsente commodissimè instituendâ. Cui

I. *Præmittit Conclusionem quandam è præcedentibus collectam.*

II. *Subiungit Axioma, seu doctrinã ipsam.*

III. *Denique eandem confirmando, à nimio ac præpostero sapientiæ studio dehortatur, quâ violari possit, data eius præcedens Doctrina ac Consilium.*

PRIMUM.

Vſ.14. Eſt vanitas quæ fit ſuper terram: Quia ſunt juſti, quibus uſu venit, ac ſi feciſſent opus impiorum; & ſunt impij, quibus uſu venit, ac ſi haberent opus juſtorum: Dixi quòd etiam hoc vanitas.

Amplius quid hîc de impiorum in hoc ſeculo ſtatu ſe obſervâſſe aſſerit Sapiens; Nempe quòd non modò pro merito non puniantur; ſed quòd inſuper magnâ utantur proſperitate; haud aliter ac ſi id bonis operibus ſuis eſſent promeriti: eoque ſic habeantur, ac ſi eſſent valdè pij & juſti. Contrà juſti ac ſancti adverſitatibus & ærumnis perpetim premantur; perinde ac ſi totos ſe ad omnem impietatē proijcerent, ac nequiſſimi eſſent.

Summa. Pijs malè, impijs benè in hâc vitâ. Atque hoc *Vanitatem* eſſe dicit: non quidem Dei reſpectu, qui cuncta ſapientiſſimè diſpenſat & gubernat, cunctisque hominibus tam pijs quàm impijs, ſeu proſpera ſeu adverſa admetitur: ſed reſpectu opinionis ac judicij hominum; qui inter vanitates ac miſerias hujus vitæ non perperam computant iſtam rerum permutationem; atque inde nihil ſtabile, fixum, certumque in hâc vitâ eſſe colligunt: Cùm enim æquitatis eſſet, ut bonis benè, malis malè cederet, contrarium tamen uſu venire communis teſtatur experientia. De hâc Vanitate etiam ſuprà cap.7.15. dixit. (Vide Hom.13.in cap.7.Eccleſ.)

SECUNDUM.

Huic conſiderationi nunc opponit Regulam ſeu Axioma ſuum, quod paſſim in hoc libro inculcat, de vitâ præſente inter tot vanitates optimè inſtituendâ. Cujus nexus hîc eſt: Ut homo ob diſparem iſtum, & humano judicio incongruum bonorum & malorum hoc in ævo ſtatum, minùs perplexus hæreat, ac vel impijs ſuam proſperitatem invideat, aut piorum nomine ſupra modum triſtetur; ſed negotium iſtud omne Deo committat, utpote cujus nutu & providentiâ ſapientiſſimè cuncta regantur; quive ſuo tempore ſuum cuique ſit retributurus. Ipſe verò inutili mentis curioſitate, & ſuperfluis moleſtijs, in inquirendis aut aſſequendis divinis judicijs, & arcanâ rerum providentiâ ſibi temperet; atque ſeipſum, quantum poſſit, ab omni, aliarum quoque rerum vaniſſimarum

curâ

curâ & solicitudine, quibus mundani seipsos torquent & distrahuntur, liberum ac solutum præstet; vitamque jucundè potiùs & suaviter transigat; præsente, si quam Deus indulsit, prosperitate utendo & fruendo; cum gratitudine, & sincero timore Dei, in quo solo sibi acquiescendum esse statuat. (Vide Hom. 12. in cap. 2. suprà.)

Distinguendum inter voluptatem: Vel enim immodica est & impia; vel conjuncta cum mediocritate & timore Dei.

TERTIUM.

Confirmationem subijcit propositæ Doctrinæ; sc. non temerè se aut inconsultò eam tradere, sed eam per vestigasse, & reperisse, cùm totum se dedisset sapientiæ studio. Dicit ergò, *Quum autem adhiberem*, &c. Vel *Posteaquam seu Quum dedi cor meum ad cognoscendam sapientiam, & ut viderem occupationem quæ fit super terram, quòd etiam die ac nocte somnum oculis suis non videt.*

Videtur esse antithesis, sapientiæ, & occupationis: hæc enim intelligitur de rebus vanis, dum alij congregandis opibus, alij honoribus assequendis, alij prædijs & ædificijs excolendis, alij vanis scientijs insudant, &c. quam occupationem suprà cap. 1. 13. *Malam* vocavit: Atque ita alibi sapientiam ac stultitiam opponit, cap. 7. 26. & cap. 2. 12. & certè maxima est stultitia, circa caduca hæc & vana indefatigabili curâ & molestia satagere; quanquam tantæa est apud plerosque mundicolas, ut ne somnum quidem unquam capiant, sc. tranquillum, quem non curæ disturbent & frangant. Sensus ergò est: Quum versarer in sapientiæ studio, dum sc. attendi admortalium res & negotia, & viderem quàm stolidè seipsos vanis occupationibus discruciarent; Illud simul deprehendi, quod dixi, præposteram adeò esse rerum permutationem hocin seculo, ut bonis malè, malis benè sit: nec cur ita fiat, rationem homini perspicuam esse, ut sequitur, &c. adeoque & eam occupationem esse inanem, dum quis occulta Dei scrutari, & ad perfectam sapientiam eniti conatur. ℣. 17. *Animadverti totum opus*, Vel *Et vidi de omni opere Dei, quod non possit homo invenire opus quod fit sub sole*, h. e. ut Vulgatus habet, operum divinorum rationem & causas, &c.

Opera Dei intelliguntur cumprimis *Providentiæ*, cujus rationem,

cur hoc vel illud, ita ac ita ſtatuat Deus, indagando aſſequi non valeat homo, quia hæc inter arcana & occulta Dei deliteſcant. Ben è *Hieron.* in h.l. Qui quærit cauſſas, rationesque rerum, quare hoc vel illud factum ſit, & quare mundus varijs gubernetur eventibus: cur alius cæcus, alius debilis, alius videns naſcatur & ſanus: hic paupertatem habeat, ille divitias; iſte ſit nobilis, ille inglorius; nihil aliud proficit, niſi in ſuâ tantùm quæſtione torqueri, & diſputationem pro tormento habere.

Sic ergò nec curiosè rimandum cenſet, cur pijs benè, impijs malè ſit in hâc vitâ, &c. Propterea que conſultius eſſe homini, ut horum curam quæ aſſequi & ſcire non poteſt, omittat, eâ ſe non torqueat, ſed hâc omiſsâ curâ jucundè vivat in Domino.

DOCTRINA I.

Providentiæ ac adminiſtrationis divinæ, ejusque adeò decretorum ac judiciorum cauſſæ ſunt imperveſtigabiles. (Hom. 9. in Eccleſ. 3.)

DOCTRINA II.

Sapientia omnis hujus mundi imperfecta.

Usus. Unde quiſquis jactat talem, vel ſeipſum decipit, vel ſtudio mentitur. (Hom. 17. in Eccleſ. 3. 7.)

Gloria & Gratia Tibi Domine
IESV.

HO-

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT IX.

HOMILIA I.

TEXTUS ℣s. 1.

Nam totum hoc condidi in animo meo, idq; declaraturus totum hoc; iustos & sapientes, factaq; eorum in manu Dei ipsius esse: tum re amata, tum exosa non uti homines, nullamq; esse expositam ipsis:

QUOD ad Philippenses suos Apostolus scripsit, cap. 3. 1. *Eadem scribere vobis me quidem haud piget, vobis autem tutum est.* Idem jure *Salomon* de suo Ecclesiaste profiteri potuisset: Eadem enim sæpiculè inculcat in hoc libello, ad eorundem tum majorem evidentiam tum confirmationem. Ac præced. quidem cap. de Dei Providentiâ ac regimine sermonem habuit, quod mirum est, quatenus bonis malè, malis benè cedit sæpissimè in hoc mundo; cujus rei rationem, si de singulis sit quæstio, carni

carni inscrutabilem esse asseruit *Salomon*, eoque posità inquirendi anxiose curâ, suaviter potiùs, vitam præsentem transigendam esse, quoad licet, & in Dei dispensatione, quæ semper justa, occulta licèt, acquiescendum.

I. *Huius nunc* τοῦτο ἐστι *Exegesin elegantissimam subnectit, primâ parte huius cap. IX.*

II. *Inde ad alias huius seculi vanitates, cum intermixtis sapientiæ præceptis, describendas descendit.*

PARS CAP. PRIMA.

De Providentiâ ergò Dei seqq. capp. ex *Salomonis* isthâc Exegesi, edisserenda:

1. *Quòd sit.*
2. *Qualis.*
3. *Quomodo impij perperam illam trahant ad peccati licentiam.*
4. *Quid è contrà facto opus: seu Quomodo ex consideratione divinæ Providentiæ vita hac sit instituenda.*

DE PRIMO.

Utitur *Salomon* consueto exordio, quo de suâ præfatur diligente & exactâ rerum omnium scrutetione & consideratione, ne temerè quid protulisse videatur, sed quæ meritò fidem mereantur: *Nam totum hoc condidi in animo meo*, &c. Vel *Sanè totum hoc posui in corde meo*, h. e. mente exquisitissimè perpendi ac disquisivi, quæ sc. tum antè dixeram de Dei gubernatione, tum jam dicturus sum: sequitur enim *Vt declararem (seu emendarem, elucidarem) totum hoc*, quod sc. antè obscurius proposui forsasse, q. d. pleniùs & lucidius illa nunc persequar. Quid illud? *Quòd justi*

justi & sapientes, & opera eorum sunt in manu Dei. In manu Dei esse, Providentiam Dei significat; Ea verò duplex, vel *universalis*, vel *particularis: Illa* sese super omnes homines æquè bonos ac malos extendit: *Hac* super bonos & justos tantùm. De utrâque verba ista possunt accipi, atque etiam ab interpretibus exponuntur.

I. Primò quidem de *universali*: Atque tum *In manu Dei esse*, significat, constitutum esse in Dei arbitrio & potestate ac imperio, ut Deus cum homine quocunque statuere possit ac soleat pro lubitu, ejusque opera disponere, h.e. omnium operum & actionum humanarum eventus moderari ac dirigere ad fines abs se præstitutos. Evidens est hæc significatio, ex Genes. cap. 16.6. c. 39.6. Job. 1.12. c. 2.6. 2. Reg. 18.35. Prov. 18.21. Ps. 31.16. 1. Reg. 30.12. *Manus* enim Dei est mens, voluntas, & potestas Dei. In mente est scientia & providentia: In voluntate libertas: In potestate imperium.

Itaque cùm hîc dicitur, *Quòd sapientes & justi, & opera eorum sunt in manu Dei*; addendum per antithesin, (quæ ex seq. ℣. evidens esse potest) etiam insipientes & injustos, & opera eorum, esse in manu Dei.

A. Ac *primò* quidem. Homines omnes, tam bonos quàm malos, secundùm *personas suas*, esse in manu Dei, atque sub ejus potestate; adeoque manum ac providentiam ejus ad utrosque sese extendere, ut utrosque pariter de cœlo respiciat ac observet, &c. evidens est ex seqq. Scripturæ dictis: *Novit Deus viam justorum, & via impiorum perdet.* Psal. 1.6. *Jehova è cœlis prospexit super filios hominum.* Psalm. 14.2. & 53.3. *E cœlis respicit Jehova, videt omnes filios hominum. E habitaculo sessionis suæ prospicit super omnes habitatores terræ: Qui formavit simul cor eorum, considerans omnia opera eorum.* Psalm. 33.13, 14. *Salomon* filius patri accinens, ait Prov. 5.21. *Coram oculis Jehovæ viæ cujusq;.* Confer Prov. 15.3. Sic Propheta Hanani ad Regem Juda Asam, 2. Chron. 16.9. *Jehovæ oculi discurrunt per totam terram, &c.*

Usus 1. Ne putemus Deum improbos omninò negligere, eorundemque nullam gerere curam; quasi non & ipsi essent æquè in manu Dei, h.e. sub ejus potestate ac providentiâ concluſi. Est quippe regnum Dei universale, in universum mundum sese extendens, omnesque creaturas, Psal. 95.3, 4, 5. eoque & omnes sine discrimine homines: Perinde ut Regum manus in fideles æquè ac contumaces subditos sese exten-

dere constat. Id quidem impij sibi non imaginantur, Psalm.14.1. sed turpiter se ipsos fallunt, dum providentiam Dei negant.

Usus 2. Nos monitum sequamur D. Petri, ut providentiæ hujus universalis Dei intuitu, faciamus bonum, ac absistamus à malo. 1. Petr. 3.10,11,12.

B. *Secundò, Opera, & justorum & injustorum* sunt in Dei manu: Ubi per *Opera* intelligas, Tùm 1. *actiones* & facta hominum: Tùm 2. *Eventus*, seu sortem ac conditionem illorum in hoc mundo. Secundùm utramque significationem, Opera tùm justorum tùm injustorum sunt in manu Dei.

1. Quod concernit *opera* seu *actiones*.

a. Ac primò quidem, quòd Opera *bona* justorum: sunt illa omninò in manu Dei, quia à manu Dei origenus manant: Manu enim Dei in electis agente, agunt illi quod bonum est; adeoque *in genere* Opera bona Sanctorum, Dei sunt in illis opus, & Spiritûs sancti effecta. 2. Cor. 3.5. Ephes. 2.10. Phil. 1.6. c. 2.13. Gal. 6.22. *Speciatim* de *fide*, Phil. 1.29. de *perseverantiâ*. 2. Cor. 1.21.

Quoties de Deo dicitur, quòd sit Deus pacis, charitatis, &c. Spiritus precum, &c. tum asseritur, virtutes illas esse Dei in hominibus effecta.

Usus. Ad *agnitionem nostræ* imbecillitatis, corruptionis, miseriæ.

Ad *agnoscendam Dei* erga nos gratiam, potentiam ac virtutem, eamque deprædicandam.

Ad *humilitatem*, & gloriationis omnis ademptionem; quasi ex nobis essent opera bona.

Ad *opinionem meriti præcidendam*. Nihil enim homo mereri potest eo, quod non ex proprijs ejus viribus & facultatibus proficiscitur: cùm de alieno mereri aliquid absurdum sit, præsertim apud eum cujus illud est proprium.

b. *Mala* verò impiorum opera, seu peccata, non minus sunt in manu Dei, h.e. ejus providentiæ & gubernationi subjecta.

Equidem mala culpæ seu peccata, à Dei manu non proveniunt, sicuti opera bona: Est enim Deus infinitè bonus Matth. 19.16. Omne bonum à Deo Jacob. 1.17. Deut. 32.4,5. Quicquid facit bonum, justum, &c. Psalm. 5.5,6.

Attamen eventum & permissionem peccati ab ejus providentiâ & guber-

gubernatione excludere nefas. Quia sic maxima rerum quæ in hoc orbe eveniunt pars, sine Dei regimine esset: siquidem plura mala quàm bona fiant; atque sic Deus maximâ regiminis sui parte destitueretur.

Quòd verò peccata Deus non otiosè modò permittat, sed & manu suâ & regimine certâ ratione assit, exemplis Scr. clarum est. Nunquid enim fratrum Josephi factum, crudelissimi instar fuit latrocinij? At rexit illud Deus, atque eidem defertur ab ipso Josepho. Genes. 45.8. *Spoliatio Jobi* per Chaldæos & Arabes, grande fuit utique delictum: At Jobus: *Deus abstulit*, Job. 1. *Crucifixio Christi*, nunquid horrendum facinus, cum quo plurima ingentia peccata diversorum concurrerunt? Attamen Deo illud transcribitur, Act. 2.23. immò Deus ipse percutiens introducitur, Esai. 53.4. Zach. 13.7. quin immò necessarium illud erat, si redimi humanum genus debuerat. Mitto alia.

Hîc tamen accuratè observandum: Manum Dei aliâ ratione bona, aliâ mala gubernare. Bona quidem sic, ut ea probet, mandet, ipsusque promoveat, ac efficiat: Contrà, mala odit, vetat, minimeque efficit, aut instillat. Neque enim quæ vel fratres Josephi, vel prædatores Jobi, vel hostes Christi perpetrarunt, Deo jubente facta sunt. Hinc enim *quæritur*: Quæ sit illa Dei circa mala ejusmodi hominum opera gubernatio, ob quam ipsi illa transcribantur, ut tamen sanctus ille & justus nihilominus sit ac maneat?

1. *Permittit illa Deus*, nec impedit illa cùm benè posset, ob justas & sanctas causas ipsi notas. Nec enim demum innotescunt illi cùm facta sunt, sed præscivit antè ab æterno, atque permittere decrevit. Non desunt illi vires ad illa impedienda, ac facillimum ei fuisset conatus fratrum Josephi, prædatorum Jobi, hostium Christi refigere & annihilare; sicuti Judæorum molimina sæpissimè impedivit, qui Christum ante destinatam passionis horam trucidare conabantur. Quòd ergò mala permittit, nec invitus facit nec coactus, sed liberrimâ voluntate, certoque consilio & decreto.

2. *Sustinet ille* & conservat Creaturas, tum quando peccant: Absque Dei enim sustentatione nemo peccatorum movere se aut respirare posset. Actor. 17.28. Attamen quòd vires naturales, quas Deus suggerit, ad mala patranda trâhunt, minimè est à Deo, sed culpa in ipsis hæret. Actio igitur naturalis, veluti motus membrorum à Deo: Vitiositas adhærens, quæ peccatum, non à Deo.

Duplici id *simili* declarat *Lutherus:* Unum petitum est ab equo claudicante, quem sessor benè regit quidem, ipse verò nihilominus claudicat: Hujus claudicationis culpa non in sessore est, sed in equo: Alterum à securi obtusâ; quam licèt faber rectè tractet, nihilominus operæ evadunt malæ: Ita licèt motus quem confert Deus, in se bonus sit, voluntas tamen & natura hominis mala, fit, ut malum quod facit, non Dei, sed hominis propriè sit opus; ejusque culpa non Deo, sed homini transcribenda.

3. *Moderatur Deus* mala opera, atque intra limites suos cohercet. Nisi enim Deus illa suis frænis coherceret; nullus esset peccatorum & injuriarum finis ac modus: quin immò Satan cum impiorum catervâ, cuncta in mundo sursum deorsumque raperent.

4. Peccatis à Satanâ & improbis hominibus patratis, utitur Deus sanctissimè, illaque *dirigit* ad bonum finem, quem illi non intendebant, ac ne quidem de eo cogitarunt: Nisi enim Deus nosset è malo bonum aliquod elicere, non permitteret unquam fieri. Ex. scopus fratrum Josephi, quem in ejus venditione intendebant, erat, ne unquam ad patrem rediret, & scelus ipsorum ei retegeret: At Dei scopus erat, ut per Josephum, omnes ipsi à fame & morte servarentur. Genes. 50. 20. Ita scopus hostium Christi alius erat, quàm Dei: Judas vindictam spirat; Sacerdotes authoritati suæ consulunt; Pilatus Judæorum favorem captat; Satan regni sui conservationem quærit, &c. At pravos horum omnium affectus & machinationes, Deus, quod ipsi ignorabant, ad optimum finem direxit, sc. humani generis Redemptionem. Sic de alijs.

Unde patet, quòd, licèt Deus per instrumenta & media peccaminosa, sæpè judicia sua exerceat; non tamen authorem esse peccati: Manet Deus justus & sanctus in cunctis suis operibus. Psalm. 11. 7. Satan ad malum incitat, quod Deus pro suâ bonitate & sapientiâ in bonum convertit.

Nec verò ideò impij excusati sunt, quòd bonum quid ex peccatis suis consequatur, aut quòd Dei quadantenus manus, h. e. providentia illa rexerit: Neque enim vel ad peccata ipsos incitavit aut adegit Deus; aut ipsi bonum illum finem spectabant; sed ut sponte & ultro mala fecerunt, sic etiam mala fuit ipsorum intentio.

HO-

HOMILIA II.

In eund. Textum.

2. QUòd si per *Opera* intelligas *Eventus*, seu *fortem*, statum & conditionem cujusque hominis, prout quisque vel prosperam habet, vel adversam, vel mediocrem, quis aliter statuat, quàm in manu Dei esse, qualiscunque demum illa sit? Wie es dem Menschen geht in dieser zeit/ wol oder übel/ oder mittelmässig/ steht alles in Gottes hand/ atque à Dei providentiâ, arbitrio, ac directione dependet. Dicta communia. 1. Chron. 29. 11, 12. *Tua ô Jehova, magnitudo & potentia & gloria & æternitas ac majestas, immò omnia in cœlo, & in terrâ: tuum Jehovæ regnum, ut qui extollis te supra omnia in caput. Nam divitiæ & gloria à facie tua sunt, & tu dominium habes in omnia, in manu tua vis & potentia: in manu, inquam tua magnificandi & confirmandi rem quamlibet.* Confer Thren. 3. 38.

Bona corporis. A Dei manu est, hunc esse validum, alterum ægrotum; robustum, debilem; pulcrum, deformem; sensibus valere, destitui. Prov. 20. 12. Exod. 4. 11. huic item vigorem corporis augeri, alteri minui ac decedere. Exemplo sit Rex *Ezechias*, quem lethalem in morbum conjecit Deus, idemque & restituit, & vitam prorogavit. Ut verè dixerit Hanna, 1. Sam. 2. 6. *Jehova morte afficit & in vitam restituit, demittit in sepulcrum & educit.*

Bona animi. A Dei manu est, hunc prudentiâ, sapientiâ, arte, ingenio, eloquentiâ, memoriâ, pollere; atque pulcris ornatum esse virtutibus: Alium verò stupidum esse, tardum & bardum, ineptum, indoctum, oblivioſum, amentem, insanum. Equidem ad scientiam & artes acquirendas, plurimum facit studium, industria & experientia hominis: Ut tamen quis industrius esse possit, ac suâ aliquid industriâ proficiat, à Dei est manu. Sunt enim qui omnem ætatem in linguâ aliquâ addiscendâ consumant, nec tamen exactè apprehendant, cùm econtrà Apostoli uno momento à Spiritu Dei assecuti sint, perfectam plurium linguarum noticiam. Cui ergo Deus dat animi bona, habet: cui negat, non acquiret quantumcunque demum laborem adhibeat.

Est ergò Deus, qui homini dat prudentiam & intellectum, qui ipsi placet. Eccles.2.26. Dan.2.21. Prov.3. Job.28. Ex. *Bezaleeli* & *Ahaliabo* Exod.35.30. *Salomoni*. 1.Reg.3.12. *Danieli* & socijs. Dan.1. *Nebukadnezar*, cui Deus rationem ademit, eidemque restituit. Dan.4. Ita solet aliàs quoque sapientes infatuare.

Bona fortunæ. A Dei manu est, hunc instructum esse βιωτικοῖς, aut *divitem* esse; alium *pauperem* & squalidum. Non est sapientibus panis, nec prudentibus divitiæ, infr.ψ.11. *Sed benedictio Jehovæ ditat*, Prov.10.22. Qui sine Deo divitias cumulare satagunt, sæpè pauperascunt: qui minus satagunt, ditescunt. Prov.11.24. Deus facit pauperem & divitem. 1.Sam. 2.7. Prov.22.2. Jobo divitias amplissimas Deus dedit, abstulit, reddidit. Confer 1.Chron.30.14.

A Dei manu est, hunc in sublimi locatum *dignitatis* aut *officij*: alium humi jacere *contemptum*. Psalm.113.5. Dan.4.29.c.5.21.

A Dei manu est, hunc conjugio optato frui, alium inominato. Prov. 19.14. Eccles.7.27. Verè, conjugia sunt fatalia.

A Dei manu est, hunc cum lætitiâ decorâ vitam transigere, alium continuo mœrore & dolore cruciari. Eccles.2.26.

Usus 1. Hæc igitur externa corporis, animi, fortunæque bona, ac etiam defectus, non cæcæ *Fortunæ* adscribenda sunt; quam gentiles Deam, ac cæcam quidem finxerunt, quæ illa fortuitò auff gerath wol in mortales effundat, ut ea accipiat, cui fortè accidunt: Wen es treffe / den treffe es. Figmentum hoc, Christianis indignum, quo Dei providentia, ac manus cuncta ex decreto æterno ac sapientissimo distribuens, negatur.

2. In istâ Dei gubernatione *acquiescamus*, nèc ullatenus eam taxemus: sic ut non invideamus illis, qui plura & meliora acceperunt quàm nos: nec despiciamus qui minora, sed nostro statu contentissimi simus: Illud statuentes, Nosse Deum, quæ suis sint utilia, quæ noxia. Philipp.4.11,12.

3. Ne *malis artibus* ac medijs, aut curis perplexis, satagamus ampliora vel corporis, vel animi, vel fortunæ bona acquirere: Frustra illud est: perinde ut nanus in cassum laborat, staturam suam extendere. Dei enim manu non dante, nihil assequemur, nisi fortasse contrarium ejus quod ambimus; pro formositate morbum, pro divitijs paupertatem, pro honoribus ignominiam, &c. Quòd si Deus aliquid nobis boni

boni dare decrevit, nulla id hominum improbitas, invidentia, aut malevolentia nobis præripiet; media ultrò se offerent, quibus illud nobis obtinget.

4. Hæc ergò externa & corporalia bona, *petenda* sunt à Deo, ast secundùm ejus voluntatem: alimonia, Prov.30.8. sapientia Jac. 1.5. valetudo, cum leprosis, alijsque, &c. conjugium fortunatum, cum Isaco, Genes.24.63.

5. Gratiæque Deo, utpote omnis boni perenni-Dædalo agamus, pro ijs, quæ ex ejus sc. manu accepimus bonis, quibus ad ipsius gloriam uti studeamus.

II. Quòd si phrasis ista, *In manu Dei esse*, de *speciali* Dei *providentiâ* capiatur, denotat DEI favorem, benevolentiam, protectionem, auxilium, custodiam, quâ pios & justos dignatur. *In manibus sculpsi te.* Esai.49.16. Conf. Jer.26.24. Esther 2.8. Hocque sensu dicitur, animas justorum *esse in manu Dei*, Sap.3.1. in quas manus & suum spiritum Christus moriens deposuit. Luc.23.46. Licèt enim tam super bonos quàm malos solem exoriri sinat Deus, &c. singulari tamen gratiâ fideles electos suos complectitur, ac peculiari ratione in suâ habet manu. Magnam liberi præ servis habent prærogativam. Joh.8.35.

Sensus ergò est: Quæcunque sit rerum facies, atque licèt promiscuè æqualiter pij & impij in hoc ævo se habeant; immò sæpiùs pijs malè, malis benè sit; hoc tamen (vult dicere *Salomon*) pro certo ac indubitato habeo, animoque meo firmiter infixi; *Quòd justi & sapientes sint in manu Dei, & opera eorum*, h.e. quòd nihilominus singulariter Deo sint curæ, & singulari amore & gratiâ eosdem complectatur.

Et hæc quidem interpretatio accommodatissima videtur, tum propter præcedentia, tum seqq. Continet enim limitationem eorum, quæ *Salomon* de æquali & piorum & impiorum hoc in seculo statu, aut etiam planè præposterо, differit; Nempe licèt occulta sit hujus rei ratio, soliqne Deo nota (ut cap.præced. vult. inquebat) hoc tamen certum esse, *pios & justos esse in Dei manu, ac etiam ipsorum opera*; h.e. à Deo amari ac foveri, nec operum suorum gratuitam mercedem perditam esse, licèt ipsis non in hoc seculo obtingat; sed depositi instar esse in manu Dei. Apoc.14.13. Matth.5.12.

USUS ad Consol. Hoc igitur, solatium esto Sanctorum. Amari & respici sea Deo, licèt omnia ipsis sint adversa; suoque tempore fructum

ctum percepturos suæ probitatis. Nec offendi ipsos debere impiorum felicitate, quia non perinde ipsi sint in manu Dei; sed utcunque lautè habeant, tamen Deo sint odiosi & execrabiles.

HOMILIA III.

In eund. Textum.

DE SECUNDO.

POstquàm Sapiens declarasset, Esse Dei providentiam secundùm quam justi pariter ac injusti sint in manu Dei, cumprimis verò ac singulari ratione justi. Nunc *Qualis sit illa*, edisserit, inquiens: *Tum re amatâ, &c.* Vel *Etiam amorem, etiam odium nescit homo, omnium quæ ante ipsos sunt*, (seu *Omnia sunt ante ipsos.*) Sensus, occultum esse ac inscrutabilem Dei providentiam & gubernationem; nec ab externo ejus regimine constare, qui dilecti Deo, qui exosi, ut qui æqualiter ab ipso hic tractentur. Quidam *amorem istum vel odium ad homines referunt*, ut sensus sit: Nescire hominem à quo ametur aut odio habeatur; adeoq; nescire quem ut amicum diligere, quem ut inimicum fugere aut aversari debeat; quia nemo alterius mentem perspicere possit; nec in futurum etiam aliquid sibi polliceri, ob inconstantiam voluntatis humanæ, quâ fit ut amor ex levi causâ vertatur in odium. Hæc utut vera sint, nullam tamen habent cum textu nexum & cohærentiam: Nisi quis dicere velit, amicitias & inimicitias esse in manu Dei, neque esse ab homine, nec illi de his certò vel in præsenti vel in futuro constare.

Quidam amorem & odium pro effectis amoris & odij, h.e. prosperis & adversis capiunt: q.d. Nescire hominem an bona vel mala sibi in futurum à Deo sint expectanda. Sed rectiùs *de amore vel odio Dei erga hominem* ista capiuntur; ut sensus sit: Nescire hominem, vel de se vel alio, an à Deo ametur, an odio habeatur: *Ratio*, Quia *Omnia ante eos*: quod quidam ita interpretantur; longè antecedunt oculos humanos, h.e. semota

mota sunt à conspectu & cognitione hominis, utpote recondita in præscientiâ & decreto Dei, quod ante conditum mundum ab æterno factum, eoque homini est inscrutabile: sic quidam. Sed rectiùs (meo judicio) *omnia sunt ante ipsos*, nempe promiscuè bona & mala; quæ omnibus obveniunt sine discrimine, sive boni sint sive mali; adeò ut ex externo hominis statu & conditione concludere non liceat, an in amore vel odio Dei consistat. Et hoc est, quod ℣. 2. fusius & expressius dicitur: *Omnia eveniunt consimiliter omnibus: eventus unus est justo & injusto; bono & mundo & immundo; sacrificanti quoque, & ei qui non sacrificat; sicut bonus, sic qui peccat; & is qui jurat, est sicut is qui juramentum timet.*

Sensus igitur huc redit: Cùm paritis sit & piorum & impiorum hoc in mundo conditio; ut & pijs tam bona quàm mala obveniant, & impijs similiter; hinc est, quòd ab externis istis eventis, prosperis vel adversis, judicare non liceat, de Dei erga ipsos vel amore vel odio. Id quidem constat, pios esse Deo dilectos, impios exosos: sed si quis ita colligeret, pios esse Deoque dilectos, qui prosperis utuntur; contrà impios & exosos, qui adversis, erraret: siquidem adversa æquè ac fermè plus pijs quàm impijs; itidemque prospera æquè ac fermè plus impijs quàm pijs in hoc ævo accidant. Et consequenter, nec, quis pro pio aut impio habendus sit, ex prosperis vel adversis æstimandum esse.

Unde sequitur, non omnem omninò notitiam de Dei erga se amore aut odio adimere homini velle *Salomonem*; sed eam modò, quæ incerto hoc nititur fundamento, dum ab externis eventis arguitur.

Nam alioquin norunt impij, propter sua scelera, dictante id ipsis conscientia, in odio se Dei versari: Ita similiter electi ac fideles, licèt & ipsi peccatores sint, norunt tamen per fidem in Christum, se esse in Dei gratiâ & amore, atque in eo æternùm perseveraturos.

QUÆSTIO.

Gravis multumque agitata hîc incidit Quæstio, *An fideles de suâ salute certi esse possint, ac debeant?*

Non quæritur hîc *de certitudine Objecti*, generatim & hypotheticè, An qui crediderit, certò servetur: sed *de certitudine Subjecti*; An fidelis quisque speciatim, de gratiâ Dei erga se & salute propriâ, certus esse possit, ac debeat?

Istam certitudinem gratiæ specialis negant *Papistæ* & *Remonstrantes*, nec nisi per probabilem conjecturam bene sperare posse de salute suâ etiam sanctissimos contendunt, certos esse non posse, sed eatenus perpetuò dubitandum. Nos verò docemus, Fideles per fidem suam, promissis Evangelij nixam, ac Spiritûs S. testimonio confirmatam, de gratiâ Dei & salute suâ omninò certos esse debere, sequentibus suffulti argumentis.

1. Desumitur à *naturâ fidei*. Est enim fides non simpliciter generalis assensus verbo Dei adhibitus; sed fiducia specialis, quâ credens promissa Evangelij sibi applicat, illisq; innititur, ut inde salutem consequatur. De hâc applicatione loquitur Joh. c. 1. 12. recipere est credere, at credere est applicare. Ex. in *Thomâ*, Deus mi, Joh. 20. 28. *Paulo*, Gal. 2. 20. Quæ applicatio facit ipsum certum ac indubium de gratiâ Dei erga se, & propriâ salute; dum quod in genere verû esse credit, in suâ personâ in actum transire confidit. Quò spectat definitio illa Fidei Apostolica. Hebr. 11. 1. Fides est ὑπόστασις, &c. quâ innuitur, fidei eam esse virtutem, ut objecta sua, quæ invisibilia & futura sunt, statuat fideli homini velut præsentia & visibilia; non quidem ejus oculis; sed menti, cordi, spei. At verò cur dubitet quis de illis, quæ coràm cernit: Christus enim veritatem resurrectionis suæ confirmaturus, præsentem se conspici voluit à fidelibus. Tale quid ergò, quum præstet fides, facit utique fidelem de rebus credendis certissimum.

Hinc Fidei tribuitur πεποίθησις, fiducia, Ephes. 3. 12. παῤῥησία, libera, aperta, & confidens professio. 2. Cor. 3. 12. 1. Tim. 3. 13. Hebr. 3. 6. cap. 4. 16. πληροφορία, persuasio, plena certitudo. 1. Thes. 1. 5. Hebr. 6. 11. cap. 10. 22. quibus formale fidei, ejusque proprietas essentialis, seu adjunctum proprium ac necessarium indigetatur: illisque alibi opponitur διάκρισις, dubitatio, seu hæsitantia, Matth. 21. 21. Jac. 1. 6.

Hinc argumentum Qui habet, plenam ac evidentissimam fiduciam ac persuasionem, de Dei erga se amore, gratiâ, adeoque remissione suorum peccatorum, & salute suâ: Is utique de his ipsis erit certissimus.

At qui fidem habet, habet etiam fiduciam, &c. absque his enim fides non est fides, nec homo fidelis dici potest: Ergò, &c.

2. Secundum desumitur *à Spiritûs S. testimonio*, de quo Apost. profitetur, quòd per eum signati simus in diem redemptionis, Ephes. 4. 30. eundemque esse arrhabonem & pignus nostræ hæreditatis, Ephes. 1. 14. Sic ergò concludere licet: Quodcunque Spiritus testatur nos posse

& de-

& debere credere, illud oportet nobis esse persuasissimum, seu de eo debemus esse certissimi: quia nimirum testimonium hoc Spiritûs infallibile, ut ex allegatis locis liquet. At Spiritus testatur, nos posse & debere credere nostram adoptionem, ac hæreditatem cœlestem. Rom. 8. 15. &c. Gal. 4. 6. Ergo possumus & debemus de illis esse certissimi.

De hoc eôdem Spiritus S. testimonio loquitur D. Johann. 1. Epist. c. 4. 13. *In hoc cognoscimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Et Paulus, 1. Cor. 2. 2. *Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ donata sunt nobis. Nobis* (inquit) particulatim, non vocatis in genere, &c.

Ex hoc testimonio, quod unusquisque fidelis in se habet & sentit, oritur *Pax* justificatis Rom. 5. 1. *Gaudium*, quod nemo tollat, Johan. 16. 22. *Gloriatio alla*, de quâ 2. Cor. 1. 12.

3. Tertium, *à Praxi & Exemplo Fidelium*. Veluti *Abrahami*, Rom. 4. 21. Psal. 23. 6. *Davidis, Bonum & misericordia prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ*, Ps. 31. 2. Non confundar in æternum. *Pauli*, 2. Tim. 1. 12. *Novi cui crediderim*, &c. Rom. 8. 38. Fidelium quorumcunque, 2. Cor. 5. 1. &c. 1. Joh. 3. 14. 16. Atqui fidelium praxis & exemplum in bonis, nostra est institutio.

4. *A precibus.* Quod precibus tenemur petere, illud credendum est ab uno quoque qui precatur, se pro se speciatim accepturum. Marc. 11. 24. 1. Joh. 5. 14, 15. At singuli tenentur petere remissionem peccatorum, & vitam æternam, ob specialem misericordiam Dei Patris in Christo promissam. Jussit enim Christus ipse talia nos flagitare oratione nobis præscriptâ. Accedunt Sacramenta, ut hujus fidei & certitudinis sigilla, quò minus dubitemus. Ergò possumus & debemus esse certi de nostra salute.

Pontificij, vanam hanc & ab omni pietate remotam fiduciam vocant. Concil. Trid. sess. 6. cap. 9. & Can. 12. anathematis damnant, qui hanc specialem fiduciam, fidem esse justificantem, dicunt. Nimirum metuunt isti homines suæ culinæ: Si enim obtineat ista *ex fide* salutis certitudo, concidunt statim ipsorum Invocationes, peregrinationes, missa, absolutiones, Monachorum merita, ac supererogationes, legis impletio, sacramentorum opus operatum, purgatorium, indulgentiæ, &c. & quicquid est de hoc genere Simoniæ. Ast si incerta est salus, ut ipsi dicunt, quorsum igitur ista omnia conferunt, si nihil certi de salute suâ cuipiam liceat sibi polliceri? Sic sibi ipsis contrariantur.

Argumentum præcipui momenti petunt ex Phil.2.12. *Cum timore operamini salutem*, &c. Coll.1.Petr.1.17. Si timendum est de salute, tum de ipsâ certis esse minimè nobis licet.

R. Concedimus certitudinem istam, non eam semper tenere perfectionem & gradum, qui omnem dubitationem & formidinem semper excludat. Est enim fiducia electorum aliquando vivida, aliquando languida, aliquando, ut in gravissimis tentationibus, penè nulla: Licet verò innatæ imbecillitatis respectu, aliquoties concutiatur, nunquam tamen illa penitus excutitur; sed semen semper manet, è quo, quum sese recolligunt, innovata succedit certitudo: nec convellitur adeò fundamentum, cui non mens ad se rediens, firmius superstruat.

Metus dein ille, de quo l.cit. non ingerit dubitationem aut hæsitationem de fine, sed solicitudinem duntaxat de medijs, per quæ ad finem pervenitur: h.e. non jubentur ambigere de salute, aut metuere ne illâ excidant; (hoc enim non esset operari salutem, sed destruere potiùs) sed de fide & vitâ soliciti esse, ne ingratitudine ac peccatis eam labefactent; sicque Deum ad iram provocent: unde subtrahatur ipsis non quidem brabeium salutis, (Deus enim peccata suis propter Christum remittit) sed consolatio, pax & gaudium cordis, pro tempore dum hîc peregrinantur.

Sed nec solicitudo illa de medijs eò fertur, quasi fidem omninò amittere possent electi: sed ne eam ejusque conservationem tribuant proprijs viribus, per inanem præfidentiam ac securitatem; sed gratiæ potiùs divinæ & auxilio Spiritûs S. eoque medijs à Deo præscriptis utantur solicitè ad eam tuendam, retinendam, augendam, firmandam.

Usus ad Consol. Doctrina hæc de certitudine salutis, anchora est & portus omnium tentationum, ac consolationis omnis basis, in *cruce, persecutionibus, tentationibus, morte.* Luc.12.32. *Ne metue parvegrex, libuit enim Patri vestro vobis tradere regnum.* Rom.8. Persuasum habeo, neque vitam neque mortem, &c.38.

HO-

HOMILIA IV.

TEXTUS v. 2.

His omnibus, quemadmodum reliquis omnibus evenire, eventum eundem esse iusto & improbo, bono sive mundo & immundo, tam sacrificanti quàm ei qui non sacrificat; ita bono sicut peccatori, iuranti quemadmodum iuramentum reverenti;

PROVIDENTIAM DEI, juxta quam præsentem mundum gubernat, occultam esse ac inscrutabilem, sic adstruxit *Salomon*, ut ostenderit, ex eâ colligi non posse, quis hominum Deo dilectus sit vel exosus, cùm pariter bonis ac malis, justis & injustis, ijdem sint eventus: immò bonis sæpiculè malè, malis benè sit in hoc seculo.

Et certè, quis non miraretur Regis alicujus aut Principis imperium, si obsequiosos perinde subditos tractaret ac refractarios? Si præmia conferret in malignos & Reipubl. pestes; supplicijs contrà afficeret insontes, & bonos cives? Quis non vel insanum illum diceret, vel tyrannum, ac omnis justitiæ & æquitatis hostem? Ita nemo se expedire posset, ac certi quid concludere, quos ille favore, quos odio prosequeretur.

De hominibus qui in imperio versantur, hujusmodi regimen ut absurdissimum ac iniquissimum culpari meritò cùm possit: de Deo non item licet: quia ut sapientissimè omnia regit, sic justissimè; licèt nobis hominibus consulta & judicia Dei sint ignota: unde tantum abest, ut fugillare illa nobis conveniat, ut potiùs summè nobis sint adoranda, & cum *Davide* exclamandum, Ps. 119. *Justa judicia tua*; &c. cum *Paulo*: *Quàm imperscrutabilia sunt eius judicia, & viæ eius impervestigabiles?* Rom. 11. 33. Non enim Dei cogitata ut nostra, Esai. 55. 8.

Fert autem animus, *Rationem* istam, ob quam occultam & inextricabilem humano judicio esse Dei gubernationem asseruit, paulò altius examinare. Est illa, quòd ijdem ac pariles sint in vitâ externâ eventus, tam pijs quàm impijs; ut nullum inter utrosque appareat discrimen. ℣. 2. Text. Antithesis quintuplex ponitur bonorum & malorum.

1. Prima generalis videtur, *Iusti & impij:* ubi justi nomine, non qui perfectè tales sunt significantur; sed qui justitiæ, h. e. pietati sincerè student.

2. Secunda, *mundi & immundi*, ad cor refertur: Nulla enim est vel in verbis vel factis sincera Deoque placens pietas, quæ non è mundo corde proficiscitur.

3. Tertia, *sacrificantis & non sacrificantis*, ad cultum divinum; ut sit distinctio inter eum qui studiosè ac devotè cultum divinum exequitur, & eum qui protervè negligit.

4. Quarta, *boni & peccatoris*, ad vitam communem: ut bonus sit, qui vitam agit inculpatam: peccator qui palàm vitijs ac sceleribus est deditus.

5. Quinta, *jurantis & juramentum timentis*, ad sermones; circa quos potissimum observandum, ne quis temerè juramentum præstet aut violet. Timet ergò juramentum, qui timet ne perjurium committat.

Horum omnium eosdem esse eventus in vitâ asserit *Salomon*: idemque suprà quoque asseruit cap. 8. ℣. 14. & cap. 7. 15. Vide Homil. 13. in cit. cap. item Homil. 10. in cap. 2. Nec opus id fusiore probatione, cùm quotidiana experientia abundè idem confirmet. Nam ideò quoque *Salomon* hic tot antitheses bonorum & malorum posuit, ut innueret, & pessimis benè, & optimis malè quandoque in hâc vitâ cedere.

Potiùs de *causis & usibus* hujus miræ Dei gubernationis agamus: Inde enim constabit, sapientissimè ac certâ ratione Deum moderari cuncta, quæ confusè ac præter omnem rationem evenire à nobis videntur.

Caussæ. Equidem cur in individuo huic vel illi seu pio seu impio tales vel tales accidant eventus, soli Deo constat: In genere verò, cur & bonis & malis ijdem sint eventus, duæ videntur esse Deo caussæ.

1. *Prima*, Quia retributionem bonorum & malorum perfectam & absolutam non huic ævo destinavit Deus, sed futuro. Solet quidem Deus etiam

etiam hic bona quandoque compensare, & mala punire; non tamen semper, nec plenè, nec in omnibus id fit. Novissimum & universale judicium antecedet, quo de singulis sententia feretur, tum verò demum, perfecta retributio omnium sequetur: juxta dicta, 1.Cor.4.5. 2.Cor.5.10. 2.Thess.1.6.7. Judæ ℣.14.15. Matth.25. Typus Lazarus & Epulo.

Usus. Ne quis ergò nullam vel Dei providentiam vel justitiam esse existimet, qui confusum hujus seculi statum, prout is videtur, aspexerit. Aliâs enim verè D. *Augustin.* in Psal.72. *Verè magnus labor cognoscere, quomodo & Deus curet res humanas, & benè sit malis, & laborent boni: magna vis quæstionis.* Eoque oculi non sunt nobis dirigendi in hoc ævum, nec boni operis compensatio hic expectanda; nec impunitas speranda malis, quorum peccata hic non puniri solent: Rationum alia dies superest, cujus intuitu dixit Apostolus, *Quia novimus terribile illud Dei judicium, homines ad fidem adducimus*, 2.Cor.5.11. nempe ut illâ muniti in illo judicio possint consistere, freti merito Christi, sibique à peccatis caveant, ne in illo pudefiant. Luc.21.36.

2. *Altera* causa est, ut in futurâ illa retributione justitia Dei tantò sit evidentior.

A. Etenim cùm Deus *malos multis bonis cumulat* in hoc seculo, vult illos hoc pacto ad agnoscendam suam bonitatem, sicque ad frugem & pœnitentiam perducere: hoc verò quia nec agnoscunt, nec agunt, sed potiùs beneficijs Dei ad ἀσέλγειαν, ac Dei offensam abuuntur, justissima sanè erit, quam audituri sunt condemnationis sententia. Congerit Deus in illos multa bona, sed quia usum eorum negat, fit inde, ut, quod dicitur:

———*Tollentur in altum*
Ut casu graviore ruant.———

Quod nec *Aristotelem* quidem latuit: *Nam*, inquit, *multis non benevolentiâ Deus ingentes præstat prosperitates; verùm quò nobiliores ipsorum fiant calamitates.* libr.2. Rhet. cap.24. Nec abludit scriptura, Jer.12.3. Malach. 3.17,18. Rom.2.5. Jacob.5.3.

Usus 1. Proinde impijs prosperitas ipsorum *non est invidenda*, quod tamen sæpissimè pijs accidit, ipsique adeò *Assapho*, Psalm.73.2. Præstat enim cum illo in sanctuarium Dei ingredi, & ad finem ac exitum impiorum prosperitatis advertere. Psal.37.1.

Noli successus indignos ferre molestè:

Indul-

Indulget fortuna malis, ut ladere possit. Cato.

Licèt enim ipsos Deus & in hoc seculo non rarò turbine judiciorum suorum invadat,& dejiciat; uti idem *Assaph.*cit.Psal.testatur ℣.18,19.& *Jobus* cap.18.& 21.18.*Erunt sicut palea ante faciem venti, & sicut favilla quam turbo dispergit:* &c.quod & exemplis clarum est: plenaria tamen eorum miseria,dilata est in futurum illud seculum.Ps.1.4. Quo sensu D.*August.* dixit: *Successus humanæ felicitatis, est indicium æternæ damnationis.* Venustissimè D.Ambr. *Quia impij non ascripti sunt, ut coronam assequantur, nec mirum quod luctam non subeant.* Gregor.*Nulla tentatio major, quàm nullâ tentatione pulsari.*

Usus 2. Nec proin vel impij ipsi, vel alij ex eorum temporariâ hâc felicitate concludant, quasi amore & gratiâ Dei singulari foveantur. Ita quidem argutari solent impij, quasi Dei essent benedictio, quæ ipsis accidunt bona. Psal.10.3.Zach.11.5. Sed revera decipiunt se; sunt enim mera potiùs Dei maledictio.Psal.69.23.Prov.3.33. Ut enim calida & serena tempestas, si diutiùs durat, segetibus nocet potiùs quàm prodest: sic & prosperitas constans,quæ impijs non rarò obvenit, in ipsorum vergit perniciem.(Confer Hom.8.in cap.5.Eccles.)

B. Contrà, quòd Deus *pios & electos variis ærumnis & afflictionibus exercet*, fit ad eos ad æternam salutem præparandos; ut tantò sit evidentior Dei justitia,qui afflictis,& tamen benè agentibus, tandem laxamentum à malis,& bonorum operum brabeion, gratiosè quidem,justè tamen tribuat.

DOCTRINA I.

Tenendum ergò *in genere, Afflictiones electis esse utilissimas ac necessarias:* eoque amoris divini indubia esse argumenta: castigantur à Deo velut Patre,ne cum mundo pereant. Quemadmodum prosperitas impiorum via ipsis est ad casum: sic afflictio piorum gradus ipsis est ad exaltationem in cœlis.

DOCTRINA II.

In specie ergò consequitur, *Prosperitatem esse periculosissimam,* matrem ac nutricem peccatorum & vitiorum; ac bonorum morum everſorem.

Luxu-

Luxuriant animi rebus plerunque secundis.

Pulcrè D. *Augustinus* in Psalm. 50. *Multi res adversas timent, res prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo, quàm adversa corpori. Fratres mei, acriùs adversus felicitatem vigilandum est.* Declarat idem mox *Davidis* exemplo, qui in persecutionibus Saulicitis constitutus, non occiderit virum adulteratâ uxore; *factus*, inquit, *est securus devictis hostibus, pressurâ caruit, tumor excrevit. Valet ergò hoc exemplum ad id, ut timeamus felicitatem. Continet igitur nos in officio, redigitq; in ordinem afflictio: at ipsa prosperitas in omne vitiorum genus resolvit.* Hæc *Augustinus*. Nec verò quæ de noxâ prosperitatis dicuntur, unius modò aut alterius hominis sunt, sed totius populi: quum enim opima & quieta tempora largitur Deus, promiscuè scelera quævis invalescunt, ut Dei & nostri obliviscamur: uti fusè docet *Salvianus*, libr. de Provid.

DOCTRINA III.

Afflictiones contrà plurima habent commoda, ut necessariæ etiam religiosissimis hominibus videantur. Paucas nunc saltem delibabo ex *Chrysost.* Hom. 42. in acta Apost.

1. Conducunt, ad *devotam & fructuosam Verbi attentionem. Nihil* (inquit is) *nobis doctoribus utilius quàm ut audiamur. Auditor enim quando in deliciis agit, oscitans est, ac ignavus, & à loquente quodam interturbari videtur. In afflictione incidit in eum desiderium audiendi: quum enim animâ angustiatur, undique consolationem quærit; non parvam autem consolationem affert sermo.* Esai. 28. 19.

2. Ait idem: *Afflictiones abstrahunt nos ab affectione erga mundum.* Nam statim mortem optamus, nec amatores sumus corporis, quæ maxima pars philosophiæ est, non esse astrictum vitæ præsenti. Declarat idem jucundo simili, cujus sensus est: Ut corpus fatigatum quietem desiderat; sic & anima afflicta: hanc verò cùm in hoc mundo non inveniat, fastidit eum.

3. *Crux pædagogi est instar ad omnes virtutes* ducens ac erudiens. *Unde* (ait *Chrysost.* ibid.) *nascuntur mala. nonne ab opulentis? nonne à gaudentibus? Non potest ab afflictâ animâ malum aliquid fieri. Novit illius virtutem Paulus, ideò dicit: Tribulatio patientiam operatur, &c. Magnum bonum est afflictio, ut à pueris nostris discimus. Nam absque afflictione nulli utiliadi-*

scunt. Nos autem magis quàm illi egemus afflictione: Noster pædagogus est afflictio. Declaravit idem in præced. per elegantes comparationes, quæ eò cedunt, ut constet, *scholam crucis, esse scholam lucis & virtutum. Domus* (ait) *duas depingamus, unam agentem nuptias, alteram in luctu versantem: Lugentis domus plena est philosophia; Nuptiarum domus referta fœditate: explicat id fusè.* Mox ait: *sed & carcerem & theatrum conferamus, hic est afflictionis, hoc voluptatis: Illic philosophia multa: ubi enim mœstitia, ibi & philosophia.*

Planè uti sapiens noster suprà cap. 7. 3. dixit, *Melius esse adire domum luctûs, quàm gaudij vel vini*, &c. Verè ergò pædagogus noster afflictio: quo qui caret (ut rectè dixit *Demetrius* referente *Seneca*, libr. de Provid.) & de eo malè Deus judicavit, & illo nihil est infelicius.

4. Sed & illud boni habent res adversæ, quòd *sint virtutis & probitatis declaratio, & gloriæ occasio.* Quomodo enim quæso constabit, quâ quisque fide, patientiâ, constantiâ, &c. præditus sit; cui nulla datur eas manifestandi aut exercendi facultas? Latent virtutes velut in obscuro, ac ne quidem homini ipsi notum est, qualis sit, nisi res adversæ occurrant, in quibus sui quasi experimentum ipsum capere licet. Quàm quisque firmâ valeat naturâ seu complexione, non novit, qui nunquam ægrotavit. Quantis polleat viribus, ignorat, qui cum nemine unquam certavit.

Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Tiphy jacet, si non sit in æquore fluctus;
Si valeant homines ars tua Phœbe jacet.
Quæ latet, inq; bonis cessat non cognita rebus,
Appareat virtus, arguiturq; malis.

Ovid. libr. 4. Trist. eleg. 3.

Ita nec *Abrahami* & Patriarcharum reliquorum, tum & *Jobi, Davidis, Mosis*, &c. fides, pietas, patientia, constantia, &c. sciri potuisset; nec ipsi tantum ea propter nomen assecuti fuissent, nisi in varias ærumnas, tentationes, pericula & persecutiones fuissent conjecti. Hinc illis gloria accessit, non à divitijs, aut prosapiâ, aut eminentiâ.

5. Dum verò rebus adversis pij exercentur, fit ut ipso simul usu fortiores evadant, *& augmentum virtutum suarum capiant.*

Non enim est (inquit *Seneca* libr. de Provid.) *arbor solida nec fortis, nisi in quam*

in quam frequens ventus incurſat: Ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certius figit. Fragiles ſunt, quæ in apricâ valle creverunt. Quemadmodum vomeres uſu ſplendeſcunt, ſitu rubiginantur. Quemadmodum vites putantur, ut plures fructus ferant: ſic fideles falce tribulationum, ut in fide & pietate ſint firmatiores & fertiliores. Joh.15.2. Ac deinceps tantò faciliùs ac animoſius adverſa pati & ſubire poſſint. *Nam ſic ſe habent,* (ait *Ariſtot.* libr.2.Rhet.c.8.) *qui gravia paſſi ſunt, ut ſe pati poſſe putent, quæ jam pertulerunt ac evaſerunt.*

Usus 1. Ne quis cæco caſu pios obrui adverſis exiſtimet, quaſi Deo vel neſcio in incurio talia illis obvenirent: Magna ac certa in his Dei eſt providentia: Bono illorum cedunt: Rom.8.28. ac ad futuram ſalutem ipſis viam ſternunt.

2. Unde perverſum eſt judicium; Ex adverſis concludere velle, vel de hominis cujusquam impietate ac improbitate; aut etiam de Dei erga ipſum odio & vindictâ. Sic enim pijs omnibus, nequidem Chriſto excepto, magna intorqueretur injuria: qui omnes non niſi per tribulationes ad æternam felicitatem deducti.

3. Licèt verò & impijs multa adverſa accidant in hoc ſeculo, ingens tamen eſt, inter piorum & impiorum paſſiones diſcrimen. (Vide Hom.10.in cap.2.Eccleſ.)

HOMILIA V.

TEXTUS vſ.3,4,5,6.

Hoc peſſimum eſſe in omnibus quæ fiunt ſub ſole, quòd eventus idem ſit omnibus; quin etiam animum filiorum hominum qui expletus fuerit malo, & quorum animo inſederit omnis inſania quamdiu vixerunt,

itidem poſteà concedere ad mortuos. Nam uter ſit qui eligatur, in tota hac vita adeſt fiducia: quin cani viventi eſt melius, quàm leoni mortuo. Viventes enim ſciunt ſe morituros eſſe; mortuos autem neſcire quicquam, nec eſſe ampliùs eis mercedem, quum oblivioni tradita fuerit memoria eorum: Tum rem amatam eis, tum exoſam eis, tum deſideratam eis iam periiſſe; & partem nullam eſſe eis ampliùs unquam in ulla re quæ fit ſub ſole.

DE TERTIO.

QUomodo videlicet impij, iſto Dei regimine abutantur; Ita videlicet ut ſeipſos in ſceleribus ſuis & ἀσωτίᾳ vitæ confirment.

Cujus quidem impiorum inſtituti tum *Propoſitio*, tum *Confirmatio* à *Salomone* introducitur.

I. Propoſitio verſ. 3. Hoc peſſimum eſt inter omnia quæ fiunt ſub ſole, quòd eventus unus ſit omnibus: & etiam cor filiorum hominum plenum eſt malo, & inſaniæ in corde eorum in vita ſua: & poſt hoc ad mortuos.

Parilitatem hanc eventuum, *Malum* eſſe dicit, non Dei reſpectu, qui ut ſapientiſſimè ſic optimè cuncta gubernat: *Abſit*, dicat homo, *quicquam mali à Deo.* Quicquid fecit, valde erat bonum. Geneſ. 1. 31. Iuſta ejus judicia, Pſalm. 119. Omnia benè fecit. Marc. 7. 37. ſolus bonus & bonitas ipſa, Matth. 19. 17. quî igitur quicquam ab eo mali: ſed reſpectu hujus ſeculi dicitur, cujus maxima eſt in eo vanitas ſita, quòd ijdem ſint bonis & malis even-

lis eventus; nec mali pro merito puniantur, sed potiùs benè habeant; nec boni fructum suæ probitatis percipiant, sed potiùs affligantur: Hinc enim pessimum quid consequitur: Nempe quòd impij in suâ improbitate & sceleribus confirmentur, inutilemque pietatem sibi fingant; nec verò unquam de vitâ emendandâ in melius cogitent, quasi aliquando aliter eventurum esset; quia ad ultimum usque vitæ utrorumque finem, eundem servari tenorem vident, nec unquam in præsenti seculo quicquam mutari; sed postquàm paria utrisque hîc accidêre; utrosque dehinc æquâ lege decedere; sicque per omnia æqualem esse utrorumque sortem & conditionem, tam in vitâ quàm morte.

Cùm rapiant mala fata bonos, (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare Deos.
Ovid. libr. 3. Eleg.

Sed cùm res hominum tantâ caligine volvi
Aspicerem; latosque diu florere nocentes,
Vexariq; pios; rursus labefacta cadebat
Religio. *Claud.* libr. 1. in Ruffin.

Ita suprà quoque, cap. 8. 11. Hic verò duo accuratè observari merentur:

1. *Cordis humani malitia & perversitas*, quod tam improbam facit conclusionem; adeoque fons est impietatis in vitâ.

2. Ἐπίκρισις *Salomonis*, de hâc improborum argumentatione, atque exinde subnascente vitæ improbitate. Nempe quòd insania sit; & peccata ipsa, insaniæ.

DOCTRINA.

Timor Domini caput sapientiæ: Impietas extrema insania. Conc. de Timore Dei in cap. 12.

II. *Confirmatio, &c.*

Dixerat modò *Salomon*, piorum & impiorum eandem esse hoc in mundo sortem, eosdemque utrisque casus ac eventus sine discrimine; & quidem ad mortem usque, quæ & ipsa utrisque sit communis.

Delabitur hinc *Salomon*, ad commendationem vitæ præsentis, eamque morti præfert: quum aliàs mortem, vitæ præsenti, ob ejus vanitates & miseriam, prætulisset. *Præsertim* autem viventes mortuis in eo duntaxat,

quòd quicquid est boni in hâc vitâ, non nisi à viventibus percipi possit, non item à mortuis, utpote qui omnium eorum, quæ in hâc vitâ sunt ac geruntur, sensu, cognitione, usu & communione privati sint. *Quæ* ut verissima sunt, ita *Salomonem* ex suo sensu dixisse improbabile non est: adducit tamen nunc eum in finem, ut ostendat, quomodo profani & impij, hâc viventium præ mortuis prærogativâ, seipsos in suâ improbitate confirment ac obdurent: dum sc. præsente vitâ utendum esse judicent ad gaudia & voluptates, cùm post mortem non amplius liceat.

Continent ergò verba ista, vs. 4, 5, 6. Confirmationem instituti impiorum hominum, qui regimine Dei, dum justos & injustos, tam in vitâ quàm morte æqualiter tractat, abutuntur ad scelerum licentiam, & pietatis neglectum: eò quòd nec post mortem ulla sit mortuorum quorumcunq; etiam pientissimorum præ viventibus quibusq; prærogativa: Hinc ergò non absurdè se facere putant, si quoad vivunt, genio indulgeant, ac carnis placita exequantur. Ac hujus quidem sententiæ impios fuisse Judæos, apud Esaiam c. 22. 13. dicitur. Immò pessimè se facturos profani arbitrantur, si minus ad suas voluptates, præsente vitâ abuterentur: Unde se mutuò provocant & excitant, ut dicitur Sap. 2.

Cæterùm non eam fuisse mentem *Salomoni*, quæ profanis, abundè liquet præter alia ex cap. 12. 2. ubi docet, non præsentis modò, sed futuri seculi habendam esse rationem, & secuturi judicij.

Dum ergò vitam præsentem, Morti præfert, facit illud *comparatione Mortis ad præsentem duntaxat vitam; non ad futuram beatorum in cœlis*; hujus consideratione, melius est mortuis quàm hîc viventibus; Apoc. 14. 13. Nos comparationem istam vitæ præsentis cum Morte, seu viventium & mortuorum ita considerabimus, ut simul indicemus, quàm sit beatè mortuorum præ viventibus felicior conditio.

I. Prima comparatio est de *Spe*. Text. *Nam uter sit qui eligatur*, Vel *Quia cuicunque consociato cum omnibus hominibus est spes*: h.e. quia adhuc dum vivit, societate & consortio hominum gaudet; sicque spem habet, tum vitæ ulterioris, tum voluptatis & gaudiorum ejus: cùm è contrà mortuus nullam habeat spem redeundi in hanc vitam, ejusque bonis fruendi. Sicut ille dicebat:

Soles occidere & redire possunt,
Nobis cum brevis occidit Lux
Nox est perpetua una dormienda.

Et

Et hanc quidem sententiam *Job.* item cap.14. pluribus confirmat: Indicat, non eam esse hominis rationem, quæ arboris detruncatæ; quæ tamen ex radice reviviscere, & virgulta proferre possit: sed esse aquæ instar effusæ, ac prorsus exsiccatæ. ℣.14. expresse dicit, *Vir quum occubuerit, non resurget.* ℣.18. &c. facilius esse innuit, ut montes transferantur, rupesq; duriſsimæ ab aquis loco moveantur; quàm ut revocari mortuus possit in vitam. Excipias tamen eos, qui per miraculum divinum revocati sunt in præsentem vitam, maximè Christo resuscitato: qui tamen postquàm denuò sunt mortui, perinde ut alij in morte permanent. Falsa autem Pythagoricorum, (quos vulgus Judæorum sectabatur) sententia, de transmigratione animarum, è mortuis in nascentes. Matth.16.14.

Illustrat, quod dixit, sententiâ Proverbiali: *Canis vivus, est melior leoni mortuo:* h.e. Animal quodcunque viliſsimum, sicuti est canis, quoad vivit, præstantius est animali nobiliſsimo, quale est leo, si mortuum sit: Canis enim qui metuit leonem vivum, mortuo illi insultat, allatrat, laniat, devorat. Leoni mortuo insultant lepores. Sic ergò & homines abjectiſsimi, dum vivunt, præstant hominibus excellentiſsimis, qui sunt mortui: sicque adeò melior est vivorum, quàm mortuorum conditio, utcunque mortui dum viverent, longè præcelluerint illis, qui adhuc dum vivunt.

Variâ porrò ratione viventium sors, conditioni mortuorum præferri videtur, hâc parabolâ.

1. *Ratione gloriæ, dignitatis, opulentiæ, potentiæ* &c. qualis est Regum, Principum, Tyrannorum: Constat enim leonem, Regem quendam esse inter quadrupedes, ac formidabilis cujusdam tyranni speciem habere: At quid ille si mortuus sit? Cadaver, e scavermium. Tales leones humani, si spiritus seu halitus ipsorum de corpore emigrarit: Nemo ipsos amplius metuit, vel veneratur: sed nec illi vel juvare vel nocere possunt: denique spes omnis reparationis ipsis est pręcisa. Quę caussa est, cur abstinere jubeamur à fiduciâ in hominibus quantumvis potentiſsimis locandâ. Psal.146.3,4. aut etiam eorum formidine, Esai.51 12. Hactenus ergò viliſsimus quisque homuncio pluris est faciendus, dum vivit; utpote de quo spes concipi potest alicujus boni licèt tenuiſsimi, sicuti à cane vigiliarum, custodiæ, prædæ; aut etiam malum metui, sicuti morsus itidem à catello minimo. Adeò ut ne minimus quidem homo nobis sit contemnēdus, dum vivit. *Præterea*q; & illis, qui canum instar sunt contemptiſsimi,

simi, spes esse potest emergendi in altum. Psalm.113.7. Luc.1.52. At Heroës & Reges præclarissimi, putredo & fœtor manent, sepulcris inclusi, sine spe reditûs.

2. *Ratione virtutis & vitiorum, seu iustitiæ & iniustitiæ.* Canes frequenter in Scriptura homines flagitiosi dicuntur; propter impudentiam, ingluviem, mordacitatem, petulantiam, quæ canibus solet esse naturalis: unde à sacris arceri jubet Christus canes, Matth.7.6. Confer Apoc.22.15. Leo verò utcunque generosissimum sit animal, & multarum virtutum Idea, suos tamen habet defectus, ac superbiæ cumprimis & tyrannidis nomine est infamis; uti solent esse, qui virtutibus & donis præclaris à Deo sunt instructi, superbire, gloriari, alijs insultare. Hactenus ergò dici potest, *quòd canis vivus præstet leoni mortuo*; quia cani vivo, h.e. homini protervo ac impio, spes est, resipiscentiæ & emendationis: adeoque assequendæ æternæ salutis: Cùm è contrà Leo mortuus, h.e. Homo licèt virtutibus clarus, qui tamen illis non in Dei gloriam, sed propriam ambitionem, atque ad contemptum & oppressionem injustam proximi pauperis & infirmi est abusus; postquàm diem suum obijt, nullum amplius resipiscentiæ habet tempus vel occasionem. Sic etiam D. *Hieron. Viventes metu mortis possunt bona opera perpetrare; mortui verò nihil valent ad id adjicere, quod secum semel tulère de vitâ.*

3. *Epicurei* contrà & profani, canes vivos leonibus mortuis eatenus præferunt; quatenus feliciores judicant, qui impuris & obscœnis voluptatibus hujus mundi, adhuc indulgere possunt; illis, qui quantacunque in hâc vitâ polluerint eminentiâ, opulentiâ ac felicitate, illâ tamen, morte præventi, amplius frui nequeant. Et hoc quidem ipsum est, quod profanos & impios animat, ut vitâ hâc ad voluptates & scelera impunè (ut sibi videntur) abutantur, quòd mortui idem amplius non possint.

)(Quòd si verò Mors, ac mortuorum conditio, qui quidem beatè ac in Domino mortui sunt; conferatur cum vitâ ac viventibus, *futuræ vitæ* respectu; dicimus illorum omninò lautiorem esse sortem præ his, *etiam spei respectu*: Nam quod viventes sperant, quicquid demum esse potest boni; illud mortui jam possident; veram sc. illam ac immortalem felicitatem & gloriam in cœlis, cui nulla præsentis ævi voluptas est conferenda. Rom.8. Spes omnis hujus vitæ, metu contrariorum malorum & permixta est & inquinata: Ibi merus omnis aberit. Melior igitur ea-

tenus *canis mortuus*, h.e. peccator fidelis ac conversus, qui hujus seculi miserias effugit, & in cœlestem paradisum translatus est, *leone vivo*, h.e. homini externis hujus seculi bonis affluentissimo, cum ejus tamen vanitatibus ac peccato præsertim, adhuc conflictanti.

II. Secunda Comparatio est de *Scientiâ, vers. 5. Viventes enim sciunt, quòd morituri sint: mortui autem nesciunt quicquam,*

Quandiu vivit homo, cognitionem habet & gustum earum rerum, quæ sunt in hoc mundo, inter quas scientias suprema seu ultima est, quæ omnium minimè eum fallit, quòd noverit se aliquando moriturum: At mortui nihil quicquam norunt de statu & rebus hujus vitæ; immò ne hoc quidem norunt, quòd mortui sint; fugit ipsos quicquid hîc geritur. Atque eatenus viventes mortuis præstant.

Quòd si demortui non norint, quæ in terris geruntur, neque adeò necessitates nostras intelligant: frustra est illos invocare: aut Sanctorum intercessiones & suffragia, precibus ad ipsos jam demortuos directis, exigere. De quo suprà Homil. ult. in cap. 3. Ecclesiastæ.

)(*Vice versa*, Beati mortui: viventibus scientiâ & cognitione longè præstant. Esto enim ipsos ignorare quæ in hoc mundo geruntur, quæ plurimùm vana, stolida, misera; ut nescire illa, pars sit felicitatis ipsorum non minima: At vero animæ piorum, sicuti quàm primùm è corpore excesserunt, in cœlum migrant: ita statim quoque Dei visione fruuntur & aspectu, adeoque æternâ beatitate: quæ haud dubiè sine summâ sapientiâ & cognitione rerum cumprimis divinarum & cœlestium mysteriorum, quæ homines in hâc vitâ latent, esse nequit. Perfectissima tamen erit illa felicitas post ultimum judicium, quando totus homo corpore & animâ communione illâ Dei fruetur. Ita damnatæ animæ, nihil norunt nisi sua tormenta, & quæ illa adaugent, iram Dei, Diabolorum terrores; voluptates & vitia, quibus sibi damnationem attraxêre.

III. Tertia Comparatio est de *mercede: Nec eis ultra merces:* h.e. Mortui, quia viventibus laborando aut benefaciendo prodesse amplius nequeunt; ideò nec ullam quoque ab hominibus mercedem aut mutua benefacta recipere possunt. Probat id seqq. *Quia oblivioni tradita est memoria eorum:* q.d. Licèt utcunque grata memoria recolenda esset demortuorum, atque ipsorum virtutes concelebrandæ: cumprimis posteris benefaciendum esset propter majorum merita, ut horum illis de-

functis fructus percipiant isti: tanta tamen est seculi hujus vanitas & ingratitudo; ut defunctis illis qui magna humano generi cõmoda præstiterunt, unà cum illis omnis eorum non tantùm merces pereat, sed nequidem memoria superstit: talis sc. quæ vel ipsis, vel nepotibus ipsorum, usui esse possit. Oblivioni traduntur, habentur pro non existentibus in hoc orbe. Psal. 30. 13. Hinc sepulcrum terra oblivionis dicta, Psal. 88. 13. Lethum à λήθη, h.e. oblivione dictum. Unde lethæum flumen apud inferos statuunt Poëtæ, è quo bibere, est mori, omniumque adeò rerum oblivisci. Major ergò eatenus est vivorum præ mortuis prærogativa: quia quoad vivit homo, & pro se mercedem suorum in proximum meritorum percipere, & suis quoque prodesse potest. Ex. in *Josepho*, Exod. 1. 8.

Experientia idem testatur. Quantum quisque enim vel de Republ. vel Ecclesiâ, vel aliâs bono publico benè meritus est, dum vixit, atque pro numine aliquo habitus: quàm primùm clausit oculos, concidunt omnia, sepeliuntur cum ipso omnia ejus merita, memoria, merces: modò non essent, qui famæ detraherent, posteris insultarent, quod viventibus ipsis non erant ausi. Unde nec liberi ob parentes in eminentiâ constitutos superbire debent, aliisque insultare; sed meminisse, nullam esse amplius mortuis mercedem; immò, quod antè dixit Eccles. canem vivum meliorem leone mortuo.

Ad Deum si quis ista referre velit: Nulla unquam est homini merces; nempe quam de jure Deus teneatur ob merita bonorum operum ei compensare: *neque vivo*, quod Papistæ perperam negant: *nec mortuo*, quod concedunt; atque hic assertum volunt ab Ecclesiaste: ut sensus sit, tempus merendi mercedem gloriæ cœlestis esse hujus vitæ: contrà mortuos non habere ultrà tempus merendi, & comparandi sibi mercedem in cœlo; adeoque vitæ hujus finem, merendi esse terminum; perinde ut deficiente die, & laborandi ac merendi tempus deficit, & merces operarijs confertur. *Quod* si ita est, *Vanæ ergò* sunt intercessiones Sanctorum de mortuorum apud Deum pro vivis, à quibus eapropter invocantur, si mortuorum nulla sunt merita. Et quid merebuntur laborantes in purgatorio suis passionibus, an plenariam a peccatis absolutionem, & gloriam cœlestem, si mortui nihil merentur?

)(Nos verò dicimus, magnam pijs repositam esse mercedem in cœlis conferendam, non quidem ex merito sed ex gratiâ: Atque eatenus mortuos, qui mercede illâ jam perfruuntur, vivis longè esse feliciores:

quòd

quo nomine *Beati* quoque mortui prædicantur, Apoc. 14. 13. Sed ut maximè quoque eorum memoria pereat in terris, perseverat tamen in cœlis: Ubi nunquam in æternum peribit. (Vide Hom. 6. in Eccles. 1.)

IV. Quarta Comparatio est de *affectibus & passionibus animi, vers. 6. Tum rem amatam, &c.* Vel *Etiam amor eorum, etiam odium eorum, etiam invidia eorum jam perijt, &c.*

Amor & odium (è quo invidia ac æmulatio) principes sunt affectus unde reliqui ferè dependent: his omninò exutos esse dicit *Salomon* mortuos; & quidem activè ac passivè seu reciprocè: Nempe mortuos neminem amplius amare; nec ipsos amari, cùm nihil præstare possint cur amentur: Dein neminem ipsos vel odio habere, vel invidiâ erga quenquam laborare; nec vicissim odio haberi posse, cùm nemini noceant, nec ad æmulationem quenquam provocare; siquidem (ut sequitur per generale quoddam hujus loci Epiphonema) *Portio non est eis ultrà in seculum, in omni quod fit sub sole.*

Hinc rursum colligit, Viventes esse mortuis præferendos, quia suis affectibus litare possint, quod his sit denegatum; quasi magna ex affectuum animi expletione redundaret ad hominem ut voluptas sic felicitas.

Monemur interim, mortis metu, viventibus affectus esse frænandos, quum eos mors extinguere soleat, nec perpetuare illos possimus.

)(At quantò feliciores sunt pij mortui, præ viventibus, quos effrænes isti affectus non amplius turbant, agitant, atque molestant; in quos charitas Dei exundantissima, ipsique rursum Deum amant perfectè: quorum odium mali itidem perfectum, quique omniaque mundi odia & invidiam effugêre.

Sic ergò hactenus vidimus, quomodo Athei providentiam Dei trahant ad scelerum licentiam. Caput erroris est, quòd vitæ secuturæ nullam habeant rationem, sed vitæ duntaxat præsentis, cujus respectu statuunt vitam istam præstare

mortis.

HOMILIA VI.

TEXTUS v. 7, 8.

Agedum, comede cum lætitia cibum tuum, & bibe animo hilari vinum tuum; quandocunque benevolè prosequitur Deus ille facta tua. Omni tempore sunto vestimenta tua nitida, & unguentum infusum capiti tuo ne deficito.

DE QUARTO.

VErsatur Sapiens in loco de Dei *Providentiâ*. Et proximè quidem abusum ejus ostendit, qualis reperitur apud homines profanos & sceleratos; qui exinde, quòd in hoc sæculo bonos & malos æqualiter haberi, atque promiscuè eadem subire fata, animadvertunt, seipsos in suâ malitiâ & scelerum licentiâ confirmant: Cui ipsorum instituto accedit, quòd similiter animadvertunt, Mortuos nulla planè amplius commoda hujus vitæ sentire, eoque viventes adhuc, tantò esse feliciores, quòd hujus vitæ gaudijs & commoditatibus adhuc fruantur; vitâ proin hac ad delicias, pro cujusque libidine, dum durat utendum esse.

Quàm verò *Salomon* minus probetur istud profanorum hominum institutum, nunc ostendit: simulque rectum divinæ providentiæ usum, & ad præsentem vitam applicationem docet. Summa huc redit. Concedit *Salomon*, Meliorem esse viventium conditionem, quàm mortuorum; si hujus vitæ commoda quis spectet; quòd viventes adhuc illis frui possint; mortuis verò penitus nihil sit amplius cum hoc mundo. Subsumit inde, Præsente vitâ, quoad licèt, utendum esse; et quidem *pacatè, hilariter, guaviter*: simul tamen *piè, justè, sobriè, frugaliter* ac *sapienter*.

Et

Et quidem ex consideratione & rectâ æstimatione divinæ Providentiæ: quam dum impij negant, aut susque deque habent, in tetros incidunt errores & vitia: ut *vel* avaritiæ se dedant, totique sint in corradendis opibus, sibique insomnes in illo labore faciant noctes, cap. 8. 16. quibus tamen, cùm nacti sunt, non utuntur, sed sordidè ac tenuiter vivunt, sicq; adeò vitam istam sibi faciunt amarissimam. (Nempe quia divinæ providentiæ diffidunt, ac sibi fame præeundam existimant, nisi ipsi, etiam sine Deo, sibi de victu prospexerint.) *Vel* ad securitatem impiam divergant, totamque vitam obscœnis voluptatibus litando transigant, quasi nulla esset Dei providentia, scelerum arbiter ac vindex.

Docet ergò, non isto modo vitam præsentem instituendam, quo *Avari* ac *Securi* solent, providentiæ sc. Dei abnegatores: *Illi* enim acerbum, *hi* verò impiam vitam vivunt: sed *primò* placidam, pacatam, jucundam & lætam insequendam esse vitæ rationem, dum sc. Homo, Providentiâ Dei paternâ fretus, præsentibus utitur, quæ Deus per honestum laborem indulsit; nec seipsum curis immodicis in acquirendâ opulentiâ, fatigat, excruciat, consumit: *Secundò* frugaliter, moderatè, piè & religiosè, in vitæ illâ jucunditate versandum esse: siquidem Deus, cujus providentiam nihil fugit, cuncta tuetur, judicat, vindicat. Unde patet Epicuræis & voluptuarijs minus patrocinari præsentem *Salomonis* institutionem, quam & superius inculcavit, hic autem omnium facit accuratissimè: Unde nobis occasio datur de alijs quibusdam dicendi, præter illa quæ superius dicta sunt. Vide Hom. 12. in cap. 2.

Atque hâc quidem observatâ limitatione intelligenda sunt, quæ in seqq. injungit *Salomon de rectâ vitæ hujus institutione & transactione*: de recto rerum terrenarum ac mundanarum usu. Eam quinque capp. comprehendit. Concernit

1. *Victum.*
2. *Amictum.*
3. *Conjugium.*
4. *Negotia seu labores Vocationis.*
5. *Eventus rerum, & actionum.*

I.

De Victu ait ℣. 7. *Vade, comede in gaudio panem tuum, & bibe*

hilari corde vinum tuum. Tuum, inquit: h.e. tibi à Deo assignatum & destinatum: Itemque, tuo labore & industriâ acquisitum: His enim duobus modis, aliquid alicui verè proprium redditur: secus alienum est; nempe si per dolum aut rapinas, aut fœnus iniquum proximo subtrahitur; neque enim tum à Deo, tanquam ex ejus manu, uti convenit, accipitur. Sic Genes.3.19.2.Thess.3.12. Nec aliud petere Servator docuit, quàm panem *nostrum*.

Disertè verò addit, *cum gaudio & hilari corde*; ut innuat, abstinendum esse ab austerâ avarorum & sordidorum solicitudine, morositate & mœstitiâ; atque gaudio honesto & decoro utendum potiùs: Unde & vini usum, & quidem liberaliorem indulgere videtur Ecclesiastes, utpote quod cor hominis exhilarat. Psalm.104.15.

DOCTRINA.

Ergò cibi potûsque usus liberalior & hilarior minimè improbatur, imò nec quævis corporis cura & cultus lautior. Rom.13.14. Matth.9.15.

Usus 1. Ad agnoscendam Dei bonitatem & munificentiam. Quod si dum adhuc in corpore mortis, & mundo hoc malo hæremus, tam beneficus est erga nos Deus; quanta erit ejus erga nos in cœlis munificentia!

2. Adversus rigidos, severosque Curios aut Crassos, qui omne gaudium culpant.

Sed enim mox frænum injicit lasciviæ carnis, ne modum excedat, dum ait, *Quandocunque benevole, &c.* Vel *Quia jam grata sunt Deo opera tua*: quæ verba partim a. *Exhortationem* continent, partim b. *Confirmationem* exercendæ & usurpandæ lætitiæ.

a. *Exhortationem* quidem, Nempe ut operibus bonis Deoque gratis simul dent operam, adeoque vitæ inculpatæ ac probæ studeant: Atque hoc ipso moderationem, temperantiam, αὐτάρκειαν, beneficentiam erga pauperes, justitiam & æquitatem in acquirendo victu injungit.

Usus. Unde liquet minimè carni fræna laxare, atque ad omnem luxuriam fenestram aperire *Salomonem*; sed intra pietatis & timoris Dei cancellos concludere, quod indulsit gaudium: adeò ut si è re videatur, etiam abstinendum sit à licito aliâs gaudio, si nimirum officere cursui sanctimoniæ videatur, aut scandalum alijs præbere; sicuti *Paulus* egit. 1.Cor.9.

b. *Con-*

b. *Confirmationem* itidem eadem verba exprimunt: q.d. quum per fidem & studium sincerum pietatis, tecum in corde & conscientiâ tuâ persuasus esse possis, grata esse tua opera Deo, adeoque & te à Deo diligi; jure optimo lætus esse possis, atque cum verâ animi tranquillitate ac lætitiâ pane & vino frui.

DOCTRINA.

Veri solidique gaudij basis est bona Conscientia: ut nullum esse possit, ubi hæc deest; nec illud deficere possit, ubi hæc adest. Prov. 15, 15. Psalm. 97. 11. Certè si etiam in adversitatibus & persecutionibus fideles lætantur, quia constat ipsis de Dei erga se favore & gratiâ; quantò jucundior erit ipsorum in secundis lætitia: quantò verò maxima erit olim in cœlis, ubi luctus & metus omnis aberit?

)(Profanorum gaudium, licèt impensissimè lasciviant, fucatum est ac lubricum: quia desunt ipsis gratiæ & amoris Dei erga se testimonia; nec rarò sentiunt conscientiam vellicantem; unde necesse concidere omnem animi hilaritatem. Veluti

Districtus ensis, cui super impiâ
Cervice pendet, non Sicula dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharæq; cantus.

Majus est modicum piorum gaudium, effusissimo improborum: Psalm. 4. 8. Melior buccella sicca cum gaudio (conscientiæ) quàm domus plena victimis cum jurgio (conscientiæ morsu) Prov. 17. 1.

Usus. *Vis nunquam esse tristis? Benè vive: Bona vita semper gaudium habet: Conscientia rei semper in pœnâ est.* Bernhard.

II.

De amictu ait ℣. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, &c.*

Ad corporis curam & cultum, vitæque præsentis jucunditatem, præter victum, etiam amictus spectat: Mens ergò *Salomonis* est: Ut prout cujusque fert conditio, status, & opes honesto, nitido & decoro utatur vestitu, ad conservandam dignitatem; nec verò veste sordidâ ac vili ex avaritiâ, vilem, contemptum & abjectum se reddat; è quo quippe contemptu jucunditati vitæ non parum decederet. Misera enim eorum vita, qui in contemptu vivunt.

Allu-

Alludit autem *Salomon* ad morem priscorum, qui communiter vestibus utebantur albis; illi maximè qui in eminentiâ ac dignitatis aliquo gradu erant constituti: sive quòd ætas illa prior & simplicior nativum lanæ colorem retinere maluerit, spretis adscititijs coloribus: sive quòd color albus lætitiæ, simplicitatis, integritatis & candoris esset argumentum. Hinc *Philo* in vitâ Theor. ostendit: Judæos albatos convivia agitare solitos. Color enim albus simplicissimus, nullam mixturam admittens, sed & nitidissimus, jucundissimus, lucidissimus; sicuti è contrà fuscus, miseriarum & luctus est nota. Quòd si usu maculatæ aut sordidatæ erant albæ istiusmodi vestes, eluebant, incretabant, pristinoque nitori arte fullonià prensando & velut atterendo, restitui curabant; cujus artis & *Marcus* meminit, c. 9. 3. in descriptione transfigurationis Christi. Cumprimis verò curabant ut in festis, sacris, convivijs, aut lætioribus alijs celebritatibus, vestis esse nitida, ac vel nova, vel exactius mundata ac dealbata. De his vide Lipsl. 1. Elect. c. 13. Stukium, Conviv. 1. 2. c. 26. Antiquitus apud Romanos usitatum erat, ut qui Magistratu fungerentur albis candidisq; vestibus fulgerent: indeque & illi, qui publica munera ambiebant, mundissimi, albis vestibus incederent, ob id *Candidati* dicti. Ad istum ergò morem alludens *Salomon*, mandat, ut amictus semper sit mundus, nitidus, tersus; non squallidus, sordidus, incultus: pro cujusque sc. sorte & conditione, utpote quod plurimùm facturum sit ad præsentis vitæ jucunditatem.

Ubi cave excessum ac luxum immodicum in vestitu à *Salomone* indultum existimes, qui facultatum, statûs & conditionis sortem excedat: Hîc enim repetendum, quod antè dixit: *Opera tua placent Deo*: Atqui sumptuositas nimia, luxusque in vestitu præter decorum Deo displicet, uti omnis superbia, vehementissimè: uti liquet ex Esai. 3. 18. &c. munditiem saltem & puritatem suadet, quæ etiam in vestibus non sumptuosis locum habet. Quò faciunt præcepta de amictu mulierum decoro, 1. Petr. 3. 4. 1. Tim. 2. 9.

Vitanda ergò extrema; *Nimius* sc. in vestibus *luxus*, sed & nimia *sordities* & immunditia. Quò facit, quod D. *Hieronym. Pelagio*, dicenti, Gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam, respondit: (libr. 1.) *Quæ sunt rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem?* Sic idem alibi modum præscribit Eustochio: *Vestis*, ait, *nec satis munda, nec sordida, & nulla diversitate notabilis sit.* Perinde ut Seneca: *Nec splendeat*, inquit, *toga*; *nec sordeat*.

Usus

Usus. Nos, quod monet alba vestis ita insequamur, ut ad ornandum potiùs animum quàm corpus trahamus: Quid enim juvat, si corpus splendidissimè amictú, sordidissima scelerum sentina inhabitat? an aliud erit, quàm porcum spurcissimum, auro, gemmis, sericisque stragulis ornare velle? Nemo facilè preciosam vestem arcæ sordidæ includeret; nec igitur & animo vitijs sordidato adijcere convenit. Demens haberetur, qui plus de ornando calceo, quàm sanando ægro pede laboraret.

Moneat ergò nos alba vestis, induendam esse

1. Simplicitatem veram mentis: Matth. 10. 16.
2. Candorem & sinceritatem erga Deum & proximum.
3. Lætitiam sanctam in Domino.

Ita genuini erimus cœlestis gloriæ Candidati. Candidus enim color & fulgor, inter ipsa divinæ etiam majestatis ornamenta recensetur, Dan. 7. 9. Christus in transfiguratione candidus conspectus. Est is cœlitum & Angelorum proprius velut amictus, & symbolum gloriæ cœlestis ad quam anhelamus. Apoc. 3. 5. c. 7. 9. Albis istis vestibus si aliquando fulgere in cœlo velimus, maturè hîc conquirendi & induendi sunt. Apoc. 19. 8.

Curandum probè, ut omni tempore vestimenta nostra istiusmodi sint candida, eoq; quantum potest, fieri annitendum. Quia verò id æquè minus fieri potest, atque illis qui in officinâ fabrili versantur, albis & mundis esse licet, ne carbonibus & fuligine maculentur, quandiu scilicet versamur in hoc mundo, qui non nisi malorum & peccatorum perennis est officina; ideò continuò saltem abstergere maculas peccatorum studeamus, deprecationibus apud Deum, Psal. 51. 9. verâ resipiscentiâ, Esa. 1. 16. Jacob. 4. 8. crucisque tolerantiâ, quâ ceu operâ fulloniâ, caro subigitur, prensatur, maceratur, ut magis magisque nitida pietate & virtutum splendore evadat: donec ex hoc mundo sordido egressi, & translati ad æternam illam lucem, ab omni inquinamento liberemur. O jucunditatem! si jucundum hîc vestimentis candidis indui; quanta erit gloria, cùm albis illis immortalitatis vestibus fulgebimus?

Ad corporis cultum exteriorem, etiam unguenta odorata refert *Salomon: Etiam unguentum super caput tuum ne deficiat:* q. d. nihil intermitte eorum, quæ ad accuratam, honestam tamen & decoram voluptatem, corporis delicias, animi hilaritatem, vitæ jucunditatem faciunt; habitâ interim semper Dei ratione, &c.

Fuit apud populos Orientales unguenti odorati ac medicati fre-

quens usus, præsertim in convivijs, quibus non modò fascijs aut corollis ex hederâ & floribus caput circumligabant, sed & oleo aromatico ac fragrantiore perfundebant.

Athenæus libr. 15. Tradit (inquit) Philosophus (Possidonius) apud Syros in epulis Regum, ubi datæ coronæ sunt convivis, ingredi quosdam cum utriculis unguenti Babylonij, qui procul mensam circumeuntes, accumbentium coronas eo irrorant, aliud præterea nihil conspergentes. Quem honorem & Christo tributum à mulierculis novimus, Matth. 26.7. Luc. 7.38.

Caussa erat, tum cura sanitatis, ut hoc pacto ebrietatem arcerent, repressis vini vaporibus cerebrum imperentibus illisque velut diffiatis aut exsiccatis: tum voluptas propter odoris jucunditatem, unde & nonnunquam unguenta vino mista bibebant.

DOCTRINA.

Ergò etiam *odoramentorum usus* licitus. Psalm. 23.5.

Allegor. Id cumprimis attendamus, ne verum illud lætitiæ oleum nobis deficiat, quod est Spiritus S. Psalm. 45.8. Neque enim major & exquisitior voluptas quàm illo perfundi; quippe quo mens nostra gratissimum percipit odorem gratiæ & benedictionis divinæ: Psalm. 51.14. Rom. 14.17. Quin & bono nomini & famæ studeamus, quæ quovis balsamo fragrantior. Eccles. 7.2.

HOMILIA VII.

TEXTUS. v. 9, 10.

Fruere vitâ cum uxore quam amas, omnibus diebus vitæ vanissimæ tuæ, quam uxorem dedit tibi Deus sub sole, omnibus diebus vanissimis tuis; quum hoc sit pars tua in vita

vita hac, & in labore tuo quo laboras sub sole. Quicquid assequitur manus tua ut facias pro facultate tua, fac: nam nullum est opus, aut ratiocinium, aut scientia, sapientiave in sepulcro quò iturus es.

III.

DE *Conjugio* loquitur, ejusque recto usu: *Fruere vitâ,* (Heb. *Vide vitam,* sicut videre mortem, h.e. mori) *cum uxore quam amas, &c.* vs. 9. sensus est: Vitæ hujus, quæ aliàs vanissima & miserrima, plurimum adminiculi, solatij, gaudij, ac felicitatis accedere ex conjugio bono ac fortunato: Hoc igitur vitæ felicius suaviusque transigendæ medio, à Deo ipso instituto, fruendum esse monet, pro re natâ.

Si *Salomon* tam ista, quàm præcedentia ex mente Epicuræorum protulisset, non ex propriâ; contrarium verba continerent: Nempe, abstinendum esse à conjugij vinculo, ac potiùs amores & promiscuas cum scortis libidines sectandas esse.

DOCTRINA.

Ita ergò *Salomon Conjugalem vitam* probat, laudat, suadet; necessitatem tamen non imponit: idque ideò, quia faciat ad vitam suavius & commodius transigendam.

Scopus is est conjugij à Deo instituti: Gen. 2. 18. Nempe ut uxor sit in adjutorium viro, & consequenter vir in præsidium uxori: adeoque ut mutuos defectus invicem portent, ac mutuis etiam officijs se juvent, denique hujus vitæ (si quæ sunt) bonis ac delectamentis communi jucunditate perfruantur.

Ad istum Conjugij scopum assequendum, requiritur

1. *Monogamia.* Ideò *Salomon,* licèt ipse polygamus, non nisi unius uxoris meminit; quòd ipsum primæ conjugij institutioni conformet, ut ex Matth. c. 19. patet, Ubi expressè *Duo,* vs. 5, 6.

In V. quidem Testamento legimus etiam S. Patres fuisse polygamos, ex singulari aliquo Dei indultu: verùm quas inde molestias, conjugumque æmulationes, jurgia, mutuasque insectationes, coacti sint perferre, quibus conjugij suavitas haud leviter fuit violata, non [illegible] sacra notavit historia. Ex. in Lamecho, Genes. 4. 23. Jacobo, Genes. 30. 1. Elkana, 1. Sam. 1. 6. Quò facit interdictum Levit. 18. 18. *Mulierem ad sororem suam ne assumito, &c.* h. e. unam ad alteram; juxta interpretationem Junij & Tremell. Amicitia inter paucissimos, eoque duos firmissima: quæ de re alibi egimus.

2. *Castitas.* Text. *cum uxore*, non scorto aut pellice. Nihil enim est, quod conjugij jucunditati magis adversetur, quàm adulterium. Est enim adulterorum proprium conjugem aversari, odisse, persequi, &c. Quæ verò convictûs suavitas, si velut cum hoste infensissimo, quis vitam transigere cogatur? Sed & omnis benedictio Dei exulat, ubi adulterium divertit; utpote quam Deus sacro conjugio, non adulterio addixit; hoc verò multipliciter puniendum sanxit. Hebr. 13. 4. Adulteri igitur dum videntur sibi voluptatibus carnis indulgere, vitam sibi conciliant amarissimam; sensuríque sunt flagitij sui fructus eventu amarissimos.

3. *Conjugalis Amor*, isque sincerus, mutuus, castus, honestus. Text. *quam diligis.* Unde viri jubentur diligere uxores: Ephes. 5. 25. Coloss. 3. 19. Absque hoc si sit, quicquid est in conjugio bonum & optabile, perijt & evanuit; tantumque abest, ut vitæ feliciùs transigendæ illud deserviat, ut non nisi miseriæ ac luctûs sit officina & hospitium. Hunc enim Amorem pax comitatur, siquidem amor mentes colligat & conciliat, unde consensus ac pax, quâ nihil est in mundo optatius. Psal. 133. In quem Psalmum Augustinus scitè: Conjugum dissensio, est totius domus perturbatio.

4. *Fides conjugalis seu Constantia*; quum conjuges fœderis conjugalis tenaces, ad usque vitæ terminum, quacunque fortunâ, constantissimè invicem cohærent, fidemque servant: Text. *Omnibus diebus vitæ vanit. tuæ, &c.* Magna fuit olim Judæorum levitas in repudiandis uxoribus, ob conceptum quodcunq; earum fastidium & displicentiam, atque dato repudij libello insontes se credebant: sed Christus pessimum morem acriter redarguit, Matth. 19. 8. &c. Et Malach. 2. 14. acriter per-

ter perstringuntur, qui fidem datam conjugibus violassent. Non absurde Chrysost. in Matth. c. 19. sicut crudelis & iniquus est, qui costam dimittit; sic fatuus est & stultus, qui meretricem retinet. Fidei conjugalis illustria exempla historiæ profanæ suppeditant; in *Dominico Catalusio* Principe Insulæ Lesbos, qui conjugem licèt leprosam nec mensâ nec toro privavit, sed retinuit, nec tamen ab ea infectus est. Fulgosus. In uxore *Guelfi* Ducis Bavariæ: Philipp. Tom. 2. Declam. in alijs, quæ maritos in exilia migrantes insecutæ sunt; veluti Hysicratea Regem Midritatem. Valer. M. l. 4. cap. 6.

5. *Dei benevolentia, favor, gratia, benedictio*; quæ tum conjugibus pijs certò adest, quum Deus ipse uxorem dederit, seu conjuges copularit suo numine. Text. *Quam uxorem dedit tibi Deus sub Sole.* Ut enim Deus primus conjugij author, sic idem est, qui cuique suam destinavit conjugem, ac mirificè contractus matrimoniales gubernat: sicuti cumprimis exemplo Isaaci & Rebeccæ liquet, Genes. 24. A Domino mulier prudens. Prov. 19. 14. Deus conjunxit, Matth. 19. 6. Quemadmodum verò etiam ea dicitur dare Deus, quæ tamen impij homines medijs perversis ad se rapiunt, quatenus videlicet Deus certis de caussis fieri permittit, quæ tamen non approbat; sicuti dedisse dicitur pellices Davidi, & mox Absalomo, 2. Sam. 12. 8. 11. atque divitias impijs ac fœneratoribus: sic etiam plurimi nuptias contrahunt Deo quidem non invito, non tamen approbante, qui sc. id faciunt modo illegitimo: Unde de talibus dici non potest, quòd verè & propriè Deus ipsis conjuges dederit, nec proin tales etiam gratiæ ac opis divinæ certi esse possunt. Tales autem sunt, qui non à precibus, sed libidine & impuritate conjugium ordiuntur; nec in fines legitimos respiciunt, nec denique sanctissimo ordine rectè utuntur. Quando nævi ejusmodi succurrunt, dici non potest, conjugium facere ad vitam beatius, pacatiusque transigendam; quia tum Deus minus favet, ac propitius adest. Cum Deo igitur auspicandum ac possidendum Conjugium; ac errores si qui sunt commissi, deprecandi, emendandi. Sæpè fit, ut parentes ab initio consentire detrectent in liberorum nuptias, qui tamen perspectâ istorum humiliatione ac emendatione animum mutant: Ita Deus & illis tandem favet, qui licèt se præterito, conjugium iniverint, postmodum tamen agnitis delictis veniam precati sunt.

6. *Mediocritas seu Moderatio* in usu Conjugij, qualis prodit ex consideratione *Vanitatis* hujus vitæ. Text. *Omnibus diebus vanitatis vitæ tuæ.* Ne quis sc. nimiùm Conjugis amoribus implicetur, sicque ab eâ dependeat, quasi semper eo statu victurus; sed cogitet vitam hanc esse evanidam, ac mortem aliquando vinculum conjugale discissuram: quò & *Paulus* ducit. 1. Cor. 7. 29. *Qui habent uxores, sint ut non habentes.* Ita enim interpolanda est vanitatis nostræ memoriâ, jucunditas ea quæ ex conjugio habetur, ne nimium illi immersi, cœlestium obliviscamur.

Subnectit tandem Salomon hujus sui consilij caussam. Text. *Quia hæc est pars tua in vitâ hâc, & de labore tuo, quo laboras sub sole:* q. d. non major tibi felicitas in miserâ hac vitâ obtingere potest; nec fructum ac utilitatem ampliorem ex laboribus tuis capessere potes, præter istam, ut dum vitam tibi Deus largitur, edas, bibas, mundè vestiaris, cum uxore suaviter converseris: Sic enim quidam verba ista ad præcedentia etiam non incommodè extendunt. Labore tuo tibi hîc fruendum, post obitum nihil ille tibi proderit, nihil tecum sumes.

Usus. Sinistrè igitur & contra mentem Spiritûs S. judicant, qui conjugium damnant & execrantur, quod prodigiosè fecerunt olim veteres hæretici, hodieque quadantenus Monachi; qui perperam, quas pura & casta virginitas laudes meretur, cœnobijs suis attribuunt. *Sancta Ecclesia, & virginitati suam gloriam tribuit, viduitatem laudat, conjugium honore afficit, fornicationem & adulterium damnat.* Epiphan. in refut. Montani.

4.

Progreditur hinc ad *labores & opera* hominis, atque & illis modum præscribit. 1. Quomodo laborandum, ℣. 10. 2. Ut sit de eventu rerum judicandum, ℣. 11.

Ne quis enim putaret, non nisi gaudia & delicias (utcunque licitas & moderatas) consectandas esse in hâc vitâ, vitamque ab omni curâ & labore vacuam otiosè transigendam esse; ideò nunc & laboris ac operarum meminit, quæ honestæ illi voluptati sint jungendæ: ut videl. officij ac vocationis non obliviscatur, quâ Deo & proximo deserviat, sed fideliter gnaviterque eâ defungatur: Ideò & *Laboris* antè meminit, quo laborandum sit homini *sub sole*; nunc quomodo is ipse aggrediendus & præstandus sit edocet ℣. 10. Quibus indicat

1. La-

1. *Laborem* non esse declinandum aut subterfugiendum, qui bonus est, & ad Dei gloriam & proximi commodum vergit; sed potius *quærendum* esse: ideò ait, *Omne quod invenerit manus tua ad faciendum, fac:* h.e. Consectandus tibi labor, ut habeas quod agas: Man soll Arbeit suchen/ jhrer nachgehen: Uti faciunt manufices industrij aut etiam famelici: sicutque mercatores quærunt emptores. Huic adversantur Otiosi, Scheuh den Pflug/ qui laborem fugiunt, qualis ille qui talentum defodit; nec laborare volunt, utcunque amplissimam ejus haberent copiam. At nullum vitæ genus periculosius, quàm Otiosorum. Verè enim Bernard. super Cantic. *Qui in labore hominum non sunt, in labore Dæmonum erunt.* Quî sic? *Mens otiosa nihil aliud cogitare novit, quam de esca & Venere,* ait Leo Papa.

2. *Laborem non esse differendum* aut procrastinandum, sed incunctanter ad manus sumendum: Man soll sich nicht lang besinnen. Secus illi, qui in meridiem ac vesperam morati sunt in foro, nec mox à diluculo se in vineam contulerunt. Matth. 20.

3. *Omni conatu, studio,* contentione, totisque adeò viribus laboribus insistendum, donec ad finem feliciter perducatur. Contra ignavos, qui remissè, negligenter, perfunctoriè agunt quæ agunt, sæpeque medio opere deficiunt; ac opera vel tenuia vel imperfecta relinquunt.

Ad istam verò in peragendâ functione sedulitatem ac industriam non sine caussa hortatur Sapiens; *Siquidem,* ait, *non est opus aut ratio* (h.e. ratiocinatio, cogitatio) *nec scientia, nec sapientia in sepulcro, quò tu tendis,* Hebr. *properas.* Emph. tu properas ad mortem, maturanda ergò tibi opera bona. q.d. Vitam præsentem vanam esse ac instabilem, simulque perbrevem; quare tempus quoad licet esse benè collocandum ac redimendum, nec inutiliter otio ac desidiâ terendum. Postquam enim homo mortuus fuerit, non ipsi superesse amplius locum aut tempus faciendi ac præstandi ea, quæ dum viveret, facere neglexit: quod si aliquod damnum sequatur ex neglectu operis, quod præstare tenebatur, perpetuum illud fore, ac irreparabile, non absque ejus post mortem/ dedecore. Verba Salomonis cum micâ salis capienda. Neque enim omnem rationem aut scientiam simpliciter mortuis adimit. Scimus enim animas beatorum in cœlis, Dei aspectu & communione frui, unde ad summam sapientiam & cognitionem pro tempore deveniisse dicendæ sunt. Loquitur ergò

ere-

1. respectu *corporis*, quod in sepulcro putrescens, inidoneum est ad agendum quicquam.

2. respectu *rerum, quæ in hac mortali vitâ geruntur*, quarum cognitio aut notitia mortuos fugit: uti superius Ψ.5. quoque asseruit.

Usus. Excitet hoc quoscunque in officio negligentes, in rebus aut rationibus componendis ac subducendis incuriosos, in re œconomicâ desides: agnoscant, quantum sæpè damnum suboriatur, ipsis derepente per mortem hinc abreptis, si quæ agenda erant, non instanter peregerint.

Elegantissimè porrò monitum hoc Salomonis ad bonorum operum exercitia, studiaque pietatis trahitur, cumprimis vitæ emendationem: ne vel cunctanter, vel negligenter ea tractemus, sed cum fervore, & omnibus, quas Deus suggessit viribus: quò spectant similia scripturæ monita, Joh.9.4. *Dum dies est, &c.* Gal.6.10. *Dum tempus opportunum est, simus benefici.* Ephes.5.16. *Redimite tempus.*

Ratio itidem validissima: Quia post mortem, nullus amplius est locus vel tempus bona opera præstandi, quæ Deus compenset; aut agendi pœnitentiam, aut precandi veniam, &c. Psal.6.6. & 88.12. Esai.58. 18. Mercedis erit illud seculum, non operis: Accipiet tum quisque prout in corpore fegesserit. 2. Cor.5.10. Unde *Nazianz.* ait Vitam nostram esse mercatum, in quo omnis generis merces venum prostant, ut cuiq; quantum volet emere liceat; finito verò hoc vitæ mercatu, merces aliò avehi, ut nehilum quis emere ultrà possit.

Usus 1. Quicquid ergò boni operis præstare possumus, instanter peragamus. O quàm deplorabunt damnati tempus irreparabile, quàm optarent suppetere sibi tempus quantumcunque pœnitendi, & benè agendi, siquidem possent? sed præcisa est omnis indulgentia.

Caveamus, sapiamus, &c.

2. Stolida *Purgatorij* expiatio: Nunquid enim indicibili cruciatu eluere residua peccata, opus maximum foret? At nihil horum scriptura habet. Unde frivola exceptio; Negare Salomonem tantùm propria merita, non aliena suffragia, quibus sc. laborantes in purgatorio juventur, Opus enim primarium ad plenariam sui redemptionem præstant laborantes in purgatorio: licèt ut dicunt, pro maturatione illius precibus viventium juventur. *Quando istic excessum fuerit, nullus satisfactionis effectus.* Cyprian. Hier. in Matt.22. venustè illud, Ligatis manibus, &c. exponit: *Quia*, inquit, *post mortem non potest peccator bonum operari, nec ad salutem reverti.*

CON-

HOMILIA VIII.

TEXTUS ℣. 11.

Convertens me animadvertebam ſub ſole non eſſe levium curſum, neque robuſtorum prælium, nec etiam ſapientum cibum, neque etiam prudentum divitias, neque etiam ſcitorum gratiam; ſed tempus & caſum accidere omnibus his.

IAndem de rerum & actionum omnium humanarum *exitu & eventis* ſermonem inſtituit, monens, quomodo de illis ſit judicandum. Nihil enim eſt, quod vitam præſentem quandoque magis interturbet, atque moleſtâ ſolicitudine gravet, quàm dum vel dubij pendemus eventuum; vel alium res noſtræ exitum ſortiuntur, quàm nobiſcum præſtituimus. Ne ergò tranquillitas vitæ hujus, (de quâ præcepta jam dat Salomon) nobis adimeretur, docet, quomodo de Eventis ſit ſtatuendum: Nempe

Rerum & actionum noſtrarum eventus, non noſtris ſeu humanis niti conſilijs, viribus, induſtriâ, ſapientiâ, velocitate, prudentiâ, ſtudio, opibus; ſed pendere à Dei nutu, regimine, & providentiâ; qui & tempus omnibus deſignarit, quando; & modum, quo ſuccedere ac evenire debeant. Huic igitur cuncta committenda; nec ſcrutandos eventus, ut qui hominem lateant; v. 12.

Docet ergò Salomon duo:

1. *Rerum eventus non ab homine, ſed Deo pendere.*
2. *Nequidem illos hominem prænoſſe.*

I. Eſt verſ. 11. Text. *Convertens me animadvertebam*, q. d.

Utcunque videri posset, nihil magis ad cursum valere, quàm velocitatem; ad bellicam victoriam, quàm fortitudinem; ad panem & victum conquirendum, quàm sapientiam; ad divitias congerendas prudentiam; ad favorem passim obtinendum, scientiam, &c. attamen eventu ipso contrarium sæpissimè liquet, ut non semper is, qui præstitutus & speratus est eventus, sequatur: adeò ut ab humanis istis, & causis inferioribus non necessariò effectus dependeat; sed à potiore & supremâ aliquâ causâ, omnium motrice & directrice, Deo vid.

Hunc in sensum, plura alia faciunt Scripturæ dicta; Prov. 16. 1. 9. Jerem. 10. 23. Psal. 37. 23. & 127. Joh. 3. 27. 1. Cor. 3. 7.

Usus. Videmus ergò hinc nostram ἀσθένειαν, ut licèt omnes vires & nervos intendamus, omnemque sapientiam & industriam conquiramus, certò tamen & indubitatò nobis de successu & eventu quem præstituimus, nihil nobis promittere valeamus: sed expectandum quem Deus rebus nostris eventum sit largiturus. Itaque rebus nostris, viribus, opibus, consilijs, industriæ non innitamur aut confidamus. Jerem. 9. v. 23. Sed in Deum respiciamus, ac res nostras, earumque successus & eventus in solidum Deo, ejusque voluntati ac beneplacito deferamus. Jacob. 4. 13. &c. Nec si aliter res nostræ ceciderint, quàm nobis præstitutum erat, inaniter nos torqueamus, de medijs neglectis vel incommodiùs usurpatis, cùm ex eventu de Dei dispositione constet. Ejus arbitrio nos subjiciamus, placeatque quod Deo placuit, ideò quia ei placuit, ut dixit Seneca.

Quæstio hîc occurrit, *de Medijs*: An Media perficiendis rebus apposita negligenda, cùm non ab ipsis, sed Dei nutu eventus dependeant; qui diversissimus sæpè & contrarius est mediorum respectu. Dixeris enim, si nihil ad cursum velocitas, ad victoriam fortitudo, &c. perinde est, sive quis instructus sit his medijs, illisque utatur, sive non; siquidem is eventus secuturus sit infallibiliter, quem Deus decrevit?

R. Immò media legitima omni conatu adhibenda, faciendumq; quantum nobis est in viribus, ad impendentia mala averruncanda, aut futura præcavenda. Nec enim media divinæ providentiæ adversantur, sed per eandem potiùs ordinantur ad fines à Deo ipso intentos. Rectè igitur faciunt pauperes, si laborem; profugi si eleemosynam; ægroti si pharmaca; milites si arma justamque defensionem; oppressi si Magistratûs vindicias, afflicti si solatium è Dei verbo, &c. arripiant. Quin immò negli-

negligere oscitanter media, si adsint, & tentare Deum est, & ingratitudinis in ipsum nota. Etenim & pro ingenti providentiæ divinæ beneficio agnoscendum est, si rebus adversis media occurrant, elabendi è præsenti miseriâ, aut in melius rem nostram mutandi. Id David egit: licèt enim fœderis arcam secum deportari recusarit, quia superstitiosum fuisset ab eâ potius expectare præsidium, quàm Deo ipso; media tamen convenientia alia non neglexit; fugam arripuit orto rumore, retinuit secum homines fidos, per quos consilia hostium exploraret, immò everteret, &c. fecitque adeò quantum potuit. Ezechias Rex, certus de prolongatione vitæ, tamen emplastrum è ficubus ulceri imposuit. Observandum tamen, ut inculpabilis sit mediorum usus:

1. Ne sint *illa illegitima*, aut Legi Dei adversa. Cujusmodi sunt quæ ab ope Satanæ dependent, aut aliâs crimina sunt manifesta; Veluti, si ægroti ad magicas incantationes, uti fecit Ahasias, 2. Reg. 1. pauperes ad furta, rapinas, latrocinia, cum Oeconomo infido, Luc. 16. milites ad artem Pallavicam, litigantes in foro ad technas, circumductiones, corruptionem Judicis, &c. sese conferant.

2. Ne *fiducia* in medijs etiam permissis collocetur. Psal. 62. 11. Tum enim mediorum quorumcunque usus, maledictus est. Jerem. 17. 5. Hoc enim est creaturam anteferre Creatori, hujusque honorem in illam horrendo sacrilegio transferre.

3. Ut medijs *preces* jungantur. Quia mediorum virtus & effectus pendet à Deo, ejusque benedictione. 1. Cor. 3. 7.

4. Ut eventus Deo committatur post usum mediorum; nec quicquam ei præscribatur: uti fecisse leguntur *Joab* & *Abisai*, 2. Sam. 10. 9-12.

5. Ne deficientibus medijs congruis, ipsi quoque *deficiamus*,

a. Quia Deus agit sine medijs. Matth. 4. 4. Quippe sine quibus cœlum & terram condidit. Rom. 4. 17.

b. Quia ad ordinaria media non est alligatus. Cuncta enim habet in suâ manu; Itaque nunc his nunc alijs adhibitis agit, pro lubitu.

c. Quia exiguis contemptisq; medijs maximas res efficit: & perinde est ipsi, sive per paucos sive plures juvare. 1. Sam. 14. 6. 2. Chr. 14. 11.

d. Quia per contraria media sæpiculè agit, ipsamque rerum naturam inflectit, & mutat: ut ignis non urat, Dan. 3. 27. aqua immota muri instar consistat, sicuti factum cum mari rubro, Exod. 14. 22. & Jordane, Jos. 3. 16. ut Sol cursum sistat, Jos. 10. 13. aut retrocedat, Esai. 38. 8. &c.

Sed jam in thesi audiamus, cuinam rei Salomon tribuat ac deferat rerum & actionum humanarum successus & eventus. Ait, *Tempus & casus accidit omnibus.* Loquitur vulgi more. Intelligit autem Tempus & casum cuiquè rei à Deo destinatum: q.d. Quæcunq; moliuntur ac satagunt mortales: omnia reguntur Dei providentiâ; atque eo tempore eveniunt, eoque modo & ratione cadunt, quo Deus definivit.

A. Loquitur primò de *Tempore*, innuens tempora & occasiones rerum, quibus evenire debeant, in Dei esse manu, nec ullis hominum artibus aut viribus anticipari aut differri posse. (Vide Hom. 1. in Eccles. cap. 3.

B. Secundò de *Casu & Fortunâ*: Minimè verò putandum est, Ecclesiasten juxta Epicuri & Philosophorum quorundam sententiam censuisse, Casum & Fortunam in rebus humanis dominari, seu cæco casu fieri quæcunque eveniunt, sine aliquo Moderatore: nihil enim aliud *per Casum aut Fortunam* intelligit quàm *Dei Providentiam*. Casus enim & fortuna per se nihil sunt in mundo, sed mera nomina, quæ verarum causarum, & Dei ipsius ignoratio peperit, ut fatetur Cicero 4. Acad. Quæst. Quia n. proprias rerum causas, cur hoc vel illud, isto vel isto modo secus quàm præstituerât, evenerit, indagare non potuerunt homines, nec etiam subitaneos eventus prænosse ac prævidere; ad Casum & Fortunam delapsi sunt: eoque tandem progressi Gentiles passim in orbe, ut Fortunam in Deam extulerint, ac ceu primam Deorum mirè coluerint, aras & templa dedicarint, tanquam quæ omnia regeret; rerum omnium eventus disponeret; secunda, adversa, pro arbitrio mortalibus divideret; & hos faciat formosos, opulentos, felices; illos deformes, pauperes, miseros. *Ipsa* (ait Dio Dionys. Chrysost. Orat. 63.) *bella gerentium est victoria, & pacem agentium concordia, & nuptias contrahentium benevolentia, & amantium voluptas, & breviter, Bonus in omni re successus.* Seneca Epist. 14. *Initia in potestate nostra sunt, de eventu Fortuna judicat.* Nobis verò Christianis abstinendum ab ejusmodi Idololatricâ opinione; ac quæ casu seu fortunâ fieri videntur, certâ Dei Providentiâ regi ac definiri firmiter statuamus. Siquidem Providentiâ Dei determinantur, quæ maximè fortuita nostris oculis videntur. Homil. 5. in Eccles. 3.

Ac Gentiles quidem, cùm *Fortunam* nominarent, revera Dei *Providentiam*, licèt ejus ignari, dixisse, liquet è comparatione utriusque;

quæ

quæ enim Gentiles Fortunæ Deæ tribuerunt, appositè in Dei quadrant Providentiam.

1. De Fortunâ Ethnici perhibuerunt, quòd elatos deprimat, humiles evehat: Idque Dion. orat. citat. confirmat exemplo Alexandri M. felicitate insolescentis, atque multa dum felix esset facinora temeraria designantis, & non ferentis audire Philippi Filius sed Jovis: *quem tandem vulneratum, adegit Fortuna* (ait) *ut confiteretur se hominem esse: Moriens autem confessus est, Fortunam magnam esse Deam.* Sed enim hocipsum de Dei regimine Scriptura asserit, 1. Sam. 2. 6. 7. Psal. 33. 10, 11. Luc. 1. 51. &c.

2. Fortunæ tribuerunt sortes: Easdem Scr. Deo, Prov. 16. 33.

3. Fortunam finxerunt insistentem sphæræ volubili, ad ejus inconstantiam designandam: Ita certè nihil in humanis firmum, fluxa & momentanea cuncta; Unde verò nisi à Deo? Esai. 40. 7.

4. Fortunam duplici fingebant facie: anteriore albâ & splendidâ; posteriore nigrâ & obscurâ; indicantes, penes illam arbitrium bonorum & malorum subsistere. Hæc verò ipsa Deus sibi jure tribuit, Esai. 45. 7. ac Jobus agnovit, utraque à Deo manare, bona ac mala.

5. Fortunam cæcam finxere, ac à quatuor cæcis equis improvidam & præcipitem trahi; & ut ait Ovid. Epist. ad Liviam, *qua cæcis cæca triumphet equis:* quia sc. bona non rarò indignis obveniant, mala bonis: At verò hoc ipsum est, quod Deo superiùs tribuit Salomon. v. 2. & cap. 8. 14.

6. Denique Fortunæ motum occultum esse dicebant: sic nobis inscrutabilis Dei Providentia, & dispensatio. Rom. 11. 14.

HOMILIA IX.

In eund. Text.

INter sapientissima præcepta, quæ Salomon de vitæ hujus rectâ institutione hoc libello præscripsit, maximum penè videtur esse; quòd in cunctis nostris rebus & actionibus doceat nos, in Deum ejusque Providentiam respiciendum esse; firmiterque statuendum, eventus omnes ab ejus nutu

& directione pendere; non verò nostrâ, quantacunque demum fuerit industriâ, sapientiâ, potentiâ: neque adeò confidendum esse in illis, quæ nostra sunt; sed in Deo, à quo cuncta dependent. Et hoc quidem exsertè satis verbis relectis innuit noster Ecclesiastes: quorum generalem interpretationem nuper vidimus: nunc τὸν Θεὸν ad specialem singularum particularum progressuri explicationem.

1. Nec velocium esse cursum.

Loquitur primariò de insidijs & periculis devitandis, ad quod maximè conferre videtur velocitas in cursu, seu susceptâ fugâ. Sicut enim imminente periculo fugere licet ad vitam tuendam, quod sanctissimi quique fecerunt, Mose, Jacob, David, Elias, Joseph, Paulus alijque; ita plurimùm ipsis profuit velocitas. Ne tamen quis velocitati currentis in solidum tribuat, quod insidias effugit; scitè indicat Salomon, minimè id à velocitate hominis pendere; sed Dei potius nutu & Providentiâ, qui prout vult, quorundam cursui ita benedixit, ut per illum discrimina effugerint, quod alijs non minus velocibus perinde non obtigit. Extant enim exempla eorum, qui fugâ vitæ consulturi, irrito conatu id egerunt. *Joram*, 2. Reg. 9. 33, 34. *Ahasias*, Ibid. v. 27. *Tzedekias*, 2. Reg. 25. 4, 5. Immò Ahasaëli velocitas sua fraudi fuit, eumq; ad mortem potiùs promovit, 2. Sam. 2. 18. Hinc illæ comminationes, quibus fugam omnem irritam se facturum immorigero populo Deus est interminatus, Amos 2. 14, 15, 16. Jerem. 46. 6. Esai. 30. 16.

Usus 1. Ne quis igitur vel suæ, vel jumenti sui velocitati, confidat; sed in Deum ut datorem sic conservatorem vitæ respiciat. Quod notent milites, quibus velocitas apprimè aliàs est utilis, seu insequendus sit hostis devictus, seu à victore fugiendum. Neque enim rebus conclamatis ignominiosum fugere, seque opportuniori loco ac tempori servare; sicuti apud Plutarchum dicebat Demosthenes: Vir fugiens iterum præliabitur.

Usus 2. Sed & illi qui fugâ pesti subducere se tentant; nihil effecturi invito Deo, appetente destinatâ mortis horâ: quâ quocunque fugient, mors per fenestras in eos irruet. Jerem. 9.

ALLEGORIA.

D. Apostolus de *spiritualibus* disserens, & nominatim quidem Prædestinationis mysterio, Rom. 9. ait; *Non est volentis neque currentis, sed*

miseri-

miserentis Dei, innuens electionem nullâ hominum prærogativâ aut merito niti; sed potius Dei gratiâ & beneplacito. Videtur autem alludere ad studium vehemens Rebeccæ pro filio Jacob, ut benedictionem paternam in eum derivaret: tum etiam ad festinationem Jacob ad gregem, quam miratus pater insçius, dicebat: *Quomodo tam citò invenire potuisti, mi fili?* cui Jacob: *Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi, quod volebam.* Ne ergò cursui aut velocitati Jacob deferretur, quod benedictionem nactus est, innuit Apostolus, eam divinitus ipsi fuisse deputatam, cùm aliàs jure primogenituræ ad Esavum pertinuisset; ne perinde naturæ seu primogenituræ deberi benedictionem æstimaretur.

ADHORT. Quanquam verò cursui nostro cœlestis benedictio transcribenda non est; nobis tamen quantâ possumus velocitate in stadio fidei & pietatis procurrendum, ut brabejum coronæ gloriæ obtineamus: non quòd illa propter cursum nostrum nobis obtingat, sed quia nemini datur nisi currenti & decertanti legitimè, idque ex gratiâ: quò facit quod ait de se Apost. 1.Cor.9.24.&c. Hebr.12.1. Currendi certamina apud Græcos fuerunt ludi Olympici, apud Romanos Circenses. Currendum decenter & decertandum, 2.Tim.2.5. ut semper ad anteriora feramur, mundanis vanitatibus à tergo relictis, Phil.3.13. abstinentes ab omnibus, 1.Cor.9.25. luxu sc. & voluptatibus carnis; depositio omni onere solicitudinis terrestrium, & peccato quo circumdati, Hebr.12.1,2. (frequentiùs enim nudi, subligaculis tamen præcincti currebant) Qui curribus seu curriculis certabant, eorum potissima cautio erat, ut flexo cursu metam potiùs contingerent, quàm impingerent, sicq; metam servidis evitarent rotis: Ita maximè appetente termino vitæ, solicitè cavendæ Satanæ & carnis tentationes: ita feliciter cursum nostrum absolvemus, impetratâ gloriæ coronâ, 2.Tim.4.7. quam tamen non nostræ velocitati, sed gratiæ divinæ debemus, Ephes.2.8,9. Gratis eam is confert, qui gratis præstituit ac promisit.

2. Nec fortium bellum.

Videtur ad declinandos hostis impetus, & obtinendam victoriam, nihil aliud requiri, præter animi corporisque robur & fortitudinem: nec dubium plurimùm illam ad bellum feliciter gerendum valere, ac hostes domandos: uti liquet exempl: Samsonis, Jonathanis & armigeri, 1. Sam.14. Itidem tamen exempla docent, eventum non semper viribus & fortitudini respondere; quod expertus Goliath ab imbelli Davide inter-

interemptus,1.Sam.17.Filij item Raphæ,2.Sam.21.16.& seqq. Ne quis igitur in fortitudine suâ glorietur vel confidat, sed in Deo, à quo solo pendet victoria & eventus bellorum.Prov.21.31.Psal.33.16,17.Ptalm.118. ℣.16.Psal.44.10.2.Chron.25.8.

Usus. Militibus igitur ac Ducibus in Deum conjiciendi oculi, ab eo petenda victoria,&c.

3. Nec sapientium panis.

Æquissimum esset,ut nullum hominum genus minùs inopiâ laboraret,quàm sapientes; cùm sapientiâ nihil sit vel excellentius, vel utilius in humano genere; eoque tantum saltem sapientiâ suâ homines periti consequi debere videntur,ne desit ipsis panis; sed contrarium sæpè experti homines sapientissimi,uti liquet vel solius Pauli exemplo, qui fame sæpè pressus, licèt ipse sapientissimus, alijsque ad divinam sapientiam manuductor.Phil.4.11. Copiosè contrà panem habuerunt Nabal,& qui Stultus vocatur Luc.12.20. Et quid tritius, quàm artifices optimos plerunque pauperes esse; divites contrà, qui ad omnia inepti? Quin & vulgatum in mundo, quod apud *Athenæum Xenophanes Colophonius* queritur contra Athletas pro sapientibus,: illi enim apud Græcos alebantur de publico,honoribusque publicis; non item sapientes: Ita vires corporis præferebantur dotibus animi,inconvenientissimè. Ne quis igitur panem & victum judicet ita sapientiæ aut arti alligatum, ut qui illâ sunt præditi,à penuriâ exempti sint ac fame: A solius Dei pendent ista dispositione,ex ejus manu panis omnibus captandus,atque illo invocandus. Similiter, necqui veræ sapientiæ, h.e. pietati student,nunquam pane carituros,aut penuriam passuros se propterea existiment.Licèt enim Deus Conservator sit maximè fidelium, non tamen tali privilegio donavit pios,quasi nulli unquam famem experiri debeant. Contrarium testatur exemplum Lazari, Luc.16.20.21.

4. Nec Prudentium divitiæ.

Ad congerendas divitias duo requiri videntur, 1. *prudentiam seu versutiam* ad negotia lucrosa ritè tractanda; quâ pollebat iniquus œconomus,Luc.16.8. versutè agebat Jacob, ut dives pecoris evaderet,Gen. 30. 2. *tùm etiam industriam, laborem ac solicitudinem*, quam de avaris enunciavit Ecclesiastes,quòd insomnes agant noctes,cap.8,16.ac ingen-

ti

ti cum animi perturbatione vitam transigant.c.5.16. Utrumque *prudentium* appellatione indigetavit *Salomon*: nec diffitendum est complures hâc ratione ad ingentes divitias pervenisse.

Sed enim in rei veritate, Divitiæ pendent à fortunâ, h.e. ut alibi explicat *Salomon*, à Dei benedictione, Prov.10.22. Hinc est, ut quibus Deus destinavit divitias, eas assequantur, quum nec magnâ utantur prudentiâ nec industriâ, aut (ut sapiens loquitur) sine molestiâ: *adjiciuntur illis*, Matth.6.33. velut in somno, Psalm.127.3. Typus in Petro piscante, Luc. 5.6. Conf. Psalm.1.3. Videris contrà alios, qui nullum non lapidem movent, qui famam, vitam, æternamque adeò salutem impendunt, dum Dei, conscientiæ, Christianæ charitatis, æquitatis, &c. obliti, propolia, fœnora, furta, fraudes exercent, ut opes conquirant, incassum tamen omnia: quia contra Deum est ejusque consilium, ut ditescant: itaque inanis est omnis ipsorum calliditas, industria, nequitia.

Ac licèt quandoque non parum profeciisse videntur; mox tamen perdunt Deo maledicente, successumque negante; utpote qui mille medijs instructus est, ad injustas opes vento citiùs difflandas, per varia infortunia, quibus impios Mammonistas justissimè plectit; aut morte intempestivâ præventos ad extremam in gehennâ pauperiem trudit, ut ne guttula aquæ illis suppetat. Luc.16.24. Jerem.17.11. Summa, *Divitem & pauperem facit Deus*. 1.Sam.2. Prov.22.2.

Eoque si Deus te volet divitem, ultrò quasi media affluent: sin minus, nihil efficies nec fas nec nefas. *Deo non dante nihil facit diligentia, Deo dante nihil facit invidia*. Nazianz.

Est *magnus quæstus pietas μετ' αὐταρκείας*: Nihil felicius eo homine, qui ejus est studiosus: & tranquillam is degit hic vitam, & certus est æternæ; quæ non opibus quærenda, utpote gratis danda pijs, Apoc.21.5. sed quæ opum consectatione perditur. Matth.19. Ratio, quia terrena curans, perdit cœlestia. Prudentissimè agunt, qui thesauros recondunt in futurum, 1.Tim.6.19.

5. Neque scientium est gratia.

Intelligit peritos artifices, in quocunque scientiarum artiumque genere, quos viri principes, alijque rerum æstimatores æqui, in magno sæpè habent precio, ac singulari amore & favore prosequuntur: uti constat exemplo Hirami solertissimi illius fabri, quem Rex Hiram miserat ad

Salomonem, eumque Patris sui encomio dignatus est: 2.Chron. 13. Sed nec favor, gratia, applausus semper sequitur aut comitatur peritiam: immò contrarium verius, ut perdant gratiam, & invidiam sibi attrahant, qui præ alijs virtutis, experientiæ, peritiæ nomine inclaruerunt. Ex. Christi ipsius.

Fortunam & invidiam insolubili nexu colligatas esse, veteres dixerunt: adeoque meliorem esse invidiam, quàm commiserationem, quòd illa nota sit felicitatis, hæc miseriæ.

Nihil verò tritius, quàm homines imperitos, ineptos, & bardos, majorem sæpè favorem & applausum, vulgi præsertim habere; atque ad honores & officia promoveri; posthabitis alijs peritioribus longè ac dignioribus. Sic ut non immeritò quidam inter signa inepti & flagitiosi hominis recensuerint, vulgi favorem & applausum. Audi Senecam: *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant; argumentum pessimi turba est.* cap.2.de vitâ Beat. Et Epist.29. *Malis artibus popularis favor quæritur: similem te illis facias oportet. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest.*

Irritus ergò conatus est, si homines periti, & artifices experientiâ clari, existiment, se hoc medio gratiam hominum sibi indubiè conciliaturos: Favor omnis, seu magnatum seu inferiorum, à Deo, qui corda hominum inflectit quò vult. Prov.16.9.

Usus. Intenti igitur simus in Deum, is gratiam conciliabit, apud quoscunque suis id conducet: immò apud inimicos. Prov.16.7.

Cæterum mundi favorem, ne tanti faciamus, ut ad eum assequendum, committendum nobis sit aliquid, per quod Dei favore & gratiâ excidamus: ut moris est in mundo, falsis adulationibus, largitionibus, detractionibus proximi, peccatis alijs in gratiam eorum commissis, quorum favorem ambimus: Satius enim est totum mundum adversarium habere, & solum Deum fautorem, quàm Dei favorem perdidisse, ut mundi gratiam retineamus. Luc.9. Majus enim quod est à Deo seu lucrum seu damnum, quàm quod à mundo: Matth.16. immò à mundo nullum aliud lucrum, quàm inimicitiam Dei habemus. Valeat ergo mundus.

Medium conciliandi favoris apud Deum & homines, Scriptura ait Beneficentiam. Prov.3. Benefici enim erunt filij altissimi. Luc.6.35. pauperes habebunt amicos, à quibus recipientur in æterna tabernacula. Luc.16.9.

HOMI-

HOMILIA X.

TEXTUS ℣.12.

Etiam nescire hominem tempus suum, sicut nesciunt pisces qui capiuntur reti malo, & ut nesciunt aves quæ capiuntur laqueo; sicut ista irretiri filios hominis tempore malí, quum irruit in eos repentè.

HActenus docuit *Salomon*, Rerum & actionum humarum eventus non esse in manu & potestate hominis, ut de illis pro lubitu suo disponere possit; sed à solius Dei nutu, consilioque dependere, atque per ejus providentiam dirigi ac determinari. Idem jam, gradatione quâdam factâ, tam certum esse innuit *Salomon*; ut ne quidem constare possit homini, quem res suæ eventum sint sortituræ, hoc omne ipsum latere, adeò ut contrarium sæpè quàm putarit vel sperarit, vel intenderit, exitum habeant: tantum sc. abesse, ut penes ipsum stet, talem rebus suis successum & eventum largiri quem volet, vel optet.

1. *Proponit id primò gnomâ generali.*
2. *Confirmat & declarat idem geminâ similitudine.*

PRIMUM.

Gnoma est: *Quia etiam homo nescit tempus suum. Tempus* intelligitur, tum *Futurum*: ut sensus sit, ignorare hominem futuram sortem suam: tum *Adversum*; seu tempus calamitosum: q.d. latere hominem impendentia mala, atq; inter ea articulum mortis: quemadmodum id concludere licet è seqq. similitudinibus retis & laquei, & inopinatæ piscium & avicularum capturæ. Atque hæc omnium hominum sine ex-

ceptione est conditio, piorum æquè ac impiorum: ideò *Salomon* generatim dicit Homo.

DOCTRINA.

Etsi Deus hominem ad imaginem suam condidit, non tamen omniscium fecit: quia omniscientia soli Deo propria. Actor. 1. 7.

Caussam rei exponit *Chrysost.* Hom. 50. in Matth. dicens: *Neque enim Deus, qui omnia mysteria dicit hominibus, invidet scientiæ nostræ, sed quia non omnium scientia nobis prodest.*

Dum Adam persuasu Satanæ omnimodam boni maliq́ue scientiam, sicque æqualitatem cum Deo adfectasset, atque de fructu veritæ arboris, quæ arbor scientiæ boni & mali dicta erat, comedisset; universum genus humanum in exitium præcipitavit. En fructum affectatæ ab homine omniscientiæ teterrimum.

Observandum verò cumprimis: quòd non modò Deus aliarum rerum scientiam, quæ extra hominem sunt, ipsi occultaverit; sed cumprimis propriæ suæ sortis & futuræ conditionis; idque propter eandem caussam, bono sc. hominis. Quò respicit Sapiens cap. 7. Eccl. v. 14. (Vide Homil. 12. in cap. 7. Eccl.)

Hinc est, quòd homo nescit, quid sibi posthac obventurum sit, an prospera an adversa ipsum maneant. Ac licèt mortis certissimus sit, articulus tamen mortis, quo moriendum erit ipsi, incertissimus est ipsi planè: easdem quibus dictum, ob caussas. (Vide Homil. 4. in cap. 8. Eccles.)

ALTERUM.

Id ipsum porrò declarat Ecclesiastes duplici similitudine *ab avium & piscium capturâ*, desumptâ: quæ tamen utraque eòdem recidit: videlicèt, adeò futuræ suæ sortis esse insciium hominem, ac de rerum suarum eventis incertum; ut tum maximè, quando optimo sibi statu esse videtur, sibique haud vulgare gaudium ac felicitatem pollicetur; illicò tamen & inopinatò malis quibusque, judicijs Dei horrendis, ipsaque adeò morte obruatur.

Quid enim nisi delicijs inhiat piscículus, dum escam arripit, quæ ab exitiali

exitiali hamo dependet? Nunquid tutissima sibi videtur avicula, dum granula colligit, laqueum quo incauta constringitur, minus curans? Ita verò non studiosorum pietatis conditionem describit, qui in timore & tremore salutem suam operantur, atque à noxijs istiusmodi hamis & retibus sibi, quantum licet, cavent: sed de improbis & securis hominibus, qui hujus seculi vanitates sectantur, nullâ animæ & salutis habitâ ratione. Ideò rete seu hamum vocat malum, h.e. pernicioſum, funestum, lethale: Tempus item malum, ab eventu, propter insidiosum & exitiosum mali insperati incursum.

Cuncta appositè ad praxin hujus seculi, juxta interpretationem D. Augustini de agone Christiano c.7. *Gaudet piscis quando hamum non videns, escam devorat: sed cum piscator cum adducere coperit, viscera ejus torquentur primo; deinde ab omni lætitiâ suâ per ipsam escam, de quâ lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur. Veniet tempus, ut sentiant quanta tormenta cum avidi ate devoraverint.* In hunc sensum, *Mare* mundus est, totus nim. in malo jacens, in quo improbi homines, velut aquis scelerum immersi, deliciantur: qui idem per campos virides, sylvasque umbriferas adumbratur; quibus aves mundanæ, cantu & saltu, atque ex rapto viventes, impunè luxuriantur.

Auceps & piscator est Diabolus, qui passim laqueos tendit & insidias struit hominibus. 2. Tim. 2. 26. 1. Petr. 5. 8. Narrat Athanasius de S. *Antonio*, in visione conspexisse totum mundum laqueis plenum, quos animabus sursum tendere conantibus tendebant dæmones, illisque eas illaqueabant ac capiebant. Unde dolens oransque, Domine quis hos laqueos evadet? audijt. Humilitas.

Esca, laqueus, hamus, quibus inescantur, decipiuntur, & capiuntur homines, sunt res temporales, & vanitates hujus seculi, quas mundani toto impetu & fervidissimè consectantur. Ita verò capiuntur & decipiuntur à venatore Satanâ, qui æternam ipsis mortem & gehennam intentat.

De *divitijs* exsertè, *Qui diteſcere volunt, incidunt in laqueos, &c.* 1. Tim. 6. 9. de voluptatibus & superbiâ, 1. Joh. 2. 16. Psal. 69. 22. Cuncta ista uno obtutu objecit Satan Christo, dum eum tertiò tentaret, inquiens, *Hæc omnia tibi dabo*, &c. q.d. eris opulentissimus, honoratissimus, voluptatibus cunctis abundans, quippe totius mundi Dominus, quo ad nutum & placitum tuum uti possis. Hæc esca erat: hamus, si adoraveris me; ita verò

Christus Satanæ & exitio totum se devovisset, aversus à Deo. Hæc ipsa est praxis quâ mortalibus cunctis insidiatur: Et ô quàm sunt infiniti, qui incauti irruunt in istos laqueos; qui unicè hos quærunt; ac se felicissimos prædicant, si in eos sunt illapsi: si sc. authore Satanâ, h.e. per mala, inhonesta, diabolica media, ad dignitates, opes, vitæque luxum, emerserint.

DOCTRINA.

Hic verò peccati, quod rerum istarum caducarum insectatione attrahitur, *fraus* attendenda, de quâ Apost. Hebr. 3.13. quòd nim. dulcedinem escæ duntaxat obvertat, quâ alliciat; hamum occultet, quo constringat: quòd faciem & anteriora duntaxat monstret, non dorsum & caudam. (Vide quæ superiùs in caput VII. de Fraude peccati diximus.

Usus. Ad cavendos istos mundi Satanæque laqueos, non est aptius remedium, quàm contemptis his inferioribus & caducis, corde sursum ferri ad capessenda cœlestia & æterna. Coloss. 3.1,2. Ut enim aviculæ tum demum aucupis laqueos effugiunt, si in terram se non demittant, sed suprà in aëre suo volatu sese contineant: Ita &c. Exploratoribus terræ promissæ laquei fuerunt tensi complures, quos effugerunt, dum ad montana sese contulissent: Jos. 2.16. Sic &c.

Quòd si Satan igitur nobis persuadere cupit, ut, dum sursum tendimus, nos de pinnis templi præcipitemus, ut nim. in laqueos ejus incidamus; regerendum cum Christo, Deum tuum non tentabis. Matt. 4.7. Ita si mundum contempserimus, tuti erimus ab ejus insidijs: sicuti fecit *Paulus*, Gal. 6.14. *Mundus mihi crucifixus*, Phi. 3.8. *Omnia pro stercore habeo.* Dicere tum poterimus ex Psal. 124.7. *Anima nostra evasit de laqueo aucupum, &c.*

Quia verò mundani excipere possent, *Multo jam tempore se prosperè egisse, nec ullam sensisse* difficultatem vel miseriam; utcunque divitijs corradendis, voluptatibus carnis indulgendo, alijsque generibus injustitiæ litando, hactenus indulserint: Ideò addit *Salomon*, *Quum irruerit super eos repente*, sc. tempus malum: Sensus est, quum sibi impij videbuntur optimo esse statu, pleni delicijs, & immotâ frui felicitate; de improviso ac illicet eos Dei pœnas, & calamitates ingentes, obruituras; immò mortem persæpè diram, è quâ in gehennam sint lapsuri. Exemplis tam subitæ muta-

mutationis fortunæ melioris in calamitosissimam, plena est Scriptura. Antediluviani: Sodomitæ: *Haman* Esther 6. *Balthasar* Dan. 5. *Filij Jobi* c. 1. *Nabal.* 1. Sam. 25. Dives stultus, Luc. 12. Illusores *Samsonis* Philistæi, &c. Quin immò Scriptura, extremi judicij adventum, nihil tale cogitantes improbos & securos homines, laquei instar prehensurum testatur. Luc. 21. 35. Confer 1. Thess. 5. 3. Matth. 24. 38. 2. Petr. 3. 10.

Vigilandum ergò, nec securitati indulgendum, ac lethargo vanitatum hujus seculi immorandum: sed expergiscendum de hoc somno. Ephes. 5. 14. Si cui de nocte insidiæ struerentur, an is dormiret? nunquid vestibus non depositis excubaret, ad amoliendum periculum: At mundus, Satan, caro propria ejusmodi nostræ animæ struunt insidias, ut seductam in peccata, æternæ morti devoveant: quàm igitur excubijs opus? Matth. 26. 41.

HOMILIA XI.

TEXTUS Eccl. 9. 13, 14, 15.

Etiam hanc animadvertebam sapientiam sub sole, qua magna est apud me; Civitatem quandam parvam in qua homines pauci erant quum veniens contra eam rex magnus circumsideret, & exstrueret contra eam munitiones magnas; Adfuit in ea vir indigus sapiens, qui liberavit ipse civitatem istam sapientiâ suâ: nec tamen quisquam recordatus est viri indigi illius.

PARS

PARS CAP. ALTERA.

ABsolutâ disquisitione de Dei providentiâ, redit ad ordinariam considerationem de seculi hujus rerumque præsentium Vanitate, intertextis gnomis & admonitionibus utilissimis. Ac quia inter res caducas *Sapientia politica* omnium maximè præminere videtur, ac velut in solio felicitatis hominem collocare, (unde crebræ ejus hoc in libello laudes) ideò *Salomon* cumprimis nunc ejus vanitatem enucleat, ac ostendit, utcunque maxima sit ejus utilitas ac præstantia, persæpè tamen expositam esse contemptui, aliasque pati difficultates. Occasionem hujus discursûs captâsse videtur ex præced. ψ. 11. ubi sapientiam seu prudentiam parum conferre dixerat, ad parandum panem, conquirendas divitias, aucupandam gratiam inter mortales. Nunc ergo

1. *Sapientiæ aliquam laudem exponit, quæ conspicua sit in servandâ Republ.*
2. *Contemni tamen illam, ex accedente paupertate.*
3. *Præstare tamen illam fortitudini & externæ potentiæ.*
4. *Hoc nihilominus præterea habere incommodi, quòd nim. sapientiæ à vanis & stultis resistatur, pervertatur, ac vilescat variis modis, sicque effectu & usu frustretur: utcunque laudatissima ea sit ac utilissima.*
5. *Et hanc quidem injuriam lenitate mentis superandam esse.*

Tractantur hæc residuâ parte hujus cap. 9. & initio seq. cap. 10.

DE PRIMO.

De primo habetur ψ. 13, 14, 15. a. *Etiam hanc animadvertebam sapientiam sub sole, quæ magna est apud me, civitatem quandam parvam in quâ homines pauci erant, &c.*

Loquitur de sapientiâ politicâ, aut etiam prudentiâ militari, cujus ingentem esse usum ostendit, in gerendâ & conservandâ Republicâ ac civitate.

Nec verò multum interest disquirere, *an historiam* narret *Salomon*, *an modò*

an modò parabolam: quæ enim hîc adducuntur à *Salomone* talia sunt, ut evenire potuerint, & adhuc possint; licèt secundùm enarratas omnes circumstantias, in historijs vix extet exemplum. Benè tamen à *Salomone* adducitur ad amplificandam sapientiæ civilis dignitatem. Quo fine notabilem inducit oppositionem; Civitatis parvæ ac paucorum civium, eoque exiguis præsidijs, ad sui contra hostes defensionem munitæ: & Regis è contrà magni, ingenti exercitu, apparatuque rerum omnium ad expugnandam civitatem instructissimi: quo statu nemo non de ejus occupatione dubitarit. Ait verò virum pauperem in eâ repertum, hunc tamen sapientem, qui ubi vires ad resistendum defecissent, suis consilijs ac sapientiâ urbem tutatus sit ac servarit: vel pacisçendo ac transigendo cum hoste; vel stratagematis alijs eum ad solvendam obsidionem cogendo, cujusmodi multum effici constat.

Simile quid legitur in historiâ *Judith*, quæ Bethuliam liberavit occiso Holopherne. Item de muliere illâ sapiente, quæ civitatem Abelam servavit ab excidio, ad quam Seba confugerat; 2. Sam. 20. 22. Quò referri potest ex. Davidis adolescentis, qui occiso Goliatho per industriam, totum Israëlem à Philistæorum metu liberavit. 1. Sam. 17.

Apud profanos Scriptores laudatur *Archimedes*, qui civitatem Syracusam contra Romanos machinis quibusdam bellicis, quas in eam rem adinvenerat, defendit: adeò ut si funiculum exiguumve lignum de muro conspicerent, machinam aliquam sibi intentari metuerent, ac terga verterent. Plutarch. in vitâ Marcelli. Idem de *Epaminondâ*, ita scribit: Ad 40. annum obscurus Epaminondas, nulli usui Thebanis fuit: ut habita est ei fides, suscepto imperio ruentem civitatem conservavit, ac servientem in libertatem asseruit Græciam. Egregium quod de *Biante* narrat Laërtius libr. 1. quanto ille æstu Prienem patriam suam liberarit ab obsidione Regis Alyattis; scilicet mulis saginatis duobus in castra hostium actis: item horreis arenâ completis, ac tritico opertis, &c.

Genevæ Anno 1602. excubitor quidam pauperculus, cùm Sabaudi internoctu mœnia conscendissent, tormentum obiter explosit, quod confractis hostium scalis, cives simul suo boatu experrexit; ut hostibus expulsis, civitas per eum, Deo sic providente, fuerit liberata.

DOCTRINA I.

Unde videmus, *quantum usum præstet sapientia civilis* in Republ. ad ejus conservationem & defensionem, maximè turbis bellicis exortis. *Ubi non sunt prudentia consilia, corruit populus*, Prov. 11. 14. *Vir sapiens est cum robore.* Prov. 24. 5.

Usus. Hâc ergò cumprimis Viri Principes & Rerumpubl. gubernatores & Prostatæ præditi sunto. (Conc. 5. in Eccles. 4. ℣. 13.)

DOCTRINA II.

Qui *boni & fidi cives* æstimandi, & unde.

Non *a divitijs*: Tales enim sæpè pestes, & concivium hirudines.

Non *à splendore*, pompâ, gloriatione seu multiloquio ac dicacitate: His enim nihil efficitur, cùm in periculum adducitur Respublica vel civitas: Tales sua modò quærunt. Benè *Aristophan.* Odi *civem tardum in juvandâ patriâ, in eâdem lædendâ celerem; & sibi quidem utilem, urbi verò calamitosum.* Unde haud immeritò Rex Joram indignatus videtur Prophetæ Elisæo, quòd civ. Samariâ obsessâ, ipse domi desideret, nec de publico periculo solicitus esset. 2. Reg. 6. 24.

Sed qui sapientiâ est instructus, utcunque pauper & obscurus ac vix notus, qui in patriam fidelis, ac exorto periculo suo eam juvat consilio ac industriâ: quod hominum genus *Rara avis in terris, &c.* Ideò *unus*, ac *inventus* iste dicitur, in textu: ut innuatur, paucos esse, ut quærendi sint: latere sæpè tales, nec agnosci; in precio tamen esse, cùm urget necessitas. & quoad illa durat, ut jam dicetur. Ubi illud prius monuero:

ALLEGORIA.

Eandem esse *pij hominis* rationem in periculis, adeoque sapientiâ divinâ pollentis; quæ hominis civiliter sapientis, ut eum hîc describit *Salomon.* Nam & pij, pauci numero, quum Deus gentem ac civitatem suis judicijs obsessurus esset, si precibus suis ac intercessione consistant in irruptione coram ipso, pro ipsâ terrâ ne exscindat eam, eruunt hoc modo urbem suâ illâ cœlesti sapientiâ; cujusmodi hominem nullum repertum fuisse in Judâ questus est Deus Ezech. 22. 30. Nam & isti rari: cùm tamen & pauci sint, propter illos impijs parcat Deus: ut est Genes. 18.

DO-

DOCTRINA III.

Paupertati & sapientiæ optimè convenit; sicuti vicissim magna est opulentiæ & stultitiæ societas: sæpè sub sordido pallio est sapientia, sæpiùs sub aurato vestitu stoliditas. *Aristoteles* in Problem. sect. 29. c. 4. hanc allegat caussam, cur sapientes sæpè sint pauperes: Quia paupertas undequaque expulsa, non ab alijs suscipitur mitiusque habetur quàm à probis & sapientibus: Stulti enim & improbi, eâ non contenti ad furta & latrocinia se convertunt, ut eam abigant.

Patet igitur sapientiam nec divitijs, nec eminentiæ ac splendori humano alligatam esse, sed magis adversam. (Hom. cit. 5. in cap. 4. Eccles.)

DE SECUNDO.

Text. *Et nemo est recordatus viri illius pauperis.* Videlicèt, nec antè, quia latebat obscurus, nemo ejus tum curam habebat, cum ejus ope non esset opus: nec post præstitum auxilium, & liberatam urbem; quia mox obliterata ejus est memoria, & oblivioni traditus; sic ut propter sapientiam suam, & quod abeâ redundabat beneficium, minimè fuerit in precio habitus, cùm nemo esse debuisset, qui tantùm non adorasset tantum virum, omneque gratitudinis genus in eum contulisset, ob adductam salutem publicam.

Hæc verò trita est mundi ingratitudo, ut de bono publico optimè meritis rara habeatur gratia; modò non invidiam & odium plurimorum sibi conciliarent, in posteros propagandum. Ex. Judæi obliti liberatoris *Gedeon*, non fecerunt misericordiam cum domo ipsius, juxta omnia bona, quæ fecerat eis. Judic. 8. 38. *David* exul cum sexcentis suis militibus Ceilam urbem Judææ, Palæstinis gravi clade affectis, liberavit: & tamen ingrati Ceilani eum Sauli prodituri fuissent, nisi divino monitus oraculo fugisset. 1. Sam. 23. Narrantur in hist. prof. præclari Duces, qui eam ingratitudinem experti, ut post liberatam patriam, & victorias civibus partas, ab ijs in exilium fuerint acti: quod obtigit *Scipioni, Themistocli, Miltiadi, Coriolano*, & alijs. Valer. Max. libr. 5. c. 3.

Id quidem fieri potest, ut sapientes ejusmodi post præstita facinora & merita in Rempubl. insolescant, atque erga concives inhumani aut etiam tyranni evadant; seque adeò honore justaque gratitudine indignos reddant, atque aversationem omnium in se concitent. At de *pau-*

pere sapiente hîc iterata est mentio, qui intra fines sapientiæ, humilitatis, modestiæ, fideique in patriam & concives sese continuit: qui certè tale quid mereri nunquam debet, ut tum ipse, tum ejus merita ingratæ oblivioni mandarentur. Hoc verò malum *à paupertate* proficisci innuit *Salomon*, quę sapientiæ utcunque utilissimæ humano generi, omnem splendorem & dignitatem adimat; idque ex perverso mundi judicio, qui non rerum momenta pensat, sed personarum: nec beneficia æstimat pro illorum magnitudine & suâ indigentiâ ac necessitate; sed ex fastu, eminentiâ & splendore ejus qui contulit. Mundus sapientiam ex divitijs æstimat & externo splendore. Ipsa cœlestis sapientia contemnitur, quia in vasis testaceis continetur, 2. Cor. 4. 7. &c.

Atque hinc est, quòd fastuosi homines, ignominiæ ducant, à pauperculis beneficium accipere, aut obstrictos se æstimare, ad compensandum talibus quicquam, ac referendas gratias: adeoque (quod Seneca dixit) *quosdam habent infestissimos, non post beneficia tantùm, sed propter beneficia.*

Hæcque illa ipsa est vanitas hujus seculi, quam hîc exagitat ac deplorat Sapiens: Nempe sapientiæ contemptus, qui ei accedit ex paupertate: dum mundus insanus divitias ei præfert, atque ad ejus normam sapientiam exigit, ut tum momenti habeat aliquid, si divitijs sit juncta; secus jaceat; immò stultitiæ divitis subjaceat. Neque igitur ullâ in re sublunari, ac ne quidem sapientia, summa hominis felicitas quærenda ac constituenda.

Quòd notent illi, quibus tale quid accidit, ut norint, nihil ipsis peregrinum ab hujus seculi moribus accidere: eoque non in hoc, sed illo seculo potius veram & perfectam felicitatem quærant.

Mysticè. Ad extremum non prætereundus est *sensus mysticus*, quem D. *Hieronym.* in h. l. quærit. Ut parva civitas sit *Ecclesia*, in quâ viri pauci respectu totius mundi: contra illam sæpè consurgat Diabolus, qui validus hujus seculi Princeps, & eam persecutionibus alijsque malis ceu obsidione circumvallet: *Pauperem ac sapientem esse Christum*, qui pro nobis pauper factus est, ipsa tamen simul est σοφία τ̃ θ̃ Dei: atque non potentiâ aliquâ externâ, sed sapientiâ suâ ac justitiâ, eam liberet. Vix tamen esse, qui meminerit illius, qui gratâ memoriâ tantum ejus beneficium recolat, qui se totum ei addicat ut par est, tanquam illi, cui vitam & salutem debet: quin maximam hominum partem, divitias, quibus inhiant, sapientiæ anteferre, luxui exinde ac voluptatibus se dederе.

dere. Esai.17.10. magis omnes in divites hujus seculi respiciunt, ut illis sese conforment; Christi obliti, cui potiùs hîc conformandi sumus in cruce & paupertate, maximè spirituali, ut illic eidem in gloria, & hæreditate gazarum cœlestium conformemur, quas nec tinea corrumpit, nec fures auferunt, &c.

℣ *Gloria & Gratia Tibi Domine IESV.*

HOMILIA XII.

TEXTUS ℣.16. ad fin. cap.

Dico autem ego, meliorem esse sapientiam robore; quamvis sapientia illius indigi despiciatur, & verba eius non audiantur: Verba sapientium submissorum audienda esse, potiùs quàm clamorem dominantis cum stolidis suis: Meliorem esse sapientiam armis bellicis; aberrantem verò unum perdere boni plurimum.

DE TERTIO.

INter alia præsentis seculi incommoda, non minimum est paupertas, non ideò modò, quia pauperes necessarijs vitæ destituuntur sæpè, ac miserabiliter vitam istam transire coguntur, in squalore & fame; ac per eam ceu malesuadam ad furta sæpè aut graviora scelera compelluntur. Unde Agur famen deprecatus legitur, Prov.30.8. sed insuper quòd contemptum secum trahat egestas: Etenim

——— *Pauper ubique jacet.* Et Juven. sat. 3.

Nil habet infelix paupertas durius in se
Quàm quòd contemptos homines facit.———

Quæ causa est, quòd illi, qui tantopere gloriam præsentis seculi sectantur, tantoperè divitijs inhient, ut se à contemptu vindicent, & in precio habeantur. *In precio precium est.* Ovid. 1. Fast.

Id ipsum est, quod Sapiens præced. asseruit: Ipsam etiam sapientiam, licèt amplissimos usus præstet generi humano, ac integras servet Respublicas & civitates, contemptam tamen esse, accedente paupertate; ex perverso quidem ac ingrato mundi judicio.

Adversus istud nunc insurgit *Salomon*, ac contra morem hujus seculi sapientiæ suam laudem vindicat, institutâ ejus cum Fortitudine comparatione. Dicit ergò, *Præstantior est sapientia quàm fortitudo.*

Fortitudinem intelligit *Corporis* non *Animi*: adeoque virium corporis robur, divitijs ac splendore munitum, accedentibus etiam armis, ac instrumentis bellicis, ceu medijs exercendæ illius fortitudinis: uti ex iteratâ sententiâ hâc y. 18. liquet. Fortem ejusmodi ac robustum hominem, in eminentiâ insuper ac precio constitutum, divitijs insuper amplissimis instructum, nec minus armorum apparatu horrendum, qualis fuit Goliath, inferiorem ait esse longè sapiente, licèt pauperculo & contempto. Asserit autem hoc vi præced. parabolæ seu historiæ. Licèt enim viri illius civitatis [illegible] initio obsidionis repugnarent, & hostium impetus sustinerent, nec ipsos pecuniæ ac bellica subsidia ac machinæ defecissent; quia tamen major erat Regis obsessoris potentia, nihil à fortissimis, opulentissimisque in civitate effici poterat, quò minus hosti tradenda esset civitas. Vide Ovid. 13. Met. ubi contentio sapientis Ulyssis, cum forti Ajace. At desperatæ saluti præsens pauperculi sapientia in subsidium venit, & quod plures fortes, armati, divites præstare non poterant, solus ille suâ sapientiâ effectum dedit. Hinc ergò ritè colligit *Salomon*, Sapientiam longè præstabiliorem esse Fortitudine. (Sic suprà cap. 7. 19. Vide Homil. in cit. cap.) quod & Sapient. 6. 1. confirmatur. Cernere tale quid est in bestijs, inter quas parvæ sæpiùs astu enecant grandes. Ut jumenta fortissima nullius sunt usus, nisi ab homine rationis compote directa; sic Fortitudo nihil sine sapientiâ. Atqui præstantius utique id est, quod alteri usum, dignitatem, agendique regulam præstat, & sine quo nihil posset ac valeret.

Vis

Vis consilI expers mole ruit suâ.

Agesilaus rogatus, Utra virtus esset præstantior, Fortitudo an Justitia; respondit: Fortitudinis nullum esse usum, nisi adsit justitia. Plutarch. in Laconic. Idem hîc valet. Quod ergò suprà cap. 7. ℣. 12. &c. in comparatione divitiarum & sapientiæ asserut *Salomon*, quòd juncta sibi mutuò splendorem & usum fœnerent, potiorem tamen esse sapientiam divitijs; Idem hîc accommodandum. Etenim Fortitudo juncta sapientiæ, præclarissimum est bonum; major tamen sapientiæ laus etiam in paupere, quàm Fortitudinis in opulento.

Usus 1. Ne contemnamus sapientes in omni genere; licèt pauperes, sed eos potiùs in precio habeamus, ac foveamus; cùm non constet, quos fortè rebus dubijs usus præstare possint; contrà vulgi & stultorum judicium.

2. Quàm sit Deus mirabilis in distribuendis suis bonis, ut huic sapientiam præstet sine divitijs & authoritate; alij fortitudinem sine sapientiâ: Ita ut quod uni desit in bonis corporis, id bona animi resarciant; quive bonis animi præstant, bonis sæpè corporis destituantur; ut ita Deus genus humanum in mutua conjungat auxilia, ac quisque alterius ope se indigere noverit, nec uni cuncta data esse intelligat, ut sibi soli vivendum esse putet. Quisque ergò quæ accepit à Deo, in usum communem, & publicum bonum conferat, ad Dei gloriam, 1. Petr. 4. 10.

3. Bona animi longè præstant bonis corporalibus quibuscunque, divitijs, fortitudini, pulcritudini, auctoritati, &c. Cœlestis maximè sapientia, seu pietas, quæ hominem ad Deum usque & beatam immortalitatem attollit, ac corpore & animo verè beatum facit.

Quæ dicta sunt hactenus de comparatione Sapientiæ & Fortitudinis, robur corporis spectabant; non verò Fortitudinem animi, quæ ipsa est virtus animi illustris; sapientiæ comes, immò non alia ab ipsâ sapientiâ; vid. ut quis non frangatur timore; non furat audaciâ; sit magni animi ac stabilis judicij, in ijs rebus, quæ formidolosæ videntur, subeundis, & repellendis; denique propter publicum & commune bonum, proprium & peculiare contemnat: Hoc verò quid aliud est, quàm veræ ac genuinæ sapientiæ exercitium? Ut verè *Cicero* censuerit, 3. Tuscul. *Omnes sapientes fortes esse, atque fortes omnes sapientes.* Ex. sit S. Martyrum fortitudo & constantia, in sufferendis exquisitissimis mortis tormentis; quos verè sapientiæ fastigium attigisse, censendum est; ut quâ non ci-

vitatem

vitatem superâsse, sed mundum, Satanam, inferos deviciſſe, cœlumque ipsum occupasse, Scriptura testatur. Rom. 8.

His tamen non obstantibus, non sine indignatione aliquâ, & cum admiratione subdit Sapiens. *Et tamen sapientia pauperis contempta, & verba ejus non sunt audita.* Quibus sapientiæ fatum iniquum deplorat: q.d. Utcunque insignes adeò sint sapientiæ utilitates, ut integras civitates & Respubl. conservet, & ab interitu vindicet; nihilominus tamen, dum nulla urget notabilis necessitas, vilescit ac contemnitur ea in pauperibus; ita ut si maximè aliâs loquantur, ac salutaria nihilominus consilia suggerant, non tamen audiantur; sed prævaleant alij ditiores & eminentiores, nullâ licèt sapientiâ præditi: quæ vanitas ingens; quam & Ecclesiasticus deplorat, cap. 26. 26. Summa. *Regina pecunia mundi*, sc. jacentis in malo, 1. Joh. 5. 19. ac perituri. Ibid. c. 2. 17.

Omnis enim res,
Virtus, fama, decus: divina humanaq; pulcris
Divitijs parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam & Rex,
Et quicquid volet. Horat.

(Confer Homil. 11. in cap. 7. Eccles.)

Subjungit aliquam rationem *Salomon*, Cur nim. verba Sapientis non audiantur, dum ait ℣. 17. *Verba sapientum in quiete audiuntur, potiùs quàm clamor dominantis inter stultos.*

Caussa, inquam, est modestia, taciturnitas, prudentia ac cunctatio sapientis: quòd is non soleat esse clamosus, glorioſus, imperioſus, dicax, quærens inanem gloriam ac vulgi applausum; cujusmodi tamen homines vulgus suspiciat, audiat, demiretur; vanum sc. illud vagumque ac credulum, nihil non suspiciens nisi pompoſum: sed *in quiete* dicat quæ dicit, h. e. animo compoſito, sedato, moderato; voce non ad clamorem vergente, sed submissâ potiùs, placidâ ac gravi: Ac prout ipse sapiens sit affectus, tales ipsum quoque Auditores requirere, qui *in quiete* verba ipsius audiant, non turbulentos, seditioſos, tumultuoſos, rixoſos. Atque tum demum valere aliquid verba sapientum, atque utiliter audiri & exaudiri: Immò majorem tum habere efficaciam apud quietos & idoneos auditores; quàm validos principum clamores inter stultos, quibus imperitant: Ut eatenus, (quod in consolationem sapientum, & sapientiæ contemptæ vindicationem dicit *Salomon*) Sapiens Principibus ipsis præ-

mineat,

mineat, qui apud æquos auditores plus possit voce submissâ, quàm hî intensâ & cum imperio ac formidine conjunctâ. Pulcræ enim antitheses inter Principem ac pauperem sapientem: inter clamorem, illius ac sermonem quietum hujus; inter stultos auditores illius, ac sedatos & æquos hujus: inter efficaciorem orationem illius, quàm hujus.

DOCTRINA I.

Ita *discrimen aliquod sapientis & stulti* subindicat *Salomon*, ex utriusque sermone petitum; quòd nim. illius sermo sit sedatus ac meditatus, hujus clamosus, varius, multiloquus. Testim. Eccles. 5.3. vide Hom. 2. in. h.c. Prov. 10.19. c. 12. 23. c. 29. 11. Quod ipsum de Christo prædictum, Esai. 42. 2. Vocaliora sunt vasa vacua: Ita quò quisque magis sapientiâ vacuus, magis sonorus est.

Usus. Non est igitur ut quis existimet, clamore & multiloquio cuncta esse expedita: sermo mitis sæpè majoris est efficaciæ, apud æquos & tractabiles auditores: dum apud intractabiles nec submisso nec intenso quicquam efficitur.

DOCTRINA II.

Parallelum hic habemus dicti Christi, Matth. 11. 19. *Iustificata est sapientia à filys suis*; h.e. à sapientiæ adsectis, amatoribus, ac studiosis: Ita hic verba sapientum in quiete audiuntur; sedatorum sc. à sedatis: vulgus contrà rude ac stolidum, non nisi suspicit quod pomposum, clamosum, & ad ostentationem futilem directum. Esai. 8. 6. *Abycit populus iste aquas Siloe, quæ fluunt quietè, & gaudium illis in Rezin.*

Usus. Quod solatio debet esse sapientibus: si non apud omnes verba ipsorum locum inveniant; sufficere debet si apud prudentes & cordatos.

Appl. Observandum id cumprimis Verbi Dei Ministris, quibus conqueri licet at quod Esai. c. 53. 1. Benè tamen habet esse quosdam probos auditores verbi. Esai. 55. 11. Fundum aliquem fertilem, Matth. 13. quibus verbum, est odor vitæ, 2. Cor. 2. 16. Ut tales simus, cum mansuetudine, & in quiete verbum audiendum. Jacob. 1. 21. demptâ vid. irâ, & vindictæ cupiditate, ac cumprimis animi elatione ac superbiâ, ut seculi hujus vani-

tates fugiamus, quæ maximè aures obtundunt. Ac ne mentium nostrarum quietem disturbent curæ terrenæ, quibus semen Verbi Dei prohibetur ne crescere possit. Ex. *Mariæ* ad pedes Jesu sedentis. Luc. 10. Tales auditores requirit Christus, Matth. 11..

DE QUARTO.

Visus erat sibi *Salomon* sapientiæ laudem egregiè vindicasse; quòd sc. licèt illa ab ineptis auditoribus non exaudiatur; tamen apud suos amatores & sectatores locum inveniat. Occurrit tamen iterum alia ei difficultas, ob quam perfectam in sapientiâ felicitatem collocare non possit: Quia vid. illa suo possit effectu facillimè frustrari, impediri, in contrarium rapi, & sic eludi ne prosit: Ait enim, *At peccator unus perdit bonum multum.* q.d. Quemadmodum sapiens unus licèt pauper, ingens bonum præstare potest multis, ac totam Remp. & civitatem ab interitu servare, si ei aures accommodentur: Ita vice versa, unus peccator, improbus, malitiosus, perversus, vecors & amens homo, multum quoque bonum perdere, impedire & abigere valet: dum sc. sese sapienti opponit, contraria consulendo, aut aliàs ejus instituta impediendo & pervertendo. Generaliùs. Ut unus sapiens multis salutaris esse potest; Ita stultus unus multis exitialis; atque integras civitates, Resp. populos perdere valet. Explicatur id Ex. *Adami*, qui suâ inobedientiâ se & omnem posteritatem perdidit. Rom. 5. *Achani*, qui tota castra Israel. Jos. 7. *Roboam*, qui 10. tribus suâ duritiâ de regno avulsit. *Doeg*, qui excidij Nobi author. 1. Sam. 22. 18, 19. *Achitophel*. 2. Sam. 17. *Haman*. Esth. 6. Exempla passim obvia: Nihil enim tritius, quàm ut in judicijs, senatus conventibus, unus sæpè homo loquax, perjurus improbus, Satanæ minister, bona perdere consilia, & instituta pia impedire possit; unde ingens Reipubl. malum. Ex subditis seditiosorum unus, quantum incendium excitare potest. Idem in Ecclesiâ & Religione contingit, per nefarios Hæresiarchas. In bello, per proditores ac transfugas. Ac sicut ob unius aut paucorum probitatem Deus parcit pluribus: ita ob unius aut paucorum improbitatem, integræ non rarò familiæ, civitates, gentes plectuntur; ut Benjaminitæ, Jud. 20.

Observandum, opponi hic *Peccatorem* sapienti: Neque enim qui naturâ stultus, est & fatuus nocere multum potest, quia nihil ardui ei con-

credi-

creditur; nec quisquam eum respicit: sed is stultus qui peccator est, qui verâ sapientiâ destituitur, pietate scilicet, justitiâ, integritate, talis inquam nocere multum potest, præsertim si versutia ingenij accesserit: Et hâc quidem stultitiâ, quæ mundo sæpè lenocinatur, nihil est deterius; ut piâ & probâ sapientiâ nihil melius.

Usus. Precandus Deus ut clementer noxios ejusmodi homines eliminare velit; pios verò sapientesque tueri, largiri, eorumque bona instituta & consilia fortunare dignetur, ad nominis sui gloriam.

Gloria & Gratia Tibi Domine
JESU.

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT X.

HOMILIA I.

TEXTUS ℣. 1.

Vt muſcarum mortuarum una efficit ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii; ſimiliter pretioſum nomine ſapientiæ & gloriæ virum, fœtidũ efficit ſoliditatis parum.

NOn ſine emphaſi dicit Apoſtolus 1. Cor. 7. 31. *Species hujus mundi præterit*; innuens, res mundanas inſignem quandoque præ ſe ſpeciem ferre felicitatis, vanas tamen eſſe omnes ac caducas, neque adeò in illis ſummum hominis bonum ſubſidere.

Prætulit *Salomon* hactenus ſapientiam cunctis alijs rebus mundanis, divitijs, voluptatibus, gloriæ, fortitudini, &c. Idem tamen ſuas illam habere difficultates & incommoda teſtatus eſt antè in præced. cap. atque idipſum nunc ſub initium hujus cap. itorat & confirmat. Ac poſtremò

ſtremò quidem oſtendit; quòd, ſicut unicus vir ſapiens utcunque deſpectus & pauperculus, plurimum utilitatis toti alicui populo ac Reipubl. conferre poſſit; perinde è converſo, unicum hominem improbum multum quoque boni impedire poſſe ac perdere: Unde inferre voluit; ſapientiam ab improbitate quandoque vinci ac impediri, ne ad optatum finem pertingat; eoque & ipſam inter vanitates hujus ſeculi recenſendam. Hoc ipſum jam venuſtâ comparatione ſtabilit, petitâ à muſcis appetente hyeme morientibus; quæ unguentum fragrantiſſimum corrumpant, ac ad edendum putorem ingratum inquinent: ſic etiam homines nihili, nec majoris æſtimij quàm ſint muſcæ moribundæ, aliorum ſapientiam ſuâ nequitiâ fœtidam reddere poſſe, ac inutilem.

Text. *Vt muſcarum mortuarum una*, Vel *Sicut muſcæ mortuæ fœtere faciunt & ebullire unguentum aromatarij*, (ſc. fœterem:) *ſic pretioſum ob ſapientiam & gloriam* (ſc. hominem) *ſtultitia modica ſeu exigua*: (ſc. fœtere facit.) Ut plures alias mittam hujus loci interpretationes, duæ potiſſimùm ad rem præſentem facere videntur; atque hæ, pro diverſâ conſideratione *modicæ ſtultitiæ*, cujus mentionem facit *Salomon*, emergunt. Vel enim *modica illa ſtultitia*, intelligitur eſſe *A. alius hominis*, quàm ejus qui precioſus dicitur à ſapientiâ & gloriâ: vel intelligitur eſſe *B. hujus ipſius hominis* precioſi, ob ſapientiam, &c.

A. Illâ acceptione, ſenſus erit *ſtultitiam exiguam*, h. e. improbitatem, quæ in homine exiguo ac nullius æſtimationis latet, & qui vix pluris eſt quàm muſca putris ac mortua, perſæpè violare ac corrumpere ſapientiam in homine illuſtri conſpicuam, ac balſami inſtar fragrantiſſimam; ut uſu ac effectu ſuo illa deſtituatur: ſicuti gratiam omnem perdit balſamum, cui immixtæ ſunt muſcæ demortuæ. Sunt autem muſcæ tales, homines illi, quicunque muſcarum induêre naturam: Maximèomnium eas referunt *Detractores & Calumniatores*, qui gloriæ ac famæ hominum ſapientum, quæ eſt olei inſtar fragrantiſſimi; ſuis mendacijs ac calumnijs detrahunt; ac gratiſſimum nominis ipſorum odorem, mixturâ ſuarum calumniarum, corrumpunt; ut deſinant eſſe in pretio, & ſapientia ipſorum contemnatur. Ita exegeſin continent iſta, quod antè dixerat: Peccator unus perdit multa bona.

Ut enim muſcæ impuræ ulceribus purulentis, ac fœtidis cada veribus inſident, illisque paſcuntur: ſic detractores non niſi nævis alienis

occupantur, quos propalent, virtutes negligant, ad inferendum contemptum.

Ut muscæ sunt impudentissimæ, indomabiles ac importunæ: sic conviciatores improbi ac impudentissimi, penes quos nullus est personarum, illustrium aut tenuiorum, respectus.

Ut muscarum quarundum morsus sunt venenati, adeò ut etiam jumentis sint lethales: sic detractorum lingua venenata. Rom. 3. 13. Sap. 16. 9.

Ut muscæ mensas & edulia lambunt; sic detractores plerunque adulatores & parasitos agunt; atq; ut alienâ quadrâ vivere possint, innoxios proscindunt in gratiam eorum, quibus parasitantur. Pessimi, si eos ipsos pungant, quorum mensas sectantur, ut *Achitophel*. Psal. 41. 10. quod cum primis muscæ faciunt ingratæ.

Ut à muscis nihil est sartum actectum, adeò ut omnia pervagentur, delibent, conspurcent; (quod & *Salomon* innuere voluit, dum ipsas ait balsama preciosissima pharmacopolarum, quæ aliâs diligenter obtegi ac recondi solent, pervadere; eademque, ubi inciderint ac demoriantur, olida reddere:) Ita detractores, curiosi sunt omnium rerum exploratores, & conquirunt hinc inde, ut habeant quod traducant, ad minuendam hominis sapientis in gloriâ constituti authoritatem. Hoc fatum sapientiæ.

Eadem tamen similitudo nos *informat*, de *duobus*:

1. *Quales nos erga muscas hujusmodi injuriosas præstare debeamus.*

Contemnere oportet illas, nihilique facere ipsorum dicteria, dum salva nobis est conscientia: ac perinde habere ipsos atque muscas earumque morsus, eoque nihili.

Conatus ipsorum eludere vitæ innocentiâ; 1. Petr. 2. 12. 15. ut nihil inveniant quod carpant; sicuti muscæ avolare solent, ubi nihil inveniunt quod lambant.

Sed & abigere eas oportet, ubi gloriæ Dei interest, & scandalum metuendum, flabello severæ modestæ tamen increpationis, quâ nequitiæ suæ convincantur, nostraque innocentia vindicetur: quod à Christo ipso sæpiculè factum legimus.

Denique quia abactæ licèt muscæ recurrere tamen solent, & impensiùs furere; quo ipso quoque detractores sunt ingenio, quando illis resistitur: ideò sicut qui tutus esse vult à muscarum importunitate, aliò se cedit.

cedit: Ita consultissimum est vitare improborum & calumniatorum societates, ad declinandas eorum insidias. Psal. 1. 2.

2. *Quæ improborum Detractorum sit merces & exitus.*

Foveam effodiunt, quâ pereant ipsi. Psal. 7. 16, 17. sicut enim muscæ unguento sese immergentes, suffocantur in illo & pereunt: Ita detractores exitium sibi accersunt tandem. Atque ut muscæ oleo suffocatæ fastidium & horrorem incutiunt inspectanti ac odoranti, aut gustanti esculenta: Ita detractores & justis sunt horrori, & Deo abominationi: qui non modò nomen sibi fœtidum conciliant, sed & damnationem incurrunt. Psalm. 15. 3.

Certè muscæ istæ calumniatoriæ, aguntur à spiritu Beelzebub, qui muscarum dicitur Dominus, quod formam muscæ unius haberet illud Idolum hoc nomine dictum; ac contra muscas earumque pestem fuerit invocatum; denique quòd non solùm victimæ ejus muscis scatebant, sed ipsum Idolum aspersum sanguine victimarum, insidentibus muscis plenum erat. Traductum nomen ad Satanam, qui verè διάβολος, h. e. calumniator: Ab hoc igitur numine aguntur calumniatores muscæ.

ALLEGORIA.

Quidam Patres per muscas intelligunt pravas concupiscentias & cogitationes, quæ hominis animum sanctis meditationibus, precibus, virtutum & pietatis studio intentum corrumpunt, & deturpant.

Tales igitur muscæ ubi ingruent, abigendæ sunt, spiritûs carni obluctantis, & precum flabellis, nec admittendæ: sicuti *Abraham* legitur volucres abegisse. Genes. 15. 11.

B. Posteriore acceptione, si *stultitia exigua* intelligatur esse ejus, qui *alias pretiosus est sapientiâ & gloriâ*; sensus erit: Modicum aut parum stultitiæ perdit totam hominis existimationem & gloriam, quam ob sapientiam & sapientia dicta & facta adeptus erat, sicuti muscæ perdunt unguenti suavitatem. Atque hoc ipso rursum vanitatem sapientiæ humanæ ostendere voluit *Salomon*, quia stabilis & constans in eâ non sit quærenda felicitas, siquidem facile fieri possit, ut sapientissimi committant aliquid quod stultum sit & ineptum: atque in consilijs & institutis suis labantur, & errent, unde authoritas ipsorum minuatur. Etenim Nemo sine crimine vivit, Jacob. 3. 2. Quandoque bonus dormitat *Homerus*.

Weise.

Weiſe Leuth begehen offt die gröſte Thorheit. Græci, ἁμαρτάνει καὶ σοφὸς σοφίᾳ.

Usus. Ne quis igitur ſapientiæ ſuæ, vel etiam aliorum hominum, confidat. Jerem. 9. 24. quum facilè adeò perverti illa poſſit, & in errores delabi, tum ex hominum infirmitate, tum ex Dei judicio, *ſapientes inſanuntis*. Job. 12. 17. Notent id *cerebroſi*, qui errare ſe non poſſe fingunt, ſed tenaciſſimè ſuis conſultis inſiſtunt. *Ariſtoteles* hujusmodi homini dixit: *Utinam talis eſſem, qualis ipſe tibi videris; qualis autem revera es, fiant hoſtes mei.* part. 2. ſerm.

ALLEGORIA.

Quæ ratio eſt modicæ ſtultitiæ ad violandam magnam ſapientiæ laudem; ea eſt ratio unius peccati, etiam ut videtur levis, ad obſtringendum hominem culpâ violatæ totius legis. Jacob. 2. 10. *Sim.* Rupto uno annulo in catena magna, tota catena rupta dicitur: ſic &c. Matth. 5. 19.

Usus 1. Adverſus figmentum *venialis peccati*, quod damnationem æternam non mereatur, ſed pœnam duntaxat purgatorij.

2. Ut agnoſcamus, quàm *providè* nobis ſit *ambulandum*, ne vel in minimis peccemus petulanter contra conſcientiam. *Parum fermenti totam inquinat maſſam.* Ex levi peccati muſcâ totus homo inquinatur.

C. Eſt & adhuc alia hujus dicti *interpretatio* & *ſenſus*. Quidam enim volunt hîc comparationem inſtituti, inter ſapientiam rigidam & exactam, & ſtultitiam modicam uſurpatam cum tempore & opportunitate; & hanc illi præſtare quandoque affirmant: Ut ſenſus ſit; Præſtat interdum cum tempore & modo delirare & ſimulare ſtultitiam, quàm filum tenere & ſequi rigidæ & excelſæ ſapientiæ, eamque oſtentare ex ambitione; utpote quæ in periculis ſibi & alijs quandoque eſt magni damni. Sic Lutherus quoque vertit, Darumb iſts zuweilen beſſer Thorheit dann Weißheit vnd Ehr. Horat. libr. 4. Carm. Ode 12.

Miſce ſtultitiam conſilijs brevem:
Dulce eſt deſipere in loco.

Immò, *Stultitiam ſimulare loco prudentia ſumma eſt.*

Sic *David* ſimulans ſtultitiam coram Rege *Achis*, periculum mortis evaſit. 1. Sam. 21. Hoc ſenſu dixit ſuperiùs Eccleſ. cap. 7. 17. *Ne ſis nimiùm ſapiens, nimiùm juſtus.*

Pru-

Prudentiæ sanè est hominum captui sese accommodare & conditioni; secus nec in consilijs, nec institutione, quicquam profeceris: Ideò Paulus 1.Cor.9.22. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos:* cum pueris pueriliter, cum rusticis rusticè, cum insipientibus pro eorum captu est agendum. Stultus esset potiùs, qui inter rudes & plebeios abstrusas institueret disputationes.

HOMILIA II.

TEXTUS ℣.2,3,4.

Animus sapientis adest dextera ipsius, animus verò stolidi sinistræ ipsius. Nam etiam in ipsâ viâ quum stolidus ambulat, animus eius est demens; & prædicat omnibus stolidum se esse. Quum spiritus eius qui dominatur se effert contra te, locum tuum ne deserito: nam vir sanans sedat peccata magna.

His ita expositis de Sapientiæ fato, prout sc. illa vilescat, tum ab improbis muscis & sannionibus impetita, tum levi aliquo errore delibuta, & infecta: Redit tamen *Salomon* ad eius commendationem, instituta comparatione inter actiones sapientis ac stulti; sicque laudem sapientiæ contra improborum insultus constanter tuetur: idque ℣.2.& 3.Text. *Animus sapientis, &c.* Vel *Cor sapientis ad dexteram ejus, & cor stulti ad sinistram ejus.*

Cor in omnibus hominibus eundem habet situm, in sapientibus æ-

què ac ſtultis: utrisque enim in medio thoracis ſive pectoris conſiſtit ad lævam tamen vergens. Itaque per *Cor* non intelligit *cor corporis*, ſed *mentem* hominis: quod enim cor eſt in corpore, hoc mens ſeu intellectus & ratio, eſt in ejus animo. Rurſum manus *dextra* ſuâ naturâ aptior eſt & agilior ad res agendas; *læva* ineptior ac impeditior: *Sensus* igitur eſt; Sapientem cum judicio, ratione, dexteritate ſua peragere: Stultum ineptè, improvidè, perversè, infeliciter exequi cuncta.

Unde ingens inter actiones ſapientis & ſtulti differentia perſpicitur.

a. In *agendi principio*: Sapientis enim actiones à rectâ ratione & conſilio proveniunt; Stulti à turbulentis affectibus & concupiſcentijs, quaſi judicio deſtituti.

b. In *rebus agendis*: Sapiens enim meliora, honeſtiora, ſanctiora agit; quæ ad temporalem & æternam ejus felicitatem tendunt: Stultus deteriora, turpia, noxia tractat: unde ſtultus pro impio dicitur, Pſal. 14. 1.

c. In *agendi modo*: Sapiens enim omnia graviter, circumſpectè, ordinatè, & expeditè agit, velut manu dextrâ quæ expeditior: Stultus improvidè, præpoſterè, ignaviter, imperfectè cuncta, &c. Adde quòd ille conſtanter in bono pergit; hic vento mobilior, &c.

d. In *fine*: Sapiens gloriam Dei, ac æternam ſuam felicitatem ſpectat: Stultus, ut affectibus & voluptatibus evanidis ſatisfaciat; de Deo & futuro nihilo ſolicitus: Sed & ille publicam ſalutem, privatæ utilitati antefert, ſi verè ſapit; hic contrà. In eundem ſenſum ſuprà, cap. 2. 14. (Vide Homil. 9. in l. cit.)

Amplificat idem porrò, annexo ſtulti vituperio: Text. v. 3. *Etiam per viam quum ſtultus ambulat, cor ejus deficit, & dicit omnibus, ſtultus eſt, ſeu ut dicat quilibet ſtultus eſt.* q. d. Non clàm habere poteſt ſuam ſtultitiam, nec in abſcondito latet; ſed palàm omnibus innoteſcit; ſicut publicè dum per vicos & plateas ambulat, ex inceſſu, geſtibus, & moribus nemo non pervideat, hominem aliquem ſtultum eſſe; quaſi ſingulis vel diceret ipſe, h. e. indicaret ſe ſtultum eſſe; vel cuncti alij qui ipſum obſervant, dicant, quòd ſit ſtultus: Tam ſc. (innuit *Salomon*) diſpar eſt vitæ, morum & actionum ratio inter ſapientem & ſtultum, ut hic publicè ſe proſtituat, & ſpernendum propinet. Sic Prov. 17. 24. *Ideſt facies prudentis ſapientia, oculi autem ſtolidi vagantur ad extremitatem terræ.* Quâ de re etiam aliquid diximus ad initium cap. 8. Vide Conc. I.

DE

DE QUINTO.

Postquam de vanitate sapientiæ humanæ, ac multiplici ejus contemptu, eoque indigno, cum aliâs glorioſissima verba fecisset Ecclesiastes noster; jam tandem consilium dat utile, ac remedium præscribit, quomodo injuria hæc sapientiæ ac sapientibus illata, sit concoquenda ac sustinenda. ℣. 4. Text. *Si spiritus dominantis ascenderit contra te, locum tuum ne deseras, quia sanans, (*Vel *lenitas, remissio) quiescere facit peccata magna.*

Ait, *spiritus dominantis*, quem opponit homini vili & inconspecto; q. d. etiamsi Princeps aliquis, sub cujus es dominio, contra te insurexerit, spiritu suo, h.e. mente commotus, exacerbatusque irâ; nempe dum consilia tua salutaria ac fida repudiat, seque per illa offensum existimat; adeoque sapientiam tuam spernit & conculcat: Quid ergò tum facto opus? Duo præscribit remedia *Salomon*: A. *Constantiam*, & B. *Lenitatem.*

A. Illam, *Locum tuum ne deseras*, sed constans maneto. Constantiam verò istam in duobus videtur injungere:

a. Primò, ne propterea officium aut vocationem deserat, ex tædio quòd non fuerit auditus, nec consilia ejus acceptata, sed contempta: Hoc enim insulsi esset hominis, stationem velle deserere, si non omnia ad nutum cedant. *Mercerus* seq. huc aptat, quia remissio (h.e. mollities) quum quis locum suum deserit, parit peccata magna, ac mala.

Ita S. Prophetæ, Apostoli, Christus ipse, hodieque Ministri verbi officium deserere debuissent, ac deberent; siquidem omnibus conquerendum fuerit cum Esaiâ, cap. 53. 1. nec desint, qui consilium Dei ipsius contra se spernant, sicuti de Pharisæis dictum, Luc. 7. 30. quiq; Spiritui ipsi S. resistant. Actor. 7. 51. Quicquid sit, pergendum Ministris in officio, sive obsequantur Auditores sive non. Ezech. 2. 4, 5. Idem omnibus in suâ cuique vocatione agendum: Orandus Deus pro felici successu: Is si desit, ac molestias varias quisquam in suâ functione experiatur, patienter ferendum, nostrisque culpa deserenda peccatis. 1. Cor. 7. 27. Deo enim obnititur, quisquis vocationem deserit, non sine gravi ejus offensâ: longeque minorem successum habebit in eâ functione, ad quam Deo non vo-

cante transijt. Si maledictus qui *negligenter facit* opus Domini: Jerem. 48. v. 10. quantò magis, qui prorsus illud abdicat. Unde servus ille infidus, qui talentum defodit, quia de successu desperarat, severè plexus legitur, Matth. 25. 25. *Dæmon, secundùm imperium spirituum vestrorum, huic tepido remissiorem, illi ferventi vitam arctiorem proponit, hoc solùm expetens & expectans, ut quoquo modo tollat eum à concilio justorum & congregatione. Profectò spiritus ille, qui tibi hoc suggerit, spiritus mendax est. Spiritus potestatem habens, qui tibi insidet locum tuum.* Bernhard. de quadrupl. debito.

Appl. Ita malè agunt hodieque, qui desertâ vocatione ad quam seducati, ad propolia aliasque quæstuarias artes transeunt; quo successu testatur eventus, ampliusque testabitur.

b. Secundo, ne consilium aut sententiam semel datam, siquidem pia, justa, salutaris ac honesta illa fuerit, deserat, ac muter, formidine dominantis impulsus, aut spe aucupandæ gratiæ & commodi illectus, ut solent nefarij allentatores; sed propositi tenax nihil agat contra conscientiam, Deum, ac publicam salutem. Exemplo Prophetæ *Micæ*, 1. Reg. 22. 14. 19. &c. *Jeremiæ*, cap. 38. *Plus Deo quàm hominibus obsequendum.* Vitanda ergò instabilitas, pusillanimitas, levitas. Prov. 27. 8.

Justum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ, &c. Horat. lib. 3. Car. Ode. 3.

B. Hanc verò, sc. Lenitatem injungit in verbis, dum ait, *Quia lenitas quiescere facit peccata magna.* Text. Inquias enim: Si insurgens in me Princeps, injuriosè me tractet, utcunque in officio sim fidelis; nec tamen mihi desciscendum sit à vocatione; num igitur & ipse commovebor, ac ei me opponam, ac vi quasi conabor obtinere quod volo? Hoc verò dissuadet *Salomon*, ac lenitatem potiùs suadet, quæ docet connivere ad proximi cujusque errata, eique ignoscere, nec stricto jure procedere, aut illicet efferveſcere ac exacerbari: sed per lenitatem potiùs verborum, ac animi mansuetudinem operam dare, ut ille deliniatur, ac in viam rectam reducatur: Hoc pacto, innuit *Salomon*, quiescere facies peccata magna, in quæ aliàs & te ipsum conijceres, cùm non liceat temerè cedere vel de rectâ virtutis viâ, vel superioribus resistere: & ad quæ Dominantem ipsum tuâ importunitate provocares. Ein gut Wort findet gute

statt.

ſtatt. In eundem planè ſenſum dicitur, *Reſponſio mollis avertit excandeſcentiam; verbum autem moleſtum excitat iram.* Prov. 15.1. *Longanimitate pellicitur ductor, & lingua mollis frangit oſſeum.* Prov. 25.15. Lenitas ejusmodi præſtat fortitudini. Prov. 16.32. Ac indicium eſt & fœtus ſapientiæ. Prov. 17.27. Prov. 19.11. Exempla lenitatis, quâ iratis ac furentibus occurſum, eique deliniti bonis verbis: In *Moſe*, adverſus quem ſæpè Iſraëlitæ inſurrexerant. Num. 12.3. (ſimiliter lenitate uſus erga uxorem. Exod. 4.26. ne verbo reſpondens) in *Gedeone*, Judic. 8.1,2,3. in *Abigaele*, 1. Sam. 25. in *Gamaliele*, Actor. 5.34.

)(*Auſteritas* contrà & *rigor*, dum quis laceſſitus ac offenſus, mox exacerbatur, ac jus ſuum ſtrictè tueri conatur, nec ullatenus nævis proximi connivere cupit; fomes eſt plurimorum peccatorum, quæ inde exſurgunt. Expertus *Rehabeam*. 1. Reg. 12.

Usus. Hanc ergò vitemus, tum ne peccatis implicemur; tum ne damnis: Matth. 5.22. ſectemur leniratem, & manſuetudinem, atque precibus eam à Deo petamus, ceu magnam ſapientiæ partem. Jacob. 1.5. Injuncta illa, Epheſ. 4.1,2. Rom. 15.1.

Optaremus eâ proximum erga nos uti, itidem ergò & nos erga ipſum affecti ſimus. Gal. 6.1. Benè *Trajanus* Imperator: *Talem me præſtabo Imperatorem privatis, qualem optarem ipſe privatus.* Bruſo libr. 3. cap. 4. Moveat nos *Dei* exemplum. Pſalm. 103.8. *Chriſti*, Matth. 11.29. *Sanctorum*, aliorumque paſſim illuſtria exempla lenitatis erga injurioſos exercitæ. Moveat illuſtris promiſſio, Matth. 5.5. *Mites terram poſſidebunt.*

Tropolog. Veteres, inter quos *Hieronymus*, non malè per ſpiritum poteſtatem habentis, accipiunt impulſus & tentationes Satanæ ac concupiſcentiæ; cui reſiſtendum ſit conſtantiâ, ſeu obfirmatione animi in bono, ſanctoque propoſito malum non committendi.

HOMILIA III.

TEXTUS ψ.5.6.7.

Est malum quod vidi sub sole, secundùm errorem qui procedit à facie imperantis: Poni ipsam stoliditatem in dignitatibus celsis & amplis; divites verò in ipsa abiectione sidere. Vidi servos insidentes equis, principes autem euntes tanquam servos super terram.

PARS CAP. SECUNDA.

IAntâ DEUS *Salomonem* gloriâ & magnificentiâ, opulentiâ, ac sapientiâ instruxit, secundùm promissionem suam, ut par ipsi, maximè quòd sapientiam attinet, nemo unquam Regum in mundo extiterit. 1.Reg.3.12. sed enim tum in alijs tum in seipso expertus est idem, instabilia esse cuncta ista ac evanida, nec ullatenus certam, veram, solidam ac perfectam homini felicitatem conferre posse.

Equidem divitiarum, voluptatum, honorum hujus seculi vanitatem facilius concoquere potuit; sed quod vidit idem fatum & sapientiam subire, quæ aliâs tam rara sit, & quâ ille cumprimis excelluit; istud equidem etiam vitæ ulterioris fastidium in ipso excitavit: ut est cap. 2,13.&c. Ita in præcedente cap.9.& initio hujus 10. de varijs incommodatibus & injurijs locutus est, quibus sapientiæ splendor obscuratur, & vanitas ejus innotescit. Progreditur nunc ad aliam injuriæ speciem describendam, quâ sapientiâ deprimitur: dum sc. non rarò stulti & indigni ad Reipubl. gubernacula evehuntur; digniores & sapientes negliguntur, illisque subijciuntur.

Text.

Text.℣.5. *Est malum quod vidi sub sole* (Ita solet ordiri *Salomon*, quum de novâ aliquâ Vanitate hujus seculi verba facturus est) *simile errori, qui egreditur à facie dominantis.* h.e. Principes & Magnates graviter sæpè errare, in constituendis & deferendis muneribus & officijs Reipublicæ: Qui sic?

Text.℣.6. *Constitutus est stultus in excellentijs magnis: Divites verò in humilitate sedent:* ubi per *Divites* ex lege oppositorum, sapientes & authoritate præstantes viros intelligit; qui sapientiâ potiùs quàm nummis sunt divites.

Jam verò facile est animadvertere, quum de stultis in sublime evectis loquitur Sapiens, non tales intelligere, qui à naturâ fatui sunt ac mente judicioque destituti; tales enim ad nulla prorsus negotia adhiberi possunt: sed *improbe stultos*, seu impios; cujusmodi stulti Psalm.14. describuntur, *Dicit stultus in corde suo, non est Deus*; qui nullam Dei, ejusque verbi & cultûs, rationem habent; adeoque se ad omnem impietatem & malitiam projecerunt.

Unde vice versa innuit, eos demum verè sapientes esse, ac dignos qui Magistratum gerant, quibus pietas & Religio cordi est. Etenim, Christiani Magistratûs officium est vel maximè curam Religionis habere, &c.

Thesis 1. *Christiani Magistratûs officium est vel maximè curam Religionis habere,* ac prospicere, ut sincerus Dei cultus tum quoad doctrinam, tum quoad ritus & ceremonias, in ditionibus suis doceatur & exerceatur: ac econtrà vitiosi cultus, hæreses, abusus, superstitiones, &c. eliminentur si quà irrepserint, ac Ecclesia quæ domus Dei, ab illis perpurgetur, reductâ purâ ac genuinâ colendi Deum ratione.

Rationes. Ob id præcipuè *Minister Dei* nuncupatur à Paulo, Rom.13.4. Equidem omnium hominum vocatio, & scopus creationis ipsorum est, ut serviant Deo; Magistratus autem duplicatum quasi ministerium obtinet, dum non modò pro suâ personâ Deo servire tenetur, sed insuper procurare, ut legitimè omnes Deo serviant, dum cultum a Deo præscriptum ei præstant. Vide Psalm.2.12. Quemadmodum in certaminibus & prælijs Ducum & Imperatorum officium exigit, prospicere ut milites dextrè & gnaviter pugnent, omnesque confusiones ac eruptiones præcavere: Sic in spirituali hâc militiâ, Magistratuum quorumvis

rum vis est, ut verus Dei cultus vigeat ac obtineat. Psal. 82. 6. dicitur, *Dixi ego, vos Dij estis*, q.d. proximè mihi Deo assistitis, ac primarium mei, meique cultûs rationem habere debetis. Ut enim subditi quivis Regi suo fidem & obsequium præstare tenentur, dum interim quilibet sua tractant, quæ ad familiæ suæ curam faciunt: Aulici verò, velut Regi viciniores, negotia potissimùm ejus expedire debent: Ita Dij isti terreni, velut aulici Dei, procurare cumprimis ea debent, quæ ad Dei Deorum cultum & gloriam spectant.

Clarum eâ de re mandatum extat, Deut. 17. 18. *Quum insidebit solio regni sui, describat sibi exemplum hujus legis in libro, ex eo qui erit in conspectu Sacerdotum Leviticorum. Eritq; penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Jehovam Deum suum, observare omnia verba hujus legis, &c.*

Eo fine Regi *Joas* cùm in Regem inauguraretur, traditus est in manus sacer Testimonij liber: 2. Reg. 11. 12. Eôdem spectare videtur illud Psal. 24. 7. 9. *Attollite portæ capita vestra*: ut per *portas* intelligantur Principes & Judices, qui olim in portis judicia administrabant: monentur illi, ut Regi gloriæ, &c. aditum faciant, ac in suas civitates & ditiones intromittant: quod fit si veram de Deo doctrinam & Religionem amplectentur, propagent, tueantur.

Principes & Magistratûs in S.S. dicuntur *Pastores*, non qui de hominum modò sibi concreditorum sustentatione & pace quâ in præsenti vitâ conserventur, soliciti esse debeant; sic enim nihil à pecudum pastoribus distarent, qui eandem de gregibus suis curam gestant: sed cumprimis, qui ejus rei præcipuam habeant curam, quam homines præ bestijs acceperunt, animarum sc. earundemque æternæ felicitatis. Debent enim pastores omnimodam felicitatem suis gregibus procurare: maximè igitur Magistratus in hoc intentos esse decet, ut cives suos reddant quàm felicissimos, ut non leviter corporis alimenta, sed maximè animæ subditis suis promoveant: quod absque curâ Religionis fieri nequit.

Appellantur insuper *utriusque tabulæ legis custodes*, quarum prior cultum Deo debitum, posterior incolumitatem proximi spectat: Ut ergò prior posteriorem ordine antecedit; sic prior ac potior illius quàm hujus custodia Magistratibus incumbit: tantoque porrò exactior, quantò dignitate Deus hominem superat, quantoque majus damnum ab illius quàm hujus neglectu, metuendum est.

Cumque Respublica *duabus columnis* insistat ac conservetur, *Pietate*

& *Justi-*

& *Iustitiâ*; utriusque certè rationem habere decet Magistratus; tam enim non submotâ alterutrâ subsistere potest, quàm nec homo currere amputato altero ejus pede, aut volare avis, cui unica duntaxat est ala. In collatione verò utriusque dictæ columnæ majus malum Reipubl. infertur, si Pietatis, quàm si Justitiæ columna subducatur: Illius enim jactura æternum, hujus temporarium modò exitium infert: major igitur illius quam hujus cura esto. Quòd si cujusque Patris familiâs officium exigit, liberos ad pietatem & sinceram Religionem educare: multò id magis est Magistratuum, qui Patres sunt patriæ, Nutricij & nutrices Ecclesiæ. Esai. 49. 23.

Exempla. Exempla idipsum declarant & confirmant.

Ita enim *Mosè* qui in populo Dei principatum gessit, Deo dictante Religionem & cultum divinum constituit; & *Aharoni* cæterisque Sacerdotibus præscripsit. Exod. 19. 6. cap. 25. &c.

Ita *Josua*, itidem Dux populi Dei, circumcisionem, 40. annis neglectam in deserto, jussu Dei revocavit. Josuæ 5. 3. &c. idem Legem Dei integram noviter promulgari curavit: cap. 8. 35. denique fœdus cum Deo restauravit, cap. 24. 25.

Ita *David* cultum Dei, Saulis tempore neglectum & corruptum, (1. Chron. 13. 3.) quàm primùm ad regnum inauguratus est, restituit, atque arcam solenni pompâ in civitatem suam transvexit. 1. Chron. 16. 25. &c. officia Ecclesiastica in Sacerdotes & Levitas distribuit, cap. 23. ac sub vitæ periodum, cùm *Salomonem* regni successorem nominasset, sinceræ Religionis studium magno zelo subditis commendavit, cap. 29. &c.

Salomon verò Templum Dei magnificentissimum extruxit & dedicavit: 1. Reg. 6. & 8. quin & libros sacros in usum Ecclesiæ conscripsit. Sed & *Asa* Rex cultum Dei instauravit, latâ sanctione, ut moriatur, qui non quæsierit Deum Israëlis: ut est 2. Chron. 15. 12, 13. Quod residuum fecit *Asa*, id filius successor *Josaphat* perfecit, amotis excelsis & lucis, 2. Chron. 17. 6. missisque per omnem Judæam, qui passim populum è libro Legis informarent, vs. 7. 9. unde divitias & gloriam copiosè est consecutus, vs. 5.

Sic *Ezechias* multiplicem Idololatriam abolevit, 2. Reg. 18. 4. ac templum Dei repurgavit, sincerumque cultum restituit. 2. Chron. 29. Similiterque *Josias* idola subvertit, domum Dei refecit, cultumque Dei juxta librum Legis qui absconditus latebat, reformavit, 2. Chro. 34. & 2. Reg. 23.

Horum ad exemplum *Imperatores* Religionem Christianam amplexi, ferventissimi fuerunt, in eâdem constituendâ, conservandâ, propagandâ, defendendâ: sicuti de *Constantino M. Theodosio* seniore & juniore, *Valentiniano, Martiano, Justiniano, Constantio*, &c. *Carolo M.* &c.

Nec satis commendari potest zelus ille divinus, quem Principes & Magistratus Protestates nationis Germanicæ adhibuerunt in reformandâ Religione à superstitionibus & Idololatriâ Papatûs; reductâ Verbi Dei sincerâ prædicatione, ac cultu ad ejus normam plus minus instaurato: quo nomine & nos secundum Deum *Majoribus* nostris immortales gratias debemus, quòd ipsorum quoque industriâ sanctoque zelo, è tenebris in lucem, è servitute in libertatem conscientiarũ revocati sumus.

Applicat. Quia vero non semper vel possibile, vel consultum, actutum, omnia ad amussim in principijs simul emendare; tum quia interdum cedendum est quorundam infirmitati, ne scandali alicujus occasionem arripiant; tum quia Satan infensissimus purioris cultûs hostis, varia nonnunquam obstacula inijcit, quibus bonum ejusmodi Reformationis religiosæ opus, remoretur aut impediat: ideò benè rectèque fit, si succedentes Magistratus, quod à Decessoribus suis præteritum est & neglectum, siquidem commodiore utantur rerum statu, ad manus sumant; & si quid vitiosum remanserit, abrogent; si quid boni omissum, introducant. Commendantur illi Reges, qui excelsa & lucos, quos reliquerunt antecessores, è medio sustulerunt, *Ezechias, Josias, Josaphat.*

[Sicuti nunc quidem constituit Magistratus noster, orbiculares hostias, è fermento Papistico adhuc residuas abrogare; ac econtrà fractionem panis nutritivi, quâ nostra hactenus caruit Ecclesia, introducere; utrumque juxta tenorem primæ institutionis S. Cœnæ à D. N. J. C. peractæ]

Dico, hâc in re Magistratum agere, quod propriè sui est officij, dum curam istam Religionis suscipit.

ἔλεγξις. *Nec enim* stamus à sententiâ Papistarum, qui omnem Religionis curam Laicis & secularibus, quo nomine Principes & Magistratus politicos designant, adimunt; nec ad alios nisi Episcopos & Ecclesiasticos spectare contendunt, seu ad Papam & ejus concilia è merè Ecclesiasticis personis collecta; horum esse duntaxat, de doctrinâ fidei, de Religione, de ritibus, ceremonijs & disciplinâ Ecclesiæ, cognoscere, statuere, leges sancire: seculares negotijs istis minimè sese immiscere debe-

re; sed

re; sed obedienter quod ab illis definitum est, acceptare citra ulteriorem disquisitionem, idemque exequi ac gladio tueri obstrictos esse.

Sed enim mirum id nemini videri debet, Papistas à Religionis negotijs excludere Magistratus politicos, cùm & seipsos suasque personas exemptas velint ab omni civili potestate & jurisdictione; adeoque nullo modo ad secularis Magistratûs tribunal trahi, aut à Judice politico puniri posse contendant: quæ verba sunt *Bellarmini* libr. de clericis, cap. 28. §. Tertia, &c. Nec aliud fert praxis in Papatu: contra expressum illud Apostoli enunciatum, Rom. 13. 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto: non enim est potestas nisi à Deo.* Ut alia nunc taceam.

Satis verò existimo evictum esse, non aliquatenus modò Magistratus interesse, sed maximam & præcipuam ejus curam esse debere, de Religione.

Excep. dil. Neque propterea *status utrosque Politicum & Ecclesiasticum confundimus.* Aliud quippe est divinum cultum juxta Verbum Dei constituere, ac collapsum ad eandem regulam reformare; aliud est sacris operari seu negotia divini cultûs tractare; ut est, Verbum Dei prædicare, docere in Ecclesiâ, Sacramenta administrare, &c. Illud est imperare & præscribere, atque ad summum Magistratum pertinet; Hoc est servire in Ecclesiâ, & est de officio Ministrorum. *Nec verò huic adversatur, si Magistratus à Pastoribus è Verbo Dei informentur,* quid ipsis agendum sit, in constituendo & reformando Dei cultu, quæ doctrina, qui ritus Verbo Dei conveniant, uti factum cõstat passim, quum primitus à Papatu repurgarentur Ecclesiæ: Sic etiam Confessiones, Apologiæ, Catecheses à literatis conscriptæ. *Item si ab ijsdem de convocandis Synodis,* quibus negotia ejusmodi Ecclesiastica pertractari debeant, *admoneantur:* sicuti constat ex historiâ Ecclesiastic. Episcopos, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, Constantinopolitanum, alios, sæpè precibus apud Imperatores contendisse, ut Concilia convocarent, nec rarò impetravisse. *Item si in dictis ejusmodi Synodis Pastores cumprimis de caussis Religionis loquantur & disceptent,* ac judicia sua ferant; hoc enim nihil derogat authoritati & προστασίᾳ Magistratûs, cujus est prospicere, ut omnia fiant decenter; cerebrosiores si qui sint in ordinem cogere, & ad imitationem *Constantini* Imperatoris eos hortari ac etiam providere, ut omnia è sacris literis dirimantur ac definiantur: quod & in antiquis Concilijs observatum est: & à pio Rege *Josaphat* institutum, ut Judices politici, de caussis civilibus,

Sacerdotes & Levitæ de rebus sacris, responsa darent consulentibus: 2.Chron.19.11.

Summam rei complexus est Imp. *Constantinus* insigni illo Epiphonemate ad Episcopos suos: *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam Episcopus a Deo constitutus sum.* Euseb.libr.4.cap.24.de vitâ Const.

CONSECT. 1. Hæc cùm ita se habeant, necessum fuerit, ut qui sunt in Magistratu personæ, omnibus modis in id incumbant, ut veram ac solidam sinceræ Religionis *notitiam* habeant; eoque Verbum Dei diligenter ruminentur, ad exemplum Beroënsium; ut norint ipsi inter verum & falsum discernere: Neque enim nos, ut fit in Papatu, cæcam obedientiam à quoquam exigimus, aut cum imperio fidei articulos credendos obtrudimus; quin cum Apostolo dicimus, 1.Thess.5.21. *Omnia probate, quod bonum est retinete*: & in præsenti quidem negotio iteramus illud ejusdem Apost. 1.Cor.10.15,16,17. neque cupimus ut nobis præter vel extra Dei Verbum quidquam docentibus aures præbeantur, nedum fides adhibeatur. Quod si sufficientem salutis cognitionem Primates sunt nacti, eandem ad subditos suos quoque derivare, ac inter eos conservare tenentur; atque eum in finem media idonea conquirere.

2. Crassa proin ignorantia, si qui sint, qui officij sui duntaxat esse autumant, in civilibus esse occupatos; nec ad se Religionis curam spectare putant, sed ad solos Ministros: ac inde fortasse est quòd tam rari sint in Concionibus sacris, non diebus modò profestis, sed & Dominicis, ac sufficere putant, si de mane ægerrimè Concioni interfuerint: qui si non officij, saltem conscientiæ majorem curam gerere deberent, ac probè considerare, quàm graves olim reddituri sint rationes dati inferioribus scandali, qui ad ipsorum exemplum ad consimilem Verbi Dei neglectum & Sabbathi profanationem deducuntur. Quadrat in hos illud Jerem.8.8,9. *Ecce Verbum Jehovæ spernunt, & cujus rei sapientia esset eis?*

THESIS 2. ἄρσις. Quæ hactenus dicta sunt de officio & potestate Magistratûs civilis circa Religionem, non ita sunt accipienda, *quasi potestatem haberet pro suo arbitratu statuendi* de Religione, fide, & cultu: Uti factum à quibusdam per errorem, ab alijs per tyrannidem: Vid. Ab *Aharone*, qui nullo mandato instructus, vitulum aureum erexit. A *Jeroboamo*, qui ad illius exemplum duos vitulos colendos præcepit in

regno

regno Israëlis novo. 1. Reg. 12. 28. Ab *Achabo*, qui Baaliticum cultum insuper invexit, 1. Reg. 16. 31. &c. Ab *Achaso*, qui altare Damascenum in templo Dei statuit. 2. Reg. 16. 10. &c. A *Nebukadnezare*, qui aureum colossum adorandum erexit. Dan. 3. Cum primis à Pontifice Romano, qui sibi jus tribuit, condere Religionem & fidei articulos, licèt cum Verbo Dei pugnantes, eosque non modò Scripturæ exæquare sed & anteferre; ac hæreseos damnare, fulmineque anathematis ferire eos, qui fidem eis denegent.

Hinc. Sed juxta sacram Scripturam versari tenetur circa constitutionem ac instaurationem divini cultûs: Est enim ea *accurata omnium rerum statera, & norma, & regula*: ut eam scitè appellavit *Chrysost.* in 2. ad Corinth. Homil. 13. sub finem. Siquidem enim ne in civilibus quidem Principibus & Magistratibus omnia pro nutu administrare fas est, sed secundùm leges & jura pronunciare, seque adeò ipsos legibus alligare & subdere: quantò æquiùs est in divinis Legi & Verbo Dei sese illos conformare? Sicut ergò Philosophus (Ethic. 5. cap. 6.) ait: *Non sinimus hominem imperare, sed rationem*: Sic multò rectiùs dicemus; Non sinimus hominem nobis imperare, in rebus fidei, sed Verbum Dei.

DOCTRINA.

Dei solius est, de verò sui cultu præscribere. Minusque est *hominis* ex se ipso pronunciare, quâ ratione Deus sit colendus, quàm est imperiti rustici leges ferre, quæ obsequia Principi sint præstanda.

Deus soli sibi Legislatoris partes vindicat, Jac. 4. 12. is verò Lege & Verbo suo exactissimè descripsit omnium omnia & singula officia, quæ tum sibi, tum proximo velit deferri: cum hâc appendice, ne minimum quidem apicem addendum vel detrahendum esse Legi abs se præscriptæ, Deutr. 4. 2. Dum igitur homines pro suo arbitrio de cultu Dei statuunt, non Deum sed sua phantasmata colunt; non frustrà modò, ut est Esai. 29. 13. sed ingenti cum Dei abominatione: quam testatam fecit in filijs *Aharonis*, quos ignis cœlitus immissus absumpsit, quòd ignem alienum, nec mandato Dei probatum, obtulissent Levit. 10. 2. Et ita quidem toto V. T. tempore observandum erat, quo populus non nisi ad Legem & Testimonium relegabatur, Esai. 8. 20. ut ex eo responsa peteret de Dei voluntate & cultu: hancque obedientiam Deus sacrificijs omnibus præ-

tulit.1.Sam.15.22. Seriè Prophetarum in Malachiâ expirante, ne Judæi ad ἰδιοθέλειαν divergerent, præcautum erat, atque ad observandam *Mosis* Legem populus adstrictus erat, usq; ad *Eliæ* adventum, h.e. *Johannis*, qui Christi erat anteambulo. Mal.4.4. Sic erat in V.T. usque ad Christum, populus in cultu divino ad Legem Dei adstrictus.

In N.T. clamat cœlitus Deus Pater super Christum: *Hunc audite.* Quis autem Christus? Filius Dei, idem ille Deus & unus cum Patre, Joh.10.30. λόγ. & & σοφία essentialis Patris. Plenissimè is omnia ad salutem necessaria nobis revelare & potuit, quia in sinu Patris. Johan.1.18. & voluit, siquidem ad nos servandos etiam cum gloriæ suæ desertione & vitæ dispendio, in mundum venerit. Hebr.12.2. nihil itaque nobis celatum voluit, quod faceret ad nostram salutem, ac Dei gloriam & cultum: adeò ut nemo alius de his vel consulendus vel audiendus: sed cum *Petro* dicendum nobis sit cunctis, *Ad quem ibimus Domine, tu habes verba vitæ*, &c. Joh.6.68.

Istum verò *vitæ sermonem*, quem initiò Apostoli ex ejus ore exceptum, ut veros fidosq; legatos & testes decebat, ubique fidelissimè promulgarunt; eundem inquam, eôdem quo prius spiritu ducti, ut juratis velut notarijs conveniebat, fidelissimè in publicos codices retulerunt, ac posteritati reliquerunt, ac penes Ecclesiam tanquam exactissimam credendorum regulam, deposuerunt.

Ut ergò Christus ipse ad Scripturas V.T. provocavit, ut ex illis populus judicium faceret, ipséne Christus esset annon? verus an fictitius Messias? populi seductor an mundi Servator? Joh.5.39. Ita ad ipsius exemplum, ex Scripturis N.T. judicare oportet, quis genuinus sermo & quæ doctrina Christi Filij Dei, quæ non: Quicquid enim illis consonat ex Christo est, ex Deo est; nam Verbum ipsum Dei est: Quicquid autem ab hoc dissonat, humanum est. Jus autem suffragij nullum habent homines ad constituendas in Ecclesiâ de cultu Dei leges.

Huc referenda sunt, quæ dicit *Irenæus*: *Edocuit nos Deus, Deum scire neminem posse, nisi Deo docente: Cognoscunt autem quibus revelat Filius.* libr. 4.c.14. & *Tertullianus*: *Cui veritas competit sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo?* De animâ, cap.1.

Usus 1. Itaque Religio Papatûs, cùm tota propemodum constet è traditionibus humanis, quarum nullum non modò fundamentum est in Scripturâ, sed & quibus Scriptura evertitur; ut quod de traditionibus ipsorum

ipsorum Christus Judæis dixit, Matth. 15.6. *Irritum fecistis mandatum Dei per traditionem vestram*; idem jure de cultu Papist. dici possit: rectè proin à majoribus nostris factum, quòd eam ipsam ob causam à Papatu secessionem fecerunt; ac Religionem fidemque ad præscriptum Verbi Dei reformarunt.

2. Quin & hodieque rectissimè fit, si pij Magistratus, quæ residua manserunt ex corruptelis & traditionibus Papatûs plenè expurgent; ac ritus à Christo observari mandatos, circa Sacramentorum dispensationem, introducant, qui ad erigendum Idolum missaticum à Papatu sunt neglecti & abjecti.

Ita certè cœtus nostri eam fiduciam erga Magistratum & Ministerium concipere debent, quòd ea, quæ circa sacræ Cœnæ dispensationem ordinare præstituit, omninò Verbo Dei sint consentanea, immò à Christo expressè mandata: quodque ideò ad meliorem ædificationem & consolationem communicantibus sint cessura.

3. Quòd si verò dictâ ratione, cultus omnis, & doctrina salutis, ad canonem Scripturæ exigi debet; vident Pastores quique, quos Deus Ecclesiæ suæ docendæ & pascendæ præfecit, quantæ sit necessitatis, ut diligentissimè Verbo Dei legendo, considerando, ruminando incumbant; siquidem officio suo ritè defungi volent.

Quomodo enim docebunt alios id, cujus ipsi sunt ignari? Quomodo cibatura est columba pullos, si nihil ipsa habeat in ingluvie? *Nubes* erunt *aquâ carentes*, uti appellat *Judas* Apost. *ÿ*. 12. quæ Ecclesiæ agrum salutari doctrinæ imbre humectare nequaquam possint. Unde Apost. Tit. 1.9. à Pastore requirit, *ut sit potens exhortari doctrinâ illâ sanâ, & contradicentes convincere.* *Ezechieli* epistola, *Joanni* libellus deglutiendus erat; inde jussi sunt prophetare: sic indicatum deglutiendum primò Dei Verbum Ministris, antequam prophetare & docere populum Dei possint. Ezech. 2.9. &c. Apoc. 8.8. &c.

Mirum non est, si qui hujus sunt Vocationis, in contemptum abeant, si suâ negligentiâ, ignari sint mysteriorum Verbi Dei, quæ declarare aliis renentur: id enim comminatus est Deus Sacerdotibus ejusmodi, Malach. 2.9. Sed & gravem rationem daturi sunt olim, qui solicitiores fuêre de œconomiâ ejusque augmentatione Ministri, quàm de officio. Ut enim famulus à mercatore aliò ablegatus, ad expedienda Heri sui negotia, si de rebus suis privatis amplius sategerit, quam de negotijs

Heri,

Heri, non modò post reditum pœnâ affici meretur, sed omninò officio destitui: Eandem sanè sortem subibunt Ministri, qui magis sua, quàm Domini curant. *Maledictus qui opus Domini fecerit negligenter.* Jer. 48. 10. Nec putandum est servum illum, qui talentum defodit, nihil prorsus egisse; sua egit, non Domini, ideò damnatus. Matth. 25.

Conclus. Finis cur omnes à Deo conditi sumus, ut ipsi serviamus: Hunc finem cùm Deus de nobis intenderit in nostrâ creatione, est, ut similiter de Deo intendamus in totâ nostrâ vitâ.

In hoc igitur quisque in suâ vocatione & statu primariò incumbat, ut Deo serviat, & cultum ejus promoveat. Beatus servus quem Dominus invenerit sic agentem, &c. Beati erimus, si id egerimus in hâc vitâ: Tuebitur nos Deus ab omni malo, maximè hostibus: Conservabit nos in patriâ, in pace & tranquillitate: Benedicturus est corporali & spirituali benedictione, donec in cœlis ad æternam illam & perfectam felicitatem fruendam adduxerit: ubi cœlesti gloriâ fulgentes Deum sine intermissione celebraturi sumus. AMEN.

(Concio hæc habita die Synodi generalis, quâ de rebus magni momenti deliberatum, Anno 1642. die Augusti 25.)

HOMILIA IV.

In eundem Text.

SEd nunc paullò propiùs ad Contextûs nostri enucleationem attendendum, quâ *Salomon* deplorat injustam munerum & dignitatum in Republicâ distributionem, dum indigni insipientes & improbi, dignioribus alijs præferuntur. Tria distinctè observanda:

I. *Unde hoc malum.*

II. *Quod illud, quamve indignum & inconveniens.*

III. *Quæ subditorum hoc in casu partes.*

PRI-

PRIMUM.

Vers.5.dicit,*Malum hoc,esse simile errori, qui egreditur à facie dominantis.* Ergò à Principe manat,in cujus est potestate honores & officia distribuere. Solent Ministri & Apparitores Principi circumstare,ejusque faciem intentis oculis contueri,ad verba & jussa ejus excipienda: Confer quod *David* dicit Psal.123.2. & *Christus*, Matth.18.20. Dum ergò Princeps aliquid pronunciat,videtur de facie ejus egredi &in lucem prodire,quod antè in pectore concepit,fovit,deliberavit,occultavit.

DOCTRINA I.

Viris Principibus non sine deliberatione agendum est, ac diutinâ præmeditatione & consultatione elaborandum, quod decernere ac pronunciare volunt. Prov.25.2. *Honor Dei est abscondere rem, honor Regum pervestigare rem.* Eoque mysteria cœlestia non sunt temerè rimanda: quia glorioſum Deo,quòd mysteria ejus sunt inscrutabilia: Rom. 11.33.sicut econtrà Regi est glorioſum scrutari & pervestigare cuncta quæ ad regimen spectant.*Sim.*à navium gubernationibus.

Nam eum in finem *Consiliarios* adhibent,ut ipsorum adminiculo & judicio, nihil temerè & impolitum è facie & ore ipsorum egrediatur. *Plato* venustè eos qui indeliberatò agunt,assimilavit illis,qui turbidè vestes induere festinant: inde enim accidit,ut eas perversè induant; dumque festinare volunt,majores sibi moras nectant: Ita,&c.

DOCTRINA II.

Utcunque tamen Principes cum deliberatione agere præstituant, *non tamen semper ab errore sunt immunes.* Neque enim Principes desinunt esse homines; h.e.erroribus obnoxij. Jac.3.2. *Homo sum,humanum nihil à me alienum esse puto.*

Usus a. Tantò igitur magis sapientiam à Deo rogent, qui in Magistratu sunt positi. Jacob.1.5,6.Spiritum sapientiæ,&c.

b. Nec ab omni errore sese immunes existiment,sed & alijs rectiora forsan consulentibus annuant.

c. Non tamen licet subditis, Principes & Magistratus, si quando errorem commiserint (maximè si absque suâ culpâ) ideò suggillare, contemnere, conviciari: Audimus enim ut mitiùs hic loquatur noster Ecclesiastes, dicit enim, *quasi errorem*, seu *simile errori*, quasi vereretur dicam *erroris* Magnatibus impingere.

Unde arguenda est plurimorum temeritas & nequitia, qui nihil pensi habent, in Magistratum convicia & dicteria egerere: quod infrà 7. 20. prohibitum legimus: quâ de re tum (Deo dante) plura.

Porrò is error, quem in elocatione munerum ac dignitatum committunt Principes, vel ex a. *Ignorantiâ* est, vel b. *Voluntate perversâ*.

a. Si ex *ignorantiâ*, inculpabilis videtur error: si nempe Princeps aliter persuasus sit de personâ cui publicum munus decrevit: ut cùm sapientem & probum judicat, qui talis non est, & viciſſim improbum, qui talis non est: indeque illum evehit, hunc deprimit. Ad quem errorem facilè Princeps induci potest, per falsos rumores, ac sinistra de hominibus testimonia; per subdolas ambientium insinuationes, quibus animos Principum captant, aliud præ se venditantes ac promittentes, quàm revera sit: Ut ita Princeps cùm non nisi æquissimè & pro cujusque meritis & virtute conferre munera statuerit, in errorem pertrahatur. Hujusmodi artibus *Absalon* à subditis regnum patris extorquere conatus est.

b. Subinde tamen error est in *voluntate*, seu adfectu; dum ex præpostero amore indigni ad dignitates & munera promoventur; vel quia faceti sunt, vel adulatores qui se ad placita superiorum norunt componere, atque vitijs ipsorum favere; vel quia xenijs & largitionibus suffragia sibi conquirunt.

Errorem ejusmodi *Malum* nuncupat *Salomon*, cùm sc. Princeps confert honores temerè nullâ meritorum aut virtutis habitâ ratione. Ut enim ingens est Reipubl. bonum, si sapientes & probi promoveantur ad publica munera obeunda: quippe (ut ait *Cassiodor.* libr. 11. c. 1.) *quicquid digno creditur, hoc sine dubio multis collatum esse sentitur*: Ita econtrà pestis est Reipubl. si improbi & indigni evehantur. Prov. 26. 8. *Ut qui applicat lapidem baliste, sic qui præbet stolido honorem*: h. e. tradit furioso gladium, quo sibi & alijs noceat. Ut malis instrumentis egregium opus fabricare non licet: sic nec perversis ministris rectè administrari Respublica. Prov. 29. 2. *Cùm augentur justi, lætatur populus; quum autem dominatur improbus, suspirat populus.*

Ob-

OBJECT. Atqui omnia reguntur Dei providentiâ; maximè verò dominatur is in regnis hominum, tradens ea quibus vult. Dan. 2. 21. quomodo igitur per errorem benè meriti deprimuntur, indigni evehuntur.

R. Nullus apud Deum error, qui sapientissimè cuncta gubernat, maxima, minima, medioxuma; etiam quæ maximè fortuita videntur: uti sunt electiones ad certa munera, quæ quod homines attinet, dubium habent eventum. Sed error est hominum, quos Deus vel sic volentes, vel imprudentes errare hoc pacto permittit, justas ob causas, arcana sua judicia exerciturus. Tolluntur impij, depressis pijs propter peccata populi. Job. 34. 30. Deus dat Regem in furore, Hos. 12. 11. Impij

Tolluntur in altum, ut casu graviore ruant.

Pij & Sapientes negliguntur; ut præserventur à varijs peccatis & vitijs, quæ declinare ægrè possunt, qui sunt in sublimitate; uti sunt superbia, avaritia, injustitia, &c. Utque dejecti ex alto (quod sæpè immerentibus accidit) discant evanidos hujus seculi honores contemnere, & ad constantiorem in cœlis gloriam adspirare.

Duplex recitat *Anastasius* (de Conu. Cler. cap. 27.) exemplum: *Phocæ* Imp. de quo cùm pius Monachus questus esset apud Deum, cur eum fecisset Imperatorem? respondit Deus, *Quoniam non invemisset pejorem:* & Monachi, quem, cùm sub larvâ pietatis esset impijssimus, cujusdam in Thebaide corruptissimæ civitatis, Angeli monitu elegerunt Episcopum: Angelus verò magis adhuc insolescentem castigavit his verbis: Cur superbis, & magnificè tibi places, ò infelix: non es creatus Episcopus, *quòd dignus sacerdotio sis, sed quòd civitas tali digna erat Episcopo.*

SECUNDUM.

Vers. 6. Primò dicit, *Constitutus est stultus in excellentijs magnis, divites verò in humilitate sedent.* Opponit *stultum* & *divitem*: Unde colligere est, ipsum per stultum intelligere, non modò hominem insipidum, sed & qui tenuioris est fortunæ, atque exinde contemptus: Tales dum emergere nituntur, duplici nomine *stulti* sunt.

1. Quòd stolidè agunt, dum è pacato & quieto vitæ genere, & humili sorte, ad negotiosum ac multis modis onerosum ac molestum tendunt; præsertim quando ad negotia Magistratûs gerenda sunt inepti.

Alphonsus Arragoniæ Rex cùm inter prandendũ interpellaretur; respondit: Asinorum meliorem esse conditionem, quibus Domini parcant. *Seneca*: *Nihil minus est hominis occupati, quàm vivere*: q.d. occupationes non permittunt homini, sibi vivere. de Brevit. vitæ cap. 6. 9. 10. 11. Idem alibi verè, de Tranquill. an. cap. 36. *Quia in hâc tam insanâ hominum ambitione, tot calumniatoribus, in deterius recta torquentibus, parum tuta simplicitas est, & plus futurum semper est, quod obstet, quàm quod succedat; à foro quidem & publico recedendum est.* Præcipuum ignoravit *Seneca*: nempe, Deo reddendas rationes functionis.

2. Quod improbè agunt; conantur enim emergere, ut contemptum & egestatem effugiant: & sic ab ambitione & avaritiâ aguntur, dum ad munera assurgunt: Unde ea nacti, in hoc saltem incumbunt, ut ambitioni & avaritiæ suæ improbissimè satisfaciant. Hinc est, ut dein ex superbiâ insolescant: ex avaritiâ reddantur dorophagi, injusti, juris perversores, &c. Hi igitur stulti indignissimi sunt, qui in dignitatis & officiorum gradu constituantur.

Hujusmodi *stultis* ac *improbis*, opponit *divites*, quos minùs æquum sit in humilitate subsidere, sed qui ad officia publica promoveri mereantur. Patet autem *Divitis* nomen esse μισον: vel intelligitur de ijs, qui ut malis artibus divitias conquisiverunt, sic malè ijsdem utuntur, ac fiduciam in illis locant, avaris Mammonistis, qui ijdem sunt cum stultis, de quibus antè: De his Servator, *Væ vobis divitibus*! Luc. 6. 24. Item, *Quàm difficulter introibit dives in regnum cœlorum*, Mat. 19. 23. Vel de ijs, qui medijs legitimis ex Dei benedictione divitias nacti, laudabiliter quoq; eas expendunt, in Dei gloriam, divini cultûs promotionem, subsidium pauperum. Tales non nummis modò, sed & sapientiâ ac virtutibus sunt divites, simulque honorati & in existimatione ac eminentiâ constituti; juxta illud, Eccles. 7. 11. *Bona sapientia est cum hæreditate*; adeoque & animosi, excitati, industrij ad res officij dextrè & fideliter gerendas.

Sensus clarus est; deplorat *Salomon* confusum rerum ordinem: nempe eos, qui ob excellentiores animi ac fortunæ dotes ad gubernacula Reipubl. evehendi essent, publico bono, posthaberi; surrogatis alijs improbis, ineptis, insipidis, obscuris, sibi & Reipubl. exitiosis. Lucidiss. hujus rei exemplum in aulâ regiâ *Saulis*, quâ *David* de publicâ salute meritissimus exulare coactus est, trucidatis insontibus alijs: adsciti improbi assentatores, proditores, hominesque mendaces; inter quos *Doeg*.

Vers. 7. Eò-

Vers.7. Eòdem spectat quod sequitur: *Vidi servos super equos*, quod Magnatum, ut *Josephi* & *Mardochæi* exemplis clarum est, & *Principes ambulantes velut servos super terram.*

Ad literam nihil continet absurdi hic versus. Hæc enim est ipsa fortunæ instabilitas, quam tamen universi hujus Rector certâ lege gubernat, ut tenues evehantur è pulvere; deijciantur elati. Psal.112.6,7. 1.Sam.2.8. Luc.1.52. 1.Petr.5.6. Ex. in 70. Regibus, & *Adonibesech*, Judic.1.6,7.

Nec verò si è servili conditione quis ad regni gubernacula evectus est, obsequium & subjectio ei deneganda. Neq; enim attendendum quis olim fuerit; sed quid nunc sit, quemve ipsum Deus esse voluerit, cujus est dare Reges, & constituere Magistratus. Id venustè *Amasis* ad regnum Ægypti evectus subditis obtrectatoribus & honorem detrectantibus, insinuavit: Lavit is pedes ante oculos omnium ex aureo pelvi, è quo post Idolum conflari jusserat; quod mox Ægyptij pro more adorare cœperunt: Rogati cur non idem aurum antè, cùm adhuc pelvis esset, adorarint; responderunt, aliam nunc esse auri conditionem, quàm priùs: quo ipso argutè Rex eorum incogitantiam perstrinxit, quòd muneris sui nullam habeant rationem, utcunque è humili sorte evectus esset in solium. *Herodot.* in Euterp. l.2.n.69.

Sed enim idem repetit argumentum *Salomon*, quod antè. Itaque per *Servos* intelligit homines servilis ac rudis ingenij & conditionis, ineptos ad rerum gubernacula, & ad inserviendum potiùs alijs natos, quàm imperandum; quos pedibus incedere alijsque equitantibus accurrere magis conveniat quàm equis splendidis, nobilium famulitio stipatos vehi. Per *Principes* contrà, homines claro natos sanguine, tum nobilis & excelsi animi, atque illustribus virtutum ornamentis decoratos, quosque adeò natura quasi ad alios regendos finxerit. Ut sic denuò perturbatum rerum ordinem, & inæqualem partitionem munerum perstringat *Salomon*. Et certè mirum non est stomachum ista movisse *Salomoni*: Quid enim videtur absurdius, quàm dum qui est cauda assurgit in verticem; pedes evehuntur suprà caput; servi imperant dominis; sapientibus jus dicunt stulti; cæcus non tantùm cæcis, sed oculatissimis ducatum præstat; atque ita susque deque traduntur omnia?

Quod tamen dum contigit, etiam in his Dei providentiam agnoscere nos oportet, non turbido Fortunæ cæcæ rotatui ista deferre. Ps.75.7,8.

nec ullatenus Dei istam dispositionem suggillare, quâ judicia sua exerceat, occulta quidem at justa semper.

DOCTRINA.

Illud equidem verissimum est, *Qui servili sunt ingenio ac conditione, semel adeptâ potestate, insolentissimos, inhumanissimos, ac severissimos evadere. Sub tribus commovetur terra, immo sub quatuor, quæ non potest ferre: Sub servo, quum regnat, & stulto quum satur est cibo. sub exosâ, quum maritatur; denique sub ancillâ, quum hæres efficitur hera sua.* Prov. 30. 23.

Asperius nihil est misero cùm surgit in altum, &c.
Claudian. libr. 1. in Eutrop.

Deterrimè enim ac impotenter imperant: Quod enim natalibus, meritis, virtutibus deesse sibi vident, adesse autem alijs ingenuis, probis, ac sapientibus; id supplere nituntur improbo potestatis abusu, incusso cunctis, à quibus se amari non posse sciunt, metu. Ex. *Herodes*, obscurâ Rex origine, quàm ille sævijt, in proprios filios, in concilium Sanhedrim, in pueros Bethleemiticos, ut se in occupato per tyrannidem regno firmaret. *Anton. Felix* ex servo & liberto Claudij, ab eo creatus Judææ Prorex, per omnem sævitiam (verba sunt Taciti libr. 5. Hist. cap. 2.) ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit. Actor. 24. 25, 26. Romani etiam (teste Suetonio cap. 59.) Tiberio occlamabant:

Regnabit sanguine multo
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Tales autem fortunæ instabilitatem agnoscere conveniret, facilè enim in pristinum statum redigi possunt à Deo.

DOCTRINA. general.

Ad munia igitur publica distribuenda, quid æquitas, quid salus publica exigat attendendum; atque omninò in hominum qualitates & conditiones inquiratur; ne stulti præ sapientibus, improbique scelerum servi, præ Principibus & virtute nobilitatis deligantur. Observetur consilium *Jethronis*, Exod. 18. Exemplum *Davidis*. Psal. 101.

HO-

HOMILIA V.

TEXTUS vv.8,9.

Qui fodit fossam, in eam cadit; & qui perrumpit maceriam, mordet eum serpens: Qui amovet lapides, dolore afficitur eis; qui findit ligna, periclitabitur eis.

Dixerat *Salomon* de notabili errore, qui à Dominantibus seu Principibus non rarò committi soleat, dum fatuos & ignobiles muneribus præficiunt & extollunt; præteritis & neglectis aliis, qui & genere & virtute ac sapientiâ divites sunt ac præcellentes.

Hujus nunc erroris noxam & damnum reliquo cap. perstringit paullò fusiùs, ut temeritate & inconsiderantiâ profligatâ, circumspectius agant Principes in distributione dignitatum, nec tam intenti sint in suos affectus, ut illis satisfaciant, quàm bonum publicum, ut illud promoveant. Ostendit itaque *Salomon* inæqualem ejusmodi ac distortam munerum collationem, detrimentosam esse,

I. *Ipsi Principi.*

II. *Subditis & Reipublicæ.*

I. IPSI PRINCIPI.

Variæ sunt causæ ob quas Principes & Magistratus non rarò indignos evehant ad dignitates & munera; de quibus dictum antè. Cumprimis autem fit illud vel ex præpostero nobilium & sapientum odio, vel stultorum & ignobilium amore; adeoque dum pravis suis affectibus abripiuntur. Nunc verò ostendit *Salomon*, quanto suo cum damno utrique affectui obsecundent.

A. Primò

A. Primò quidem, si ex perverso odio dignos deturbent.

B. Si ex præposteró amore indignos evehant.

A. PRIUS.

a. Quia malum seu injuria quâ digniores afficiunt, in ipsorum caput recidat. vers. 8, 9.

b. Quia tantò plus sibi curarum & laboris accersant in gerendâ Republ. vers. 10.

c. Quia malè eâ in re obtrectatoribus bonorum, aures præbeant. vers. 11.

a. Non rarò accidit, ut Principes & Magistratus suis amicis aut familiaribus munera & dignitates deferant, licèt indignis; dum interim alios nobiliore genere natos, sapientiores, quorumque majora sunt merita deturbant, non sine insigni ipsorum injuriâ: Dum verò sic indignos ut adipiscantur dignitates, cum alterius detrimento & dejectione juvant; sæpissimè sibi ingens malum & pœnitendum accersunt: dum vel serpentina ipsis gratia redditur ab ingratis; vel aliâ ratione gravem sibi molestiam conciliasse comperiuntur.

In hujus rei probationem quatuor elegantissima adducit similia *Salomon*, quæ eôdem recidunt, nempe: Qui alterius damnum quærit, proprium invenire: seu qui alij malum parat, aut struit insidiosè; in sui majorem perniciem id facere. *vs.* 8. & 9. Text.

8 Primum est: *Fodiens foveam in eam incidet.* Petitum è Psalmo 7. 16. Translatio sumpta est à *Venatoribus*, qui ad feras quasdam captandas, putà lupos, vulpes, lepores, etiamque apros ac leones, foveas parant, easque virgultis & cœspite leviter contegunt, in quas feræ incautæ incidant: in quas tamen non rarò venatores ipsi impetu abrepti, dum bestias persequuntur, ac fovearum minus curiosi, ipsi præcipites ruant; ac sæpè cum feris ipsis non absque vitæ suæ periculo. A venatoriâ ad rem militarem transijt iste per foveas decipiendi modus. Jerem. 48. 44. Tales Angli Normandis paraverant, in quas dein ipsi prolapsi sunt. Crantz. libr. 3. cap. 20.

In eundem planè sensum, aliæ quoque è re venatoriâ petitæ similitudines extant in Scripturâ: maximè à *laqueis* vel retibus, quibus aves & quadrupedes nonnullæ constringuntur; atque ipsos sæpè aucupes ac venatores incautos comprehendunt; quod *David* hostibus suis imprecatur,

catur, Psalm.35.7,8. Prov.5.22. Ab ijs qui proprio gladio incumbunt; & proprio arcu læduntur. Psal.37.14,15. Item à *lapide* sursum projecto, at in caput proijcientis recidente. Psal.7.17. Similia hæc congesta leguntur, Syrac.27.28.&c.

2 Secundum est. *Dissipans sepem, mordebit eum serpens.* Disrumpere sepes, quibus prædia muniuntur, non leve creat possessori damnum; quia per rupturas jumenta perrumpunt, atque omnia vastant ac depascunt: Qui ergò in damnum proximi sepes dissipat, caveat, ne serpens, qui inter vepreta sepium delitescere solent, prosiliens ipsum mordeat; sic jure dum alij nocere intendit, ipse majorem noxam incurrat, siquidem serpentis morsus sit lethalis. Accidit tale quid, licèt non malum cuiquam paranti, *Paulo* in Insulâ Melitensi. Actor.28.3.

3 3. *Transferens lapides, dolore afficietur in eis.* Qui maceriam aliquam aut lapidum struem diruere cogitat; non modò insignem sibi creat mœstitiam ac laborem: sed insuper gravi se periculo objicit; quia fieri potest, ut ipse lapidibus cumulatim decidentibus obruatur; aut ad minimum casu vel allisu unius lapidis lædatur: Ita qui alijs damnum molitur, periculo seipsum exponit, ne gravius aufferat. Revocar hoc in memoriam *Samsonis* historiam, Judic.16.30. & *Abimelechi*, Judic.9.53. Et eos, qui ad lapidem angularem Christum impingunt, dum eum removere nituntur.

4 4. Tandem ait: *Scindens ligna, discrimini se exponit per illa.* Quia ex repercussione ligni, aut à festucis dissilientibus lignator facilè capite, oculis, manibus, alijsque membris vulnerari potest: sic qui res difficiles & periculosas aggreditur, ad nocendum proximo intentus; ipse periculis illis sæpè succumbit & læditur, juxta illud: *Qui amat periculum, in illo peribit.*

Viderunt idem Ethnici sapientiores, qui multas egregias gnomas in eundem planè sensum ediderunt.

Malum consilium consultori pessimum. Hesiod.

——— *Nec Lex hâc justior ulla,*
Quàm necis artifices arte perire suâ. Ovid.

In hâc ipsâ verò re scitè videntur Numinis *Providentiam & directionem* attendisse; ut injustam noxæ pœnam, quam alius alij vel inferre præstituit, per anticipationem prior illam ipsam sibi attrahat: vel si jam intu-

lit, pari supplicio afficiatur si non majore; nempe quia sic Dei exigit justitia, ut par pari reddatur. *Per quæ quis peccat, per eadem punitur.* Ita *Rhadamantus* apud *Aristot.* 5. Ethic. pronunciat, *justum esse, ut quæ quis fecit injuste, eadem & patiatur.* Qui consonat Pythagoræorum axioma:

Jus rectum fuerit, factis si perferat æqua.

Hâc de re alibi egimus fusius.

Usus. Moniti ergò abstineamus ab omni fraude, damno, injuriâ proximo inferendâ, ne malum in nostra capita recidat: memores regulæ Christi, *Quod tibi non vis fieri, proximo ne feceris.* Matt. 7. 12. Item, *Quâ mensurâ, &c.* Luc. 6. 38. Posset id per singula Decalogi præcepta 2. Tabulæ per inductionem ostendi.

5. Qui parentibus sunt immorigeri, tales experiuntur suos liberos.

6. Qui alijs necem intulerunt, rarò ipsi naturali morte decedunt.

7. Adulteri & scortatores, sæpè in suis conjugibus & liberis experiri coguntur.

8. Qui alium fraudat, spoliat; incidit in tales, à quibus & ipse fraudatur & spoliatur: qui vel alios ad stipem adegere; & ipsi in paupertatem prolabuntur.

9. Qui alijs obtrectant, detrahunt, &c. idem ab alijs ipsis impingitur, ut aliorum detractiones & convitia ferre & audire cogantur.

Quòd si maximè retributio mali non ab hominibus, nec in hoc seculo semper sequatur; certò tamen Deus, futuro seculo plenariam damni proximo per injuriam illati retributionem præstiturus est. (Vide Hom. de hâc materiâ pecul. in fine commentarij.)

Sensus specialior.

Specialiùs paullò Interpretes ista transferunt ad eos, qui Leges, consuetudinesque in Republicâ antiquitùs receptas, ex curiositate, ambitione, aut alijs perversis affectibus abrepti perrumpunt, abrogant, mutant; novasque inde constitutiones ac leges condunt. Sunt enim bonæ Leges munimenta ac sepes Reipublicæ: Unde *Heraclitus* Ephesius, apud Laërtium dixisse fertur: *Cives non minùs Leges bonas, quàm mœnia civitatis tueri debere.* Sicut enim disruptis muris necesse sit domum cadere; sic publicam salutem Legibus sublatis. Hinc *Xenophon* libr. 2. Hist. Omnes Reip. mutationes διαφθορὰς seu mortiferas esse dixit: h. e. cædes ac motus periculosos gignere, ac sæpè suis auctoribus exitium attulisse.

Talibus

Talibus ergò seu Antiquatoribus seu Novatoribus cavendum, ne suo illo facto turbas excitent ac seditiones; atque seipsos in periculum adducant: ut serpentes quidam vindicatrices in ipsorum capita se propripiant, eosq; lethaliter saucient: néve dum *limites quos posuerunt majores transferunt*, Deut. 19. 14. adeoque & leges ab ipsis conditas pervertunt, molestiam sibi & periculum creent: ne denique, dum scindunt lignum, seu arborem Reipubl. florentem, virentem, benèque constitutam dilacerant importunis innovationibus; excitent ac irritent qui in faciem ipsis resultent, ægreque ferant earum ambitionem ac violentiam.

Locrensium mos fuit, ut si quis novam legem rogare velit, collo in laqueum inserto, id facere cogatur: Quæ lex si honesta & utilis videtur, auctor ejus vivit & abit; sin minus perit & obit. *Justinus* lib. 3.

Quòd si vetustæ leges quædam incommoda adferre secum videantur, non statim immutandæ sunt prorsus, sed tanquam in navi laborandum, ut resarciatur, quod intolerabile videtur. Nam qui semper leges corrigunt ac mutant, ut novis quæ subinde pullulant sceleribus corrigendis occurrant, ij certè in nova & majora incommoda incidunt, velut si Hydram resecarent. Quæ verò consuetudines, Legi divinæ, quę antiquior est omnibus humanis adversantur, illiique sunt obstaculo; eæ certè citra omnem deliberationem resecandæ, & ad normam Legis Dei revocandæ sunt.

Quæ de *mutationibus* in Republ. vitandis dicta sunt; ea perinde valent de Ecclesiâ: juxta tritum illud, *Mutationes in Ecclesiâ periculosæ*. Certè quia Papæ sibi licentiam sumpserunt, pro libidine novas leges novosque cultus statuendi; factum inde ut sincerus Dei cultus tantùm non prorsus obliteratus fuerit in Papatu, & in horrendum Idololatriæ & superstitionum omnigenarum chaos degenerarit. Sic ut qui ante seculum, Ecclesiam & cultum Dei juxta normam Verbi divini reformarunt, non pro Novatoribus sint habendi; sed qui novitates à Papis introductas abrogarunt, veteremque Dei cultum eoque sincerum reduxerunt; quod ipsum de abrogatione hostiarum orbicularium in cœnâ, ceu Papatûs invento statuendum, quæ hoc tempore apud nos suscipitur, &c.

HOMILIA VI.

TEXTUS ℣.10,11.

Si postquam hebetaverit ferrum, is aciem non exacuat, sed vires intendat: at emolumento ad dirigendum est sapientia. Si momorderit serpens nondum adhibita incantatione, tum nullum est emolumentum incantationis tenenti verba eius.

6. ALterum incommodum, quod incurrunt Principes & Magistratus, qui benè meritos in constituendis muneribus deturbant, est, quòd *eâ ratione regiminis labores sibi aggravant*: quod venusto simili declarat *Salomon*, petito à ferreo instrumento, cujus acies obtusa est, sic ut ægrè illo quidpiam scindere liceat: quo tamen si quis uti velit, duplo plus virium & roboris intendere cogitur, quàm si ejus acies fuisset acuta: Ita hominibus, qui hebetis & obtusi sunt ingenij, nihil commodè in Republ. confici potest; sed illis demum qui per sapientiæ studium sunt expoliti. Illos igitur si adhibeat Magistratus ad obeunda officia, experietur nihil rectè esse expeditum, tantoque adeò sibi plus curarum & laborum accerset, siquidem illorum uti velit operâ.

Text. ℣.10. *Si hebetatum fuerit ferrum* (gladius, culter, securis, bipennis, ex ferro confecta) *& hujus aciem* (sc. rubigine obductam) *non terserit* (expoliendo & acuendo illam) *vires roborabit* (sc. scindens, h.e. necesse habebit tantò magis vires intendere, siquidem illo scindere quidpiam velit.) *At excellentia directionis* (seu *rectificationis*) *est sapientia*: q.d. fortitudine tantâ, tantoque labore non erit opus in rebus gerendis, ubi sapientia affuerit, promptè, expeditè, utiliter, & commodè

modè cuncta efficiantur; quia sapientia est instar ferri expoliti & acuminati, cui nihil est impervium; sapientia magis potest aliquid rectificare, ut ad usum adhiberi possit, quàm quicquam aliud. Itaque homines sapientes, politi, & acuti ingenij, fructuosissimè ad munera quælibet dextrè obeunda adhibentur. Hic est, opinor, sensus & scopus hujus paræmiæ, ut aliorum interpretamenta præteream.

Summa: Qualis est differentia inter ferrum obtusum & acutum; talis inter hominem ineptum & obtusi ingenij, & hominem animi generosi & sapientis. Illius opera si adhibeatur, nihil feliciter succedit, sed ægerrimè ac plus quàm duplicato labore aguntur cuncta: sin hujus, facilè & ad nutum cuncta succedunt.

Usus. Vident ergò Rerumpubl. Directores, quanto tum suo tum Reipubl. incommodo protrahant homines ineptos ad munia, aspretis magis idoneis. Hoc ergò dum fit, indicio est, non studium boni publici, sed affectus & τὸ privatum prævaluisse: hoc verò si prædominetur, pestis est Reipublicæ & præsentaneum exitium.

Non viris munera, sed muneribus viri sunt præficiendi: tumque demum Reipublicæ negotia rectè erunt procurata; tantoque quietior & securior possit esse Princeps aut alius Magistratus summus, cui cordi est salus publica. Tale fuit consilium *Josephi* quod *Pharaoni* dedit. Gen. 41. 33.

Alij, quibus & versio *Lutheri* adstipulatur, laborem, sedulitatem, industriam, exercitationem & usum rerum commendari volunt: ut sensus sit; sicut ferrum ex situ rubiginem attrahit & seipsum consumit; usu verò crebro splendescit; atque etiam crebrâ confricatione cotis vel chalybis acuitur: Ita mens otio, gulâ, alioque vitio hebetatur; quæ aliâs labore & exercitio virtutis, scientiarum & artium quarumlibet efficitur nitidissima, ornatissima, humano generi utilissima, Deoque placentissima.

De studio & industriâ.

Istud porrò *studium, industria & exercitatio ista*, tum in *addiscendis*, tum *exercendis* virtutibus & artibus spectatur.

a. In *addiscendis* quidem: Ut sicut ferrum rude & informe è terrâ eruitur, quod multo demum labore ac vario, aptatur ad instrumentum, variis actionibus humanis utile & idoneum: Ita homo rudis & ineptus in mundum prodit, ad malum & vitia proclivior, quàm virtutes; quòd si ergò is usus aliquos in vitâ humanâ præstare debet; labore & industriâ

opus est, tum in Docentibus, qui artibus & scientijs ipsum imbuant; tum ipsis Discentibus, ut studium, diligentiam, solertiam adhibeant.

Usus 1. Hic ergò *Docentes* quique Magistri, Pædagogi, Parentes, officij sui admonentur, ut in expoliendâ & acuendâ juventute sint seduli. Ut enim feræ ipsæ hominum industriâ cicurantur; multò magis homines diligenti culturâ & institutione bonis artibus & virtutibus imbui possunt.

2. Ne tamen & *Discentes* suo desint officio: Nempe ut sint instar ferri boni & tractabilis in manu fabri: aut cultri in manu acuentis; quod pro lubitu tractat & versat sine ejus renitentiâ: Ita discipuli debent esse solertes, industrij, obsequiosi, prompti, & ad rem attenti, dociles, &c.

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem præbeat aurem. Horat.

Maximè verò ne sint desides & ignavi.

——— Labor omnia vincit
Improbus. ———

Vis & efficacia continui laboris patet in *guttâ*, quæ cavat lapidem sæpè cadendo: In *ferro*, quod continuo usu atteritur.

Non jacet in molli veneranda scientia lecto.

Quin etiam discipuli, ubi profectus fecerunt, norint se ad *gratitudinem* erga Magistros, Præceptores, Parentes obstrictos esse. Si gladius vel culter elegans rationem haberet, non equidem indignaretur fabro, quòd tundendo, nec politori, quòd lapidi duro admovendo, è rudi ferro taliter apparârint; sed potiùs gratias ageret: Ita nec discipulos ægrè ferre institutionem licèt quandoque tædiosam oportet; sed gratias potiùs referre pro labore qui in ipsis poliendis adhibitus est.

b. Ubi verò homo virtutes, artes, disciplinas assecutus est; tum certè non desidiæ se dedere debet; sic enim illæ in ipso rubiginarentur, conciderent, evanescerent: sed *exercere*, in actum revocare, adeoque in illis usurpandis laborem, industriam, diligentiam adhibere debet. Nocentissimum vitium, otium & ignavia, ut quæ totum hominem corpore & animo corrumpit: Illi morbos, huic vitia attrahendo. Qui non sunt in labore hominum, in labore Dæmonum erunt: ait D. *Bernhard.* super Cantica. Conf. Matth. 12. 44. At cernere id est in ferramentis, quæ ex situ turpem mox rubiginem attrahunt: Ita &c.

Econtrà

Econtrà ſicuti vomeres continuo uſu: ſplendeſcunt ſic animus hominis continuo virtutis & ſcientiarum exercitio ſplendidior & perfectior evadit. Quò multum quoque facit Converſatio cum ſapientibus, doctis, virtute & ſcientiâ claris hominibus: juxta illud, Prov. 27. 17. Et hæc quoque crucis & adverſitatum ac tentationum divinarum eſt ratio, ut ſint adminicula, quibus ad exercendas virtutes Chriſtianas excitemur; ut illarum nitor & gloria appareat, nos in illis augeſcamus.

Vide Hom. 3. in cap. 9. Eccleſ.

c. *Tertium* incommodum quod incurrunt Principes, ſi ex perverſo quopiam odio vel adfectu digniores officijs deſtituant, eſt, quòd male ab obtrectatoribus paſſi ſint ſe corrumpi & ſeduci: Nam, ut dictum eſt, id hominum ſæpè in cauſſâ eſt illius mali, qui ſuis calumnijs & detractionibus dignos quandoque & ſapientes falsò traducunt apud Principes & Magiſtratus, quò minùs ipſis faveant, ac eorum promotioni conſentiant.

Nunc ergò *Salomon* Obtrectatores quales ſint deſcribit, quàm vel malè faciant Principes, ſi aures ipſis accommodent, oſtendit; ſc. quòd nihilò meliores ſint ſerpentibus non excantatis, quorum morſus ſint venenati & nocentiſſimi.

Verſ. 11. Text. *Si mordeat ſerpens non incantatus* (Hebr. absq; murmure ſc. excantatoris) *ſic non eſt excellentia linguaci*: ſc. major quàm ſerpentis mordentis, q. d. nihilo melior eſt linguax, ſeu qui linguam habet mordacem, procacem, virulentam, quâ utitur ad detractionem & maledicentiam; quàm aſpis mordax, non excantatus. *Calumniator aſpis, calumnia venenum.*

Ita ergò homo maledicus & *detractor aſpidi, Calumnia verò & obtrectatio veneno* ſeu morſui aſpidis comparatur, hîc & alibi in Scripturâ. Serpens & detractor æquales ſunt, ait *Hieron.* in h. l.

1. Ac *primò* quidem illud, quod in Textu dicitur: *absque murmure* vel ſibilo, quidam ad ſerpentem referunt, qui latens occultè & tacitè inſidiat & admordeat, ut nec videri nec caveri potuerit. Et hoc quidem proprium eſt detractionis, quòd non niſi abſenti convitiatur, & quaſi furtim famæ bonæ exiſtimationem imminuat: in hoc diſtincta à contumeliâ, quòd hæc præſentem convitiatur & dehoneſtat.

2. *Secundò* verò, ſi *murmur* illud referendum ſit ad excantatorem, præ-

rem, præ cujus incantationibus aspis aures obturet, unam vid. terræ admovendo, alteram caudâ obturando, sicque se adversus incantationem præmuniat, ut mordere possit: Ita detractores omnibus modis obsistunt illis, qui famam proximi tuentur; nolunt audire quæ ad ipsorum faciunt honorem ac defensionem.

3. Serpentibus tribuitur *morsus* isque venenatus & lethalis; ad indicandum dolorem & noxam, quam detractores iniqui proximo impingunt, dum famæ ejus nequiter detrahunt, quæ hominibus ingenuis charior esse solet ipsâ vitâ: hanc enim qui perdidêre mortuorum instar canum nihili habentur, &c.

Similiterque alibi lingua detractoris cum rebus immanissimis comparatur, & in humanam perniciem paratis: veluti cum gladio ancipiti, rôpheâ bis acutâ, sagittis seu jaculis, laqueis, plagâ insanabili, flagello, &c.

4. Serpentis *lingua bifida* aut *bipulca* dicitur, non quòd revera ita sit, sed quòd ita volubilis illa sit, ut dum illam velocissimè vibrat, duplex vel triplex ejus jactus, totidem linguas spectantibus mentiatur: Ita lingua detractoris triplex vulnus infligit: *Unum* proximo, cujus famam lædit: *Alterum* auditori, & detractorem admittenti, cujus cordi venenum calumniæ infundit, quo infectus odisse occipit, quem antè amaverat & suspexerat. *Dum aures inficit, animum interficit.* Bern. Serm. 24. in Cantic. *Tertium* sibi, suæque conscientiæ, cui non minus lethale peccati commissi vulnus infligit. Pulcrè D. Bernhardus, Sermone de triplici custodiâ, manûs, linguæ & cordis: *Levis* (inquit) *quidem res sermo est, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit sed graviter urit: leviter penetrat animum, sed non leviter exit: profertur leviter, sed non leviter revocatur: facilè volat, atque ideo facilè violat charitatem.*

5. Serpentes venenum in ore suo valdè gestant *occultè*; aut in vesiculâ quâdam subtus linguam latente; aut in gingivæ cavernulis; aut in ipsis fistulatis dentibus; quod vel mordendo inspuunt, vel etiam spuendo jaculantur: Sic ora & linguæ detractorum venenis calumniarum scatent. Psalm. 140. 4. ut continuò illa ebulliant; proprumque tam sit ipsis convitiari quàm loqui, ex naturæ diabolicâ perversitate.

6. Ferunt morsum & ictum viperæ *lenem* admodum esse, ut vix tum sentiatur cùm impingitur, sine tumore; virus tamen ejus illicò ad sanguinem & viscera permeare: quod *Ælianus* confirmat exemplo Cleopatræ, quæ aspidis morsu sese interemit, placidissimum genus mortis,

certum tamen & præsentaneum exquirens, ne cum *Antonio* marito à Cæsare *Augusto* victo triumphi contumeliam ferre cogeretur. Ita sermones maledici blandi sunt & jucundi, nihil minus præ se ferentes quàm proximi odium, adeoque pleni hypocriseos. Fingit enim commiserationem cum nævis proximi, immiscet suspiria, testatur dolorem: negat malo fine talia se de illo profari, &c.

7. Ex aspidis morsu vix gutta distillat sanguinis, illa tamen obscuri & *nigri*: sic detractores commodè obscurare & denigrare dicuntur lucem & candorem famæ proximi. Ut rectè detractorem innuens *Horatius* dixerit:

Hic niger est, hunc tu Romane cavето.

Horum omnium vividum exemplum in serpente antiquo illo, Diabolo, qui detractorem acturus in Dei contumeliam, & hominum perniciem, serpentis formam non abs re induit; in quâ morsu suo verè venenato & lethali humanum genus infecit & occidit. Conviciatur Deo invidentiam illi intorquens, amorem hominis simulat, cui venenum suum infuderat. Vident ergò qui sint, & quo instigatore agantur detractores quique: quibus utiq; metuendum, ne ignitis olim serpentibus cruciandi tradantur in gehennâ: sic enim & Judæis obtigit, quum serpentinis morsibus murmurassent & insurrexissent contra *Mosen*, &c. Num. 21. 6.

De excantationibus serpentum.

Adhuc unum & alterum expediendum restat, de *excantationibus* serpentum. An certum sit excantari posse ne noceant; an item illi aures obturent ad præcavendam incantationem: sicuti Psalm. 58. 5. dicitur. *Augustinus* censuit rem ita se habere, & ita doceri ab ipso Spiritu S. cui plurimi Patrum abstipulantur: nec refragatur experientia, & venenum & nocendi facultatem serpentibus incantando adimi posse. Quâ de re etiam multa apud Poëtas. Virgil. in Pharmaceutriâ,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Dubium tamen non est, quin excantationes istæ fiant, tum quidem ex Dei permissione; tum verò ex Magorum cum Dæmone pacto, & familiaritate: neque enim naturalis est illa carminum vis, ad mirabilem ejusmodi serpentum exarmationem, Deum autem moderari ista, liquet ex Jerem. 8. 17.

QUÆSTIO.

Nunquid verò dixeris, *licita fuerit istiusmodi serpentum incantatio*, quòd ipsis sacris literis celebretur? Attendenda verò hîc regula *Augustini* ajentis: *Non undecunque trahitur similitudo à scripturis, laudatur ipsa res. Non enim laudavit iniquum judicem, qui nolebat audire illam viduam.* Luc.18. *Nec laudavit pigrum, quitres panes, non propter amicitiam dedit petenti.* Luc.11. *Attendite quid dicatur ad similitudinem, quid moneatur ad prohibitionem, &c.* Sic furi assimilat *Christus* adventum suum. Judæos colonis filium interficientibus. Omnem autem incantationem esse vetitam liquet ex Deut.18.10,11.

Usus 1. Nos verò id agamus quod monet Servator Matth.10.16. *Estote prudentes ut serpentes.*

2. Itaque ad detractiones aures obturemus; dum salva nobis est conscientia. *Pelopidas*, cùm quidam militum ejus apud ipsum delatus esset, quòd ei detraxisset, respondit: *Equidem facta ejus resciо: verba autem non audivi.* Stob. serm.40.

3. Serpentes detractores excantemus, oratione & beneficentiâ, sic non nocebunt. Eos tamen cane pejus & angue vitemus, nec illis conformemur: memores nos ad benedictionem esse positos.

HOMILIA VII.

TEXTUS Vs.12,13,14,15.

Verba oris sapientis sunt gratiosa, labiis verò suis stolidus absorbet se: Initium verborum oris eius, stoliditatis est, & finis verborum oris eius, insaniæ pessimæ. Ut stolidus ipse multis utatur verbis: nescit iste homo

homo quid sit quod dicat; aut quid futurum sit posteà; quis indicaret ei? Labor stolidorum fatigat ipsorum quemque; ut qui nesciat ire in civitatem.

B. POSTERIUS.

QUàm improvidè agant Principes & Magistratus summi, si perverso quopiam & indigno odio homines sapientes ac nobiles in officijs distribuendis negligant, & velut de gradu deijciant, ad quem naturâ videntur esse facti, in præced. visum est.

In eôdem jam themate pergens *Salomon* ostendit, quàm noxium sit, si ijdem ex amore & favore perverso stultos & ineptos evehant, & rebus gerendis admoveant: institutâ vid. comparatione inter sermones adeoq; consilia, sapientis & stulti. Contendit enim consilia & orationem sapientis plenam esse gratiâ: contrà stulti sermones esse incongruos, vanos, noxios, pluribusque nævis scatere; actiones item planè inanes & inutiles.

Hanc a. *Primò antithesin in genere exponit.*

b. *In specie nævos sermonis & laboris stultorum exaggerat fusius.*

a. Illud est ψ.12. *Verba oris sapientis gratia: labia autem stulti absorbent, seu perdunt eum.* Sensus est; sermones sapientum non modò esse gratos & jucundos auditoribus, sed etiam utiles & salutares; ita quidem, ut illis gratiam, favorem & amorem ipsorum acquirant. Contrà non modò insulsos esse & ingratos stultorum sermones, sed & ipsis noxios, utpote quibus seipsos perdant, tum etiam audientibus.

Multa in hanc rem venustè extant in Proverbijs. Confert illis *Salomon* sermones sapientum *pascuis opimis*, Prov.10.21. Labia justi pascunt multos *Medicinæ*, Prov.12.18. *scaturigini vitæ*, Prov.13.14. *favis melleis*, Prov.16.24. Commendatur ista sermonis gratia de Christo, Psal.45.3. Luc.4.24. de Apostolis, Actor.4.13. De Verbo Dei passim, præsertim Psal. 119. Nimirum, quia Deus ipsa est sapientia: ideoque & Scriptura sapientes reddit ad salutem, 2. Tim.3.15.

Causſa diſcriminis inter ſermones ſapientis & ſtulti, quòd illius ſint gratioſi, hujus exitioſi, eſt ab utrorumque fonte, qui eſt cor & mens humana: ſicuti *Chriſtus* innuit, Matth. 12. 34. 35. *Simil.* Ut quibus interiora viſcera putrent, ingratum vaporem loquentes exhalant: Ita quorum cor vitijs fœtet, fœtidos ſermones eructant. Oratio index animi. Talis hominibus eſt oratio, qualis vita. *Non poteſt alius eſſe ingenio* (actionibus) *alius animo eſſe color; & oratio vultus eſt animi.* Seneca Epiſt. 114. & 115.

Usus. Siquidem igitur ſapere velimus, eò tendamus ut ſermones noſtri ſint gratioſi, utiles, verecundi, ad ædificationem auditorum compoſiti: ſic gratiam apud Deum & homines ſanos inveniemus. Col. 4. 6. Epheſ. 4. 29. Stolidi ſunt, qui turpiloquio aut vaniloquentiâ & ſcurrilitate delectantur. Tales & ſe abſorbent, & audientes perdunt. 1. Cor. 15. 33. cumprimis qui blaſphemijs, dejerationibus, calumnijs, obtrectationibus, mendacijs aſſueti; ut vix verbum dicant, cui non alterutrum horum vitiorum ſubſit.

Horreſcant ad illud Chriſti, Matth. 12. 36. Quare ſicuti ſtudioſè cavemus, ne quid impuri os noſtrum ingrediatur: ſimiliter caveamus, ne tale quid egrediatur. Matth. 15. 18. Illud huic modò vitæ & corpori obeſſe poteſt; Hoc verò æternæ vitæ & ſaluti animæ.

b. Secundò nævos & vitia tria detegitatur *Salomon*, qualia in ☤ *ſermonibus*, ☽ & *actionibus* ſtultorum reperiuntur; & ☤ ob quæ conſilia illorum & ſermones ſunt noxij.

1. *Præcipitantiam.*
2. *Pertinaciam.*
3. *Garrulitatem.*

α. *Præcipitantiam*, dum ait: *Initium verborum ejus ſtultitia:* h. e. inconſideratè, impræmeditatè, præcipitanter proruit ad loquendum; unde initium ejus ſtultitia, de hâc Prov. 29. 20. De hâc præcipitantiâ actum alibi.

β. *Pertinaciam* verò innuit, dum ait: *Et finis oris ejus inſavia mala:* q. d. Ut malum initium, ſic progreſſus pejor, finis peſſimus: ſicque indicare vult, non delirare modò ab initio ſermonis ſtolidum, ſed ad finem uſque deliria ſua tueri; ac quò plus loquatur, tantò plures eructare errores & ſtoliditates, adeò ut creſcente ſermone creſcant deliria, donec tandem inſaniâ finiantur, ſævientibus ſc. ac incaleſcentibus ejus affectibus. Confer Prov. 12. 13. Actor. 5.

γ. *Garru-*

γ. *Garrulitatem* & dicacitatem ſolidis exprobrat. ℣ſ.14. Text. *Et ipſe ſtultus multiplicat verba*: h.e. Errores & inſipientiam ſuam verborum cumulis nititur aſſeverare ac defendere: immò in verborum copiâ & loquacitate ſapientiam aucupatur, quibus tamen nullum rei vi aut prudentiæ pondus ſubeſt, eadem ſæpiùs cum audientium faſtidio importuniùs iterando; juxta illud *Apulei*, Apol.1. *Oratio, quæ rebus ſtaccet, ſtrepitu vigeat.* Et illud Theocriti de Anaximene perorante: *Incipit verborum flumen, mentis gutta. Stobæus* ſerm.24. Sapientes contrà paucis verbis multa dicunt. Prov.10.19. Taxatur à Chriſto cumprimis multiloquium Phariſaicum in precibus: De quo quoque Eccleſiaſtes noſter ſuprà cap. 5.2,3. ubi vide. De garrulitate quoque actum alibi.

Sed & notabilem adjungit rationem *Salomon*, ob quam dicacitas ſtulto minùs conveniat: *quia futura non noverit*: h.e. eâ laboret judicij imbecillitate, ut quod homines prudentes poſſunt, de futuris eventis aliquatenus conjectare pro ratione antecedentium, & concludere quæ ex quibus oriri & ſubſequi poſſent; ejus perſpicaciæ non eſſe ſtolidos. Manet interim generalis gnoma inviolata: *Solius Dei eſſe præſcire futura*: de quâ ſuprà cap.3.22. & cap.6. ℣ſ.11. & cap.8.7.

Usus. Ergò Dei provinciam involant, qui de futuris eventis prædicere geſtiunt. Stolidi ſunt, qui hujusmodi prognoſticis terrentur. Jerem.10.2. Stolidiores, qui de futuro ſunt anxij: nec enim ſuis perplexitatibus quicquam illorum vel aſſequentur, vel mutare poterunt ſuis curis, quæ ſunt fatalia.

Optimum, fiduciâ in Deum locatâ, ſperare meliora, ſeque in omnes eventus ex Dei voluntate paratum præſtare; adeoque curas omnes in Deum exonerare, ipſe enim faciet. Pſal.37.5.

δ Jam quod *actiones* ſtultorum attinet, dicit inanes illas eſſe & inutiles. ℣ſ.15. *Labor ſtultorum defatigat eos, qui neſciunt pergere ad urbem.* Simile dictum eſt abijs, qui cum rectam viam ignorent, ad avia ſecedunt, illiſque circumvagantur; quibus non raro id obvenire ſolet, ut quò magis per avia diſcurrunt, tantò plus à regiâ viâ deflectant, ut planè tandem illam perdant, nec quà eundum ſit dignoſcere valeant: ſicque inaniter & præpoſterè ſeſe defatigarint. Idem innuit *Salomon*, accidere ſtultorum actionibus & negotijs; quia enim rectâ ratione deſtituantur, inde fieri, ut quantumcunque ſatagant, inanis tamen, præpoſte-

ra,& inutilis sit omnis ipsorum opera, ut tandem ignorent ipsi,quà progrediendum,aut ubi consistendum sit. Alia sapientum hominum est ratio; sunt enim illi viatoribus similes, quibus viarum compendia sunt notissima,unde rectà & citra ambages,brevi tempore eò deveniunt quò collimant:Ita rerum scientia & experientia compendiosa ipsis suggerit consilia,ut expeditè,faciliter,dextrè cuncta expediant. Serius ergo est; etsi homines insipidi multa tentent, plurimumque sese fatigent in dandis consilijs, & negotijs quibusvis expediendis; inanis tamen & sæpè noxius est ipsorum labor, qui plenus erroribus; utpote quibus recta consulendi & agendi via & methodus ignota est; unde est,ut negotia ulla haud tutò ipsis concredere liceat. Possunt etiam verba ista sic exponi: adeò inanem esse stultorum laborem in rebus gerendis,ut ne minima quidem ipsis succedant,quia etiam vilissimarum rerum, & quæ quibusvis sint obviæ, sint ignorantes; veluti est,via trita & regia,in civitatem aliquam ducens.

Ex quibus omnibus patet, quàm perversè agant Principes & Magistratus,si homines ineptos & stolidos admoveant ad officia publica.

ANAGOG. SENSVS.

D.*Hieronymus anagogicè* & eleganter ista transfert ad *mundanos*,qui mundi hujus negotijs, cupedijs, vanitatibus ita implicantur,ut viam ad æternam felicitatem perdant.

Est enim mundus præsens instar alicujus *labyrinthi*, quem qui ingressus est,animo nimis rebus & vanitatibus illius defixo,ita præpediatur,ut elabi vix possit: quantoque quis impensius ista consectatur, tantò plus illis constringitur, ut nunquam ad tramitem salutis pertingat.Via enim salutis sursum vergit,isti verò sursum non tendunt,non spectant, sed in avijs hujus terræ oberrant.Ideò Servator: *Difficile dixit esse divitem ingredi in regnum cœlorum*,Matth.19.23.eoque à mundi amore nos dehortatus est *Johannes*,1.Joh.2.15.

His assimilandi sunt; qui per laborem, satisfactionibus, vigilijs,jejunijs precibus, sine fide & devotione peractis, alijsque bonis operibus ascititijs sese fatigant, & meritis eorum æternam vitam consecuturos sese confidunt.Horum labor inanis eatenus. Nec hâc transitur ad astra, & superam illam civitatem. Ego sum *via,veritas,vita*, ait Servator Johan.14.6.

Ioan.14.6. Stolidi ergò, qui aliâ eundum sibi ducunt. A via est via omnis in cœlum, extra Christum. Actor.4.12. Hunc igitur sequamur, huic soli insistamus. Johan.8.12. Hebr.12.1,2.

HOMILIA VIII.

TEXTUS Vers.16,17.

Hei tibi regio, cuius Rex puer est; & cuius Principes manè comedunt. O te beatam regionem, cuius Rex natus est clarissimis; & cuius Principes suo tempore comedunt, ad robur, non autem ad compotationem.

II. SVBDITIS ET REIPVBLICÆ.

QUàm sit Principibus & Magistratibus ipsis detrimentosum, si spretis idoneis personis, stupidos & stolidos muneribus præficiant, hactenus visum.

Nunc quàm sit idem noxium Reipublicæ & subditis ipsis declarat *Salomon*: Et quidem per tristem exclamationem, quâ *Væ* clamat super regionem, cui Rex & Principes seu Scabini minùs commodi dominantur. Proponit ista per antithetin, cujus *Pars prima* est:

A. Vers.16. *Væ tibi terra, quando Rex puer est, & Principes tui manè comedunt.*

Puerum Regem, inidoneum ad imperium declarat,

a. Qui primò talis est *ætate*: puerilis enim ætas utì caret judicio maturo, sic & rerum usu & experientiâ destituitur; quæ utraque tamen ad prudentiam Reipubl. administrandæ, requiruntur. Nec tamen simpliciter ætatem urget his verbis *Salomon*; quia constat, Reges quandoque

doque in puerili ætate parentibus in regno succedere, ubi hæreditaria sunt regna, ac per successionem ad filios hæredes devolvuntur: nec rarò feliciter à Regibus juvenibus Rempubl. fuisse administratam, præsertim ubi Ephoros & Consiliarios nacti pios, prudentes, publicique boni studiosos, eorumque ductum secuti sunt. Ex. *Joas*, septennis erat cùm Rex crearetur, 2. Reg. 11. 12. 21. regnavitque piè & benè, *Jojadæ* Sacerdotis consilijs nixus. cap. seq. vs. 2. *Josias* octennis erat, cùm regnare inciperet, 2. Reg. 22. adjutus consilijs *Saphanis* Scribæ & *Hilkiæ* Sacerdotis, laudatissimè & fine exemplo imperavit. cap. 23. 25. *Uzias* 16. annorum erat regnum aggressus, ac regnavit feliciter, quoad pependit à *Zecaria*, qui in timoribus Dei ipsum informaverat. 2. Chron. 26. 5. *Salomonem* juvenem fuisse indubium est, cùm regno præficeretur, idem tamen sapientiâ à Deo instructus incomparabili, glorioſissimè imperavit.

Sed rara sunt ista exempla, atque administratio juvenum ejusmodi Regum, si feliciter successerit, fidei potiùs & sapientiæ Consiliariorum, quorum consilijs nituntur, deferenda est; aut singulari cuipiam divinæ gratiæ, ipsis in tenellâ ætate concessæ.

b. Qui talis est *judicio, scientiâ, rerum usu & experientiâ*: utcunque provectioris sit ætatis, tamen rationem administrandæ Reipublicæ ignorat, bardus, stupidus, insipidus, juxta comminationem illam Esai. 3. 4. 5. *Sunt imperiti citharœdi, multas perdunt citharas: sic cupidi juvenes Rempublicam evertunt. Xenophon.*

c. Qui licèt ætate, judicio, & cognitione non destituatur, moribus tamen & affectibus puer est; adeoque in quo non quidem pueritia, sed puerilitas remanet, ut nesciat proprijs dominari affectibus; quantò minùs igitur talis convenienter & utiliter imperabit populis & subditis? Junge Heeren wilde Baren. Rapiuntur illi suis affectibus, irâ, fastu, concupiscentiâ; indulgent delicijs, sunt leves, inconstantes, temerarij, truculenti, alijsque inferioris ætatis vitijs scatent, quæ serò sæpiùs & non nisi cum vitâ exuunt. Talis *Rehobeam*. 1. Reg. 12. *forum*. 2. Chron. 21. 4. &c.

Væ igitur regioni, civitati, populo, immò & familiæ ac domui, quarum rectores sunt pueri: Præferat psalmam *senectus*, quippe cum quâ rerum usus, variaque cognitio, & affectuum moderatio solent esse conjuncta, Hom. 7. in cap. 1. Eccles.

De Rege ad Principes vergit, quorum operâ Respubl. administratur, quive Regibus instar oculorum & manuum esse debent, uti sunt Consiliarij,

liarij, aliaq; munera obeuntes: de his ait, *Et Principes manè comedunt.* Sunt plura vitia, quibus aulici & officiarij sæpè dediti sunt; primarium tamen *Salomon* allegat, ebrietatem seu intemperantiam; innuens hoc pacto, nullum aliud esse, quod tantopere obsit Reipublicæ, quàm si ejus prostatæ gulæ & vino nimiò sint dediti: maximè verò illi, qui & matutinum tempus commessationibus destinant: Illud enim consilijs agitandis, & negotijs expediendis omnium convenientissimum; dum vid. corpus jejunum, mens & spiritus alacris ex somno nocturno, caput vaporibus ex stomacho cibo potuque oppleto ascendentibus, vacuum & serenum. Unde apud Jerem. c. 21. 12. *Judicate manè judicium.* Sic *Mose*, Exod. 18. 3. Judæi, Matth. 27. 1.

Commessationes & perpotationes matutinæ, utì naturæ benè constitutæ sunt adversæ, nullique hominum generi conveniunt; ita maximè dedecent illos, quibus ardua & publica negotia sunt commissa. Unde Apostoli tanto fervore crimen ebrietatis matutinæ à se depulerunt, quia tum Ecclesiæ Christi gubernandæ initia fecerunt, tanquam rem vocationi suæ ignominiosissimam. Actor. 2.

Rectissimè faciunt illi Principes & Proceres, qui matutinum tempus, à precibus & Verbi Dei tractatione exorsi, consultando, judicando, imperando transigunt. Ita *Joseph* sub meridiem demum epulum parari jussit, quo cum fratribus discumberet. Genes. 43. 16. Erat enim meridies priscis temporibus justum & ordinarium sumendi prandij tempus: matutinum cum primis negotijs tradebatur. *Væ qui manè surgunt*, &c. Esai. 5. 11. maximè proceribus, ab hesternâ crapulâ æstuantibus, ut manè continuanda sit crapula.

B. *Altera pars* antitheseos est ℣. 17. *Beata tu terra, quum Rex est filius nobilium. Filium nobilium* opponit *puero:* Unde liquet, talem intelligi, qui & claris & nobilibus natus parentibus, adeoque genere & prosapiâ nobilis sit: tum qui animo & virtute verè nobilis sit, adeoque ad Rempubl. gerendam aptus & instructus.

DOCTRINA.

Nobilitas generis donum Dei & decus insigne: Solet enim generosus animus sæpiùs de parentibus transplantari in liberos, juxta illud:

Fortes creantur fortibus & bonis.

Tumque demum verè nobiles sunt filij nobilium, si & animi dotes & virtutes

virtutes parentum in ipsis conspiciantur: talesque præ alijs ad Reipubl. gubernacula, dignitates & Magistratus, &c. (quod ipsum ex hoc loco Ecclesiast. *Bartolus* confirmavit; admoveri merentur;) non modò propter merita parentum, sed quia de filijs quoque spes optima concipi potest: Consentaneum enim est (inquit *Plato* in Alcibiade 1.) meliores esse naturas in nobili genere, quàm in ignobili: ac necesse est ut benè nati, si benè educantur, ita demum ad virtutem perveniant. Beata igitur terra cui Rex & genere & virtutibus generosus præest: Infelix cui solo titulo nobilitatis, &c. Cæterùm, manet illud *Euripidis*:

Beatus mihi vir nobilis videtur.
Qui vero non justus est, licèt a patre meliore
Quàm Jupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi videtur.

Proinde his nobiliores censendi, meritoque præferendi, qui licèt obscuris & ignobilibus nati parentibus, pulcris tamen virtutibus, rerumque gestarum gloriâ sunt illustres, &c. Tales *Mose* elegit, Deut. 1. 15.

Huc spectant exempla *Davidis*. *Gedeon*, Jud. 6. *Jephte*, Jud. 11. & 12. *Jehu*, 2. Reg. 10. *Abadja*, 1. Reg. 18. Pluraque alia Imperatorum, Regum, Principum extant exempla, qui servilis vel aliâs sordidæ originis fuerunt: ut propemodum, ac ex parte majore verum videatur, quod *Platonem* dixisse *Seneca* refert, Epist. 44. dicit verò *Plato* in Theæteto: *Neminem Regem non è servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus.*

Usus 1. Facessant ergò laudare suum genus, & ad dignitates adspirare; in quos quadrat illud: Heroum filij noxæ: quique adeò vitijs & inscitiâ genus suum deturpant. Qui genus laudat suum, aliena laudat. *Seneca*. Si laudas aliquem, quia generosus est, parentes ejus laudas. *Apulejus* de Deo Socratis.

2. Facessant exprobrare generis obscuritatem illis qui virtutibus clarent. *Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Seneca* libr. 3. de Benef. *Iphicrates* filius Cerdonis exprobranti *Hermodio*, quòd nobilibus non esset ortus parentibus, respondit: *Meum genus à me ipso initium sumit, suum verò in te desijt. Cicero* in oratione contra Salustium: *Satiùs me meis gestis florere, quam majorum opinione niti, & ita vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.*

Summa. Nobiles verè sunt, quicunque virtutibus nitent, licèt sanguine obscuri. Et contrà, &c.

Subdit iterum de Principibus: *Et Principes tui in ipso tempore come-*

comedunt, propter fortitudinem, & non propter potationem. vſ. 17. b. Nimirum ad exemplum Regis nobilis, qui itidem ut aliarum virtutum quæ Regi conveniunt, ita ſobrietatis & continentiæ eſt ſtudioſus.

DOCTRINA.

Qualis enim Rex talis grex. Prov. 29. 12.

Componitur orbis, Regis ad exemplum, &c. Claudianus 4. Hon.

Usus. Plurimum igitur in eo ſitum, ut Reges & Magiſtratus ſint virtutum & pietatis exemplaria: tales enim erunt & cives ac ſubditi, quales ipſi.

Nec mirum ſcandala ac ſcelera publicè invaleſcere, ſi primates ipſi non ea averſentur, ut vel ipſi committant, vel ſaltem in ſuis tolerent: tum certè neceſſe eſt totum Reipublicæ corpus perturbari ac peſſundari. Ut *enim in corporibus, ſic imperio graviſſimus eſt morbus, qui à capite diffunditur.* Plin. l. 4. ep. 22. Peſſimum ſanè omen, ſi malum in Principibus & Proceribus exemplum extet: Ut ſolis defectio magnorum motuum plerunque argumentum trahit: Ita Regum errores etiam mediocres, magnam rebus humanis perturbationem afferre ſolent: ut dictitare ſolebat *Carolus* 5. Vædantibus ſcandala!

Ne quis porrò gulam conceſſam eſſe putet, ſi modò matutino tempore abſtinuerit, quæ multorum eſt perſuaſio, ut ipſorum teſtatur vita: ideò ait probos Principes & patriæ utiles *propter fortitudinem non propter ebrietatem potare*: h. e. ut vires animi corporisque reficiant; non ad luxum, crapulam, &c. Rom. 13. 14. Tales *Petrus* 2. Epiſt. c. 2. 12. vocat irrationalia pecora in convivijs ſuis luxuriantes: & *Jacobus* c. 5. 5. in luxurijs enutrientes corda ſua, Conf. Prov. 31. 4. *Quàm multa ebrij faciunt, quibus ſobrij erubeſcunt? Seneca* Epiſt. 83. Ex. Herodes.

Pudendum ſanè vitium in Magnatibus ſummè; ineptiſſimos ipſos reddens ad munus ſuum dextrè obeundum: quòd agnoviſſe videtur muliercula illa: *Provoco* (inquit) *à Philippo ad Philippum, ſed ab ebrio ad ſobrium.* De ebrietate actum alibi.

Gloria & Gratia Tibi Domine
JESU.

HOMILIA IX.

TEXTUS ℣ſ.18,19.a.

Pigritiâ ambarum attenuatur contignatio, & demiſſione manuum perſtillat domus; Eorum qui ad lætitiã parant convivium, & vinum lætificat viventes; & quorum pecunia facit ut iſta omnia reſpondeant.

VUlgò dicitur, Cuilibet artifici in ſuâ arte credendum. Ita certè *Salomoni* credendum fuerit ſermocinanti de optimo Principe & optimo regni ac Reipublicæ ſtatu, & viciſſim, de Principe & ſtatu Reipubl. perverſo. Poſtquam ergò beatam prædicavit terram cui Princeps obtigit nobilis, & Conſiliarij ac miniſtri ſobrij; viciſſimque deploravit eam, cui Rex obtigit puer, ac Principes luxurioſi.

In eâdem jam pergens materiâ diſſerit, de tribus maximè vitijs agit, quibus Reipublicæ ſtatus pervertitur ac peſſundatur.

Regum ſc. ac Magiſtratuum

1. *Ignaviam ſeu negligentiam.*
2. *Luxum, & voluptatem.*
3. *Phylargiriam ſeu avaritiam.*

I.

De primo vitio eſt ℣ſ.18. *Pigritiâ ambarum*, &c. Vel *Propter pigritias inclinat ſe contignatio, & propter demiſſionem manuum perſtillat domus.*

Confert regnum aut Rempublicam domui privatæ, cujus paterfamiliâs ſi deſes ſit ac negligens, nec tecti diligentem habeat curam, ſed pluviam ſinat influere, ac tigna ac trabes continuo ſtillicidio computreſcere, tota mox aſſerum contignatio inclinat, totique domui ruinam minatur:

natur: Ita si Principes, Magistratus, horumque ministri ignavi sint, ac in officio fungendo negligentes, corruptelam id esse ac exitium Reipub.

Venustè verò Reges & Magistratus supremæ ædium contignationi, quâ ædes integuntur, assimilantur: Ut enim *tecta* habitatores ab injurijs pluviarum, ventorum, aliarumque tempestatum defendunt, ut tutò in ædibus habitare possint; idem præstare tenentur illi suis subditis, sc. tutelam & defensionem.

Eôdem sensu *Nebukadnezar* assimulatus arbori patulæ, sub cujus umbrâ bestiæ delitescebant. Dan. 4. 9.

Jam verò, si *tecta* ædium dissoluta sunt, aut carios a, putrida ex continuo stillicidio, facilè corruunt, ac ruinam toti ædificio minantur, incolis verò exitium: Idem fit, si Principes & Magistratus, horumque aulici, consiliarij, ministri, succenturiati, incuriosi sint, pigri, vecordes, securi, nullam Reipublicæ curam gerentes. Fit illud

1. Si legum & statutorum minus sint observantes, sed rimas & foramina patiuntur illas labefactare, connivendo ad eorum temerarias violationes, nec fontes pro merito puniendo: E quo stillicidio, leges corrumpuntur, ac exitialis Reipubl. confusio inducitur: immò stillæ divinæ vindictæ adducuntur: Tritum enim Scripturæ *stillarum* nomine divinam vindictam indigetare, Amos 7. 16. Micæ 2. 6. Ezech. 21. 2. Dan. 9. 11. 2. Chron. 12. 7. Ita stilla mollitiei & oscitantiæ Magistratuum, provocat stillas divinæ vindictæ.

2. Cùm in commodum privatum modò intenti sunt, nec publicæ salutis rationem habent: veluti si quis habitatorum sui modò cœnaculi rationem habeat, de tecto communi minùs solicitus: cujusmodi fuêre pastores Israël. Ezech. 34.

3. Cùm Consiliarij ac Rerumpubl. Ministri studijs & consilijs non conjuncti sed disjuncti sunt, mutuisque odijs, simultatibus, invidendo, calumniando dissident: velut si trabium compages sit laxa, dissoluta, nec inter se probè connexa: quod certè principium est ruinæ.

4. Cùm Principes & Magistratus peccant, pravoque exemplo suis popularibus præeunt: sicut enim imber, qui per supremam ædium partem influit, defluit quoque ad inferiores contignationes, omnesque pariter exedit & corrumpit: sic vitia superiorum ad inferiores serpunt.

5. Cùm eorum, in quibus vires Reipubl. consistunt, quibusque se & communem statum conservare & protegere debent; redituum nim.

& facultatum publicarum, exiguam habent curam: concredunt ea hominibus luxuriosis & infidis, qui in rem suam illis abutuntur, nec ad rationes villicationis reddendas adigunt: quod perinde est atque si asseres de contignatione hinc inde subducerentur, atque ad focum fovendum adhiberentur, unde certè brevi structuræ & domûs lapsus sequeretur.

Hæc est illa Principum & Magistratuum vecordia, hæ manus illæ remissæ, hæc supina illa negligentia, quam hic perstringit *Salomon*: cui affinis est illa gravissima interminatio, Jerem.48.10.

Usus. Meminerint ergò Magistratus, se esse *tecta*, ad præstandam subditis suis tutam & commodam habitationem: adeoque sicut tectorum suorum, ita sui ipsius & officij ac administrationis diligentem habeant curam, memores salutem gregis à suâ propriâ incolumitate & industriâ dependere: quemadmodum econtrà habitator negligens & incuriosus, qui lecti curam non gerit, sed stillicidia patitur, tandem domum perdit, ut exesis tignis inclinet & collabascat.

Idem verò pigritiæ ac vecordiæ vitium alios quoque vitæ humanæ status perdit: Unde econtrà labor & sedulitas in omni vocatione insectanda. Rom.12.11.

A. *Ecclesiam*: Etenim hominibus (h.e. Antistitibus Ecclesiarum) dormientibus, venit Satan, serens lolium inter triticum: Matth.13.25. dum sc. in vitam & mores populi non diligenter advertunt; in monendo, corrigendo, consolando sunt segnes, &c. Hinc monita. Actor.20.28. 1.Petr.5.3.2.Tim.4.2.

B. *Oeconomiam*: Ex desidiâ enim mendicitas & familiæ interitus. Prov.20.4.cap.13.4.Prov.10.4. *Abi ad formicam, ô piger*, &c. Prov.6.6.&c.

Usus. Laborandum itaque gnaviter, ne pereat œconomia. 2. Thess.3.12.

C. *Militiam*: Securitas, oscitantia, &c. hosti ad invasionem & victoriam occasionem & commoditatem præstat. Judic.18.7.&c. Jer.49.31.

D. *Hominem* quemque privatum corpore & animo perdit ignavia: ut dictum Hom.6.in hoc cap.

E. Cumprimis verò obest securitas & negligentia in *spiritualibus* illis, qui ad vitam æternam aspirant. *Contendite*, ait Servator, &c. Luc. 13.23. Confer Matth.11.12, *violenti rapiunt*, &c. Phil.2.12. Hebr.4.11. *Exer-*

cete

ee teipsum ad pietatem. 1.Tim.4.7. Unde vigilantia Christiana tantoperè passim commendata: *spiritu ferventes.* Rom.12.11. Cujus neglectæ noxam in quinque fatuis virginibus ob oculos statuit Servator.

Quod ut fiat, *minima quæque rima obturanda*, per quæ imber peccati defluere possit; ne dum committitur continua minutiorum delictorum destillatio, nec minimis etiam peccatis jugiter remedium affertur; sensim majora sequantur, tandemque totus homo peccatis marcescat & pereat. Id enim in ædificijs cernere est, si minores defectus negligantur, indies majores evadere, tandemque toti periculum ruinæ adduci. Benè in hanc rem *Cassianus*, Collat.6.c.17. Eleganter mentis incuriam domui comparavit, tectoque neglecto, per quam primò quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum: quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum; & post hæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hyemali, id est, in tempore tentationis, ingruente Diaboli impugnatione expelletur mens de habitatione virtutum, in quâ sc. aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domûs propriæ possessione requieverat.

Quid enim interest, sive gravi & sævâ tempestate domus impulsa corruat; sive paulatim destillante per tectum confractum & neglectum pluviâ, contignationes putrescant, fatiscant, inclinentur? Ita nihil interest sive repentino furore quis gravia facinora committat, sive sensim de minoribus, quæ pro nihilo ducit, ad majora patranda vergat. Ita D. *Augustin.* Epist.108.ad Seleucianam: *Quid interest* (inquit) *ad naufragium, utrùm uno grandi fluctu navis operiatur, & obruatur; an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem, atque submergat?*

Non ergò minutiora ut videntur peccata contemptim floccifacienda, sed maturè illis occurrendum, ne aditum ad majora faciant.

II.

De secundo est ψ.19. *Propter risum faciunt panem, & vinum lætificat viventes.* Panem, h.e. convivium, sic Luc.14.1.& 15. Gen 31.54. 2.Sam.13.5. Job.42.11. & quidem magnificum & lautissimum.

Referenda hæc sunt ad id, quod antè dixerat de Principibus, qui manè comedunt, non ad necessitatem sed ad luxum. Idem nunc vitium repetit, & da-

& damnat in Principibus eorumque aulicis ministris; quòd scilicet illi semotâ Reipublicæ curâ & diligente ejus administratione, tempus epulando & heluando consumant; potiusque luxum & voluptates quotidianis epulis & perpotationibus sectentur: uti certè moris est in quorundam Principum aulis, quibus perpetua sunt Bacchanalia, nec nisi de rebus, quæ ad risum, delicias, & gaudia spectant, curæ & cogitationes agitantur: quasi id esset vitæ ipsorum scopus & summa, epulari, deliciari, luxuriari. Ideò dicitur, *viventes* sc. vitam Epicuri, quibus vivere est non nisi genialiter vivere ac deliciosè: tum enim vivere vitam videntur, cùm lætantur & epulantur, ut quibus vita tota in voluptate est. Quamvis non in Principum modò aulis hic morbus obtineat, sed apud alios quoscunque, quibus Rerumpublicarum administratio est commissa; ut nimij sint in convivijs & compotationibus; de rebus officij minùs soliciti.

DOCTRINA.

Unde patet, quàm *sit res indigna & inconveniens Principibus, Magistratibus*, horumque subdelegatis & ministris, *si sint commessabundi, heluones, bibones*; in gulam, luxum, voluptates plurimùm intenti; sicque officij dignitatem in Sybariticum vivendi genus convertant.

Culpandus qui tecto non reparato perpluere ædes sineret, ipse inferiùs gulæ intentus: Idem agunt Principes & Magnates gulosi, minùs interim de negotijs publicis curiosi ac soliciti.

Ut verò gratiosè Deus hanc virtutem vino indidit, *ut cor hominis revocet*, atque ad amaritudinem & mœrorem animi pellendum præsentiss. sit remedium: Unde *Zeno* dicere solebat, Quemadmodum amari lupini aquâ macerati dulcescunt, ita se quoque à vino affici: & *Clemens Alexandr.* libr. 2. pædag. cap. 2. *Vinum facit ipsum sibi esse clementem, & convivis suavem, & famulis mitiorem, & amicis jucundiorem*: Ita abusus contraria omnia operatur; medicinæ instar optimæ, quæ cum excessu usurpata non morbos pellit, sed producit.

Itaque *Salomon* hîc, licèt verecundè loquatur, excessum tamen, nempe ebrietatem & crapulam eamque continuam notare voluit in magnatibus; dum vino non ad necessitatem aut decoram animi lætitiam, sed profanum risum, & voluptatum turpitudinem abutuntur.

Quæ certè voluptas in commessationibus & perbibesiâ quæsita, inde-

indecora, turpis, brutina, exitialis. Vide Homil. 2. in cap. 2. Ecclesiast.

De Morionibus.

Non desunt verò ex Interpretibus, qui *risûs* mentionem exactiùs expendentes, *homines ridiculos ad convivia adhiberi solitos ut risum moveant*, indigetari censeant; uti sunt scurræ, parasiti, moriones, mimi, lustriones, &c. Tales enim Principibus & Magnatibus solent esse gratissimi, magnamque convivijs inferre oblectationem. Quo fine *Samsonem* à Philistæis ad ludos faciendos accersitum, legimus Judic. 16. Ac talibus *Michol Davidem* ad arcam saltantem comparâsse videtur. 2. Sam. 6. 20. 22. *Salomonem* etiam tales fovisse, verosimile est ex Eccles. 2. 8, 9. Hucque trahunt, quod Habac. 1. 10. dicitur, de Regibus & Dominatoribus, quos Rex Babylonius pro scurris adhibiturus sit.

Ut verò miseri, sic & nefandi homines, quicunque parasiticam & joculatorias ejusmodi artes exercent, ut inde victum sibi acquirant. Nec enim ridendo, jocando, saltando, duntaxat risum alijs movent; sed ipsi probra, flagra, verbera, aliasque indignitates ultrò patiendo seipsos ridendos alijs propinant: quin & adulari, mentiri; turpia, obscœna, execranda garrire tenentur, ut sint grati: injurij in Deum, in seipsos, in proximos, quibus ad indecens gaudium sunt administri, & incentores.

Nec verò salvâ conscientiâ, præsertim ab hominibus privatis adhiberi tales possunt, ad oblectationem ejusmodi scurrilem ciendam; cùm ab omni profano joco & specie mali alienos esse conveniat Christianos, & decentem potiùs gravitatem & modestiam servare. Ephes. 5. 4. 1. Thess. 5. 21.

Facileque tales, qui simplicioribus, egenis, pannosis hominibus ad jocos & ludos abutuntur, ex justâ Dei retaliantis vindictâ, vel ipsi vel posteri ipsorum, alijs irrisui & contemptui esse possunt. Notabilis illa Christi vox, Matth. 18. 10.

HOMILIA X.

TEXTUS ℣.19,b.20.

Eorum qui ad lætitiam parant convivium, & vinum lætificat viventes; & quorum pecunia facit ut ista omnia respondeant. Ne quidem in conscientiâ tuâ Regi maledicito, & in conclavibus cubilis tui ne maledicito diviti: nam vel avis cœlorum perferret vocem, & ales indicaret verbum.

III.

DE tertio vitio Principum & Magnatum dicit: *Et argentum (pecunia) respondet omnibus.* Quidam verba ista ita præcedentibus annexa esse judicant, ut illis Principum profusionem seu prodigalitatem in luxum & voluptates notari à *Salomone* existiment: q.d. pecunias undequaque converrunt, maximè verò è subditorum sanguinibus, quos exactionibus crebrioribus emungunt, ut luxui & abdomini sumptus non desint, qui quidem necessariò in eam rem requiruntur, cùm sine pecunijs luxui indulgere non liceat, his verò omnia, quæ mens hominis appetat, comparari possint: hos igitur dum nacti sunt, non parcunt illis, sed ad voluptates suas profusissimè erogant. Sed enim verosimilius est, *Salomonem* φιλαργυρίαν & avaritiam Principum, Procerum, Judicum perstringere voluisse; qui ob id quidem ut magnificè & deliciosè vivere possint, pecuniarum sunt avidissimi; (Etenim ubi immodicæ ejusmodi sunt in mensas & vestes impensæ, necesse est sacram auri sitim intendi.) Interea tamen, ad explendam insatiabilem avaritiam, ad injustitiam deflectunt, & juris perversio-

versionem; ita quidem ut opulenti, & qui pecunias offerunt, nihil non apud ipsos, quicquid demum ambiant, obtinere possint: Ut sic istorum hominum avaritiam, cum ejus seu prole seu comite Injustitiâ ac Dorophagiâ, culpare intenderit *Salomon*.

Porrò Textûs verba dupliciter explicant: *Quidam in* eum *sensum*, pecuniam cunctis imperare, habere cuncta in suâ potestate, largiri, præstare, suppeditare cuncta: esse instar alicujus Reginæ potentissimæ ac Numinis magnificentissimi, quod invocatum atque imploratum à mortalibus super aliquâ re, exaudiat omnes, respondeat cunctis, omnium votis ac cupiditatibus satisfaciat: juxta illud Poëtæ

——— Quicquid nummis præsentibus opta,
Et veniet: clausum possidet arca Jovem.

Similis locutio Hos. 2. 21. q. d. Annuam cœlorum votis, ut pluvias concipiant: cœli exaudient terram, quæ pluvias ab illis fructiferas desiderat: terra exaudiet triticum, vinum, oleum, quæ copiosè in illâ succrescere & provenire volunt: & hæc exaudient Iezraël, quæ magno terræ illorum proventuum desiderio laborat.

Quidam in eum *sensum*, quod eôdem recidit: Nempe, pecuniæ omnia subjici, obedire, sese humiliare, &c. ut constet non inane esse pecuniæ imperium, sed efficax, ut ad ejus jussa, cuncta præstent humillimum obsequium. Ac de hâc quidem summâ pecuniæ majestate, auctoritate, virtute ac tyrannide, egregiè multa tum in Ethnicorum scriptis reperire est, tum ab ipsâ quasi quotidianâ experientiâ habentur.

——— Divina humanaq́,
Pulcris divitiis parent. Horat. 3. serm.

a. Quantum *in curiâ* & foro possint divitiæ ad Judices placandos, corrumpendosque; ad obtinenda munera, & dignitates; ad devitandas aut declinandas promeritas pœnas, &c. nemini ignotum esse potest, Ita *Paulus* captivus dimissus fuisset à *Felice* Præside, si pecuniam ei obtulisset. Actor. 24. 26. *Cicero* in Verrem Act. 2. queritur: *pecuniosum ut sit nocentissimus, damnari non posse.*

——— Dat census honores.
Munera, crede mihi, placant homines q́, Deos q́,, &c.

Quàm verò nefarium & exitiale sit Dorophagias exindeque nascentis Injustitiæ scelus, Vide Hom. 11. in Eccles. 3. & 7. in 7. &c.

b. In *connubijs contrahendis* primæ pecuniæ sunt partes, ad quam

nubentes propè omnes inhiant; & ad eam velut cynosuram cuncta referuntur, ut non tam uxor quàm pecunia quæsita multis videatur.

Scilicet uxorem cum dote, fidemq; & amicos,
Et genus, & formam Regina pecunia donat.
Horat. libr. 1. Epist. 6.

Quod ut in se culpari non debet, cùm ad rei familiaris administrationem commodiorem faciant opes: ita maximè culpandum est, si præteritâ pietate, honestate, virtutumque ornatu, sola quæratur pecunia; & quandoque maledicta, pessimis parentum artibus congesta; ut cum conjugibus tales simul maledictionem Dei, magnasque conjugij incommoditates & miserias acquisiviſſe ex eventu patescat.

c. In *rebus cunctis* acquirendis, quæ ad vitæ præsentis non modò necessitatem, sed & voluptatem, splendorem & magnificentiam spectant: Nihil enim pecunioſus deesse potest, quod pecuniâ non valeant obtinere ad præsentis vitæ quamcunque felicitatem. Ideò *Hesiodus* pecuniam vocat, *hominis animam alteram*. Jureconsulti verò (quos citat Tiraquel. de nobil. c. 3. n. 5.) censent, omnes *divites* vocari posse *Principes*. Atque inde divitiæ vocantur facultates, quod ad res omnes facultatem adeoque facilitatem præbeant.

d. In *re militari*; pecunia nervus belli dicitur: nihilque tam munitum, quod non expugnari pecuniâ possit. Hinc *Flaminius* aptè ludens in *Philopœmenem*, militibus abundantem, sed opibus destituturum, ait: *Philopœmen* manus quidem habet & crura, at ventrem non habet: intelligens pecuniam, quæ milites nutrit.

e. Maximè verò potestas pecuniæ *circa peccata & mala* elucet. Ad pravas quasvis concupiscentias explendas, adminiculum exquisitissimum est pecunia: Immò malorum opes irritamenta. Quocunque enim perversus animus hominem rapit, si præstò sint pecuniæ, assequi ipsum & patrare licet. Hinc aptè Poëtæ *Plutonem*, quem ut divitiarum Deum colebant, imperium inferorum adscripserunt; quia πλοῦτος, h.e. divitiæ, sicuti ex imis terræ visceribus eruuntur, sic ad eadem, sicque in infernum ipsum, atque ad Proserpinam Pluronis uxorem cultores & amatores suos deducunt: non aliam ob causſam, nisi quia ad flagitia & scelera illis homines abuti soleant: ut alibi dictum.

Cæterùm imperium hoc non nisi in mundanos exercere potest pecunia, nec alij ipsi obedientiam præstant, nisi quorum corda hujus seculi vani-

vanitatibus nimiò sunt addicta: hi certè mirantur, applaudunt, invocant Deam pecuniam, ejusque sunt servi & mancipia. Qui verò hujus seculi vanitatem agnoscunt, nec terrenis insistunt, sed cœlestia quærunt, æternasque illas gazas anhelant, hi certè non tanti faciunt pecuniam, ut illius servi esse vel velint vel possint.

Unde Servator duo servorum genera, duosque Dominos vel Deos memorat, Matth.6. quorum alij Deo vero serviunt, alij Mammonæ seu Plutoni: quorum ita disparia esse studia innuit, ut utrisque servire simul nemini liceat. Quò respiciens *Paulus* avaritiam vocat *idolorum servitutem*, Ephes.5.5.

Usus. Nostrûm ergò fuerit, siquidem genuini Dei servi esse velimus, nec idololatris quibusvis turpiores, jugum pecuniæ excutere, nec ei servire aut obedire, sed imperare potiùs. Nihil enim (ait *Cicero* 1.Offic.) est *tam angusti animi tamq; pravi, quàm amare pecuniam.* Talis est enim *Mancipium aureum*, ait *Socrates*. Qui colunt virtutem nummos despiciunt. Qui hujusmodi sunt, non curant divites, sed pios. Psalm.15. Nec ullis vel largitionibus dimoveri se patiuntur à veritate, justitiâ, honestate, &c. Nec summam rerum ponunt in divitijs, uti solent stulti mundicolæ:

Usque adeò ut istud imperium pecuniæ non sit universale, sed in eos saltem, qui sunt de hoc mundo: At mundus nobis non est diligendus, nec quæ sunt in mundo. 1. Johan.2.15. Itaque nec nimiâ pecuniarum siti flagrare nos oportet. Sectemur opes, quibus æternam vitam assequi liceat. 1.Tim.6.19. Impendamus caducas opes in emptionem agri, quo thesaurus absconditus est: Matt.13.44. Imitati Apostolos Christi, Matt. 19.27.& Hebræos, Hebr.10.34. *In spiritualibus & æternis ambiendis, nullus pecuniæ usus.*

Neque enim divitiæ mundanæ quicquam conferunt ad æternam illam felicitatem assequendam, sed earum potiùs abdicatio: uti opulento juveni Christus significasse legitur, Matth.19.21.

Prostant sine pecunijs accipienda famelicis & sitibundis curæta illa dona & bona, quibus ad æternam gloriam datur accessus. Esai.55.1,2. Apoc.21.6. Luc.1.53. *Simon Magus* pecunijs emptus Spiritum S. severissimè à D. *Petro* increpatus. Actor.8.20. Idem anathematismus in Papanam Ecclesiam quadrat, cujus Religio tota ad simoniam est composita. Vendunt Christum suum in Missis emptitijs, Judæ instar eundem ad

necem vendentis: Nam & illi, siquidem Christum in Missâ sacrificent, necesse est eundem denuò crucifigant: cùm necesse sit illud destrui quod in sacrificio Deo offertur. Sequamur ergò illud Servatoris, *Ne comparate vobis thesauros in terris*, &c. Matth. 6. 19. &c.

TERTIUM.

Hactenus de varijs nævis & vitijs locutus est *Salomon*, quibus Reges, Principes, Magistratus, horumque Consiliarij, aulici, ministri non rarò laborant. Ne verò subditi ea propter licitum sibi esse censeant superiores traducere, convitiari, illisque detrahere; ideò *Salomon*, ad defendendum statum Magistratûs, gravissimo Interdicto caput istud concludit, inquiens ℣. 20. *Ne quidem in conscientiâ tuâ*, &c. Vel *Etiam in cogitatione tua, &c. ne &c.*

Cujus Interdicti tum Propositio, tum Confirmatio spectanda.

A. Propositio, *Etiam in cogitatione tuâ Regi ne maledicas, & in penetralibus cubilis tui ne maledicas diviti.* Per *divitem* intelligitur quisque in eminentiâ & Magistratu constitutus, eoque instructus potentiâ ad sui contemptum vindicandum. Ut enim divitiæ faciunt potentes & quasi Principes, ut antè dictum: sic potentes plerunque divites: hinc Ditio potestas & imperium vocatur.

Observandum autem est non id modò vetare *Salomonem*, ne quis apertè aut publicè Regibus & divitibus maledicat; sed ne quidem clàm, seu locis occultissimis è quibus putes vix dimanare posse, uti sunt cubilia: quin immò non verbis modò abstinendum à convitio; sed ne quidem in corde aut cogitationibus concipiendam aut fovendam in Reges & potentes detractionem: quia corde exundante, per os facilè ebullit concepta & latens maledictio: sed patienter potiùs ferendos Principum nævos, atque nihilominus ipsos reverendos, &c. Idem præceptum extat, Exod. 22. 28. Deut. 17. 12. Rom. 13. 24. Judæ ℣. 8, 9. Secus *Israëlitæ*: Num. 14. 2. cap. 20. 3. cap. 21. 5. *Core, Dathan, Abiram*, Num. 16. *Absalon*, 2. Sam. 15. 3. *Simei*, 2. Sam. 16. Conf. 1. Reg. 2.

Quòd si ne prava quidem cogitare liceat adversus Magistratum, quantò minùs dicteria in eum effutire, aut ei maledicere; minimè verò rebellare aut seditionem movere; non obstantibus eorum vel vitijs,

aut

aut etiam tyrannide quâ subditos quandoque premunt: cùm etiam duris & tyrannicis Dominis subesse oporteat. 1. Petr. 2. 18.

Unde meritò reprehendenda venit quorundam sannionum & scurrarum temeritas, quibus nihil pensi est personas in Magistratu constitutas contemnere, convitiari, traducere: nec vident in Deum ipsum vergere quod in ministros istos ejus, & Deos terrenos delinquitur.

B. Sed audiamus Confirmationem ipsam. *Quia avis cœli deferet vocem ipsam, & habens alas annunciabit verbum:* Ubi posterius est prioris (avis sc.) paraphrasis eôdem tendens. Sensus est; occultam esse & manere non posse ejusmodi superiorum detractionem; quia utut videatur neminem illius esse conscium, nunquam tamen deesse observatores, coricæos, delatores; quorum quidem avis instar temerè advolantis aut prætervolantis nulla habeatur ratio, qui tamen id Regibus & divitibus sint annunciaturi; à quibus postmodum detractoribus severa metuenda sit vindicta. Hyperbole igitur proverbialis est ab avibus sumpta; cui persimilis illa, Hab. 2. 11. *Parietes loquuntur*, &c. h. e. occulti ad rimas parietum auscultatores; & illa Christi, *Si isti tacuerint, lapides clamabunt.* Luc. 19. 40. vid. nunquam defuturos qui sint clamaturi: Ita, nunquam defuturos, qui detractiones & maledicta in Principes eructata illis sint renunciaturi; utcunque occultissimè à nobis videantur ac nemine arbitro in illos dicta: summa, præter spem nostram divulgari & innotescere. Nec certè inconvenienter *per aves cœli* delatores adumbrantur, & clandestini exploratores ac coricæi: Ut enim aves celeres ac subitaneæ adsunt, nemine observante vel cogitante, ut perspicaces, auritæ, garrulæ, leves ac inconstantes, &c. Ita delatores.

Ita verò Dei providentia mira innuitur, qui mirabiliter varijs ac ignotis medijs, occulta hominum scelera manifestare, & in apricum producere novit; & sic quoque nefarios obtrectatores patefacere, ut justa de ipsis sumatur vindicta. Nihil enim est, quod Deum lateat. Hebr. 4. 13. Abstinendum igitur à Regum obtrectatione metu divinæ patefactionis & vindictæ. Extant exempla patefactionis scelerum clàm commissorum per aves: In gruibus Ibycis. In hirundinibus, à quibus Bessi parricidium innotuit. In gallinaceo, qui *Petri* abnegationem significavit.

Usus. Frustra igitur sunt, qui quod clàm patrarunt, clàm perpetrò mansurum putant; aut ideò se vindictam omnem effugituros arbitrantur an-

arbitrantur si clanculum quoddam nefas vel commiserint, vel commissuri sint. *Tempus omnia revelat.* Immò Deus. 1. Cor. 4. 5.

Simul verò his, Regibus & Divitibus jus & potestas defertur, Majestatem & auctoritatem suam in detractoribus ulciscendi: quod & Deus ipse fecit variis pœnis populum in *Mosen* injurium vindicando: & *David Simei* maledicta nece ejus ultus legitur. 1. Reg. 2. Ita certè pœnâ Magistratûs dignissimi sunt, qui eidem detrahunt, & maledicunt.

Cæterùm si quis per aves Angelos Dei intelligat, qui detractatorum calumnias ad Deum ipsum deferant, & vindictam postulent, non alienum sentit ab eo, quod extat Matth. 18. 10.

Gloria & Gratia Tibi Domine JESU.

IN

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS.

CAPVT XI.

HOMILIA I.

TEXTUS ℣s.1.

Proiice panem tuum ſecundùm aquas; nam multiplicantibus diebus inventurus es eum.

GRAVITER monet Apoſt. Coloſſ.3.1. *Quærite quæ ſuprà ſunt*, &c. Eôdem reſpicit ſapientiſſimus Rex iſthoc in ſuo Eccleſiaſte: Nempe, ut expoſitâ hujus ſeculi, rerumque mundanarum vanitate, hominum animos ad cœleſtia inſectanda attolleret, quæ veram, perfectam, æternam felicitatem complectuntur.

Et hactenus quidem fusè de præſentis mundi vanitatibus diſſeruit, intertextis tamen utiliſſimis gnomis & admonitionibus ad vitæ pietatem.

Nunc porrò ſub colophonem ex profeſſo geminam hortationem inſtituit: Unam, ad Beneficentiam & officia charitatis erga proximum: Alteram, ad Timorem Dei & ſtudium pietatis.

HORTATIO PRIOR AD BENEFICENTIAM.

I. Istam primò *Hortationem proponit.*

II. Occurrit *Objectionibus*, quæ difficilem faciunt Beneficentiam.

I.

Hortationis tum I. *Præceptum*; tum II. *Promissio* spectanda.

I. Præceptum est, *Mitte panem tuum super faciem aquarum.* Voce *Panis*, cuncta quæ ad sustentationem & necessitatem præsentis vitæ requiruntur, significantur: q.d. conijce panem tuum in aquas: quâ locutione tria cum primis cui cum scribuntur: *A. Quibus, B. Quomodo, C. Qualis* danda sit Eleemosyna.

A. Quibus? Pauperibus sc. & indigis, qui *Aquis* copiosis venustè assimilantur:

1. Primò propter *contemptum*: Etenim pauper ubique jacet: sicuti nihil est abjectius aquâ. Unde Servator de opprobrio suo conquestus, ait Psalm. 22.15. sicut aqua effusus sum: & Psal. 79.3. queruntur sancti, de sanguine suo instar aquæ effuso.

2. Propter *copiam & multitudinem.* Pauperes enim semper habebitis, ait Servator, Matth. 26.11. Tritum quippe in Scripturâ *aquas*, pro multitudine hominum sumi. Esai. 17.12, 13. Jer. 47.2. Ezech. 26.19. Apoc. 17.15. Penè quot aquæ, tot passim pauperes.

3. Propter *instabile vitæ genus.* Sicut enim flumina non uno loco consistunt, sed continuò decurrunt de loco in locum, & ad ostia sua redeunt. Eccles. 1.7. Ita pauperes vagabundi, qui passim circumeunt victum quæritantes, & emendicantes.

4. Propter *miserias & afflictiones*, quibus ceu aquis profundis & cœnosis innatare solent pauperes. Psal. 18.17. & Psalm. 66.12. Job. 11.16. Esai. 43.2.

5. Propter *lacrymas*, quas in suâ miseriâ uberes non rarò fundere solent mendici. Ergò super aquas lacrymarum mitte panem, &c.

6. Propter *ingratitudinem*, quæ vulgaris est in isto hominum genere,

nere, ut minùs sæpè pro dignitate æstiment quæ in ipsos conferuntur beneficia: sicuti, quæ in aquas conijciuntur, nullum emolumentum præstant, ut ea quæ terris mandantur semina, sed omninò pro rebus perditis habentur: Ita nullam planè benefactoribus quandoque rependunt gratiam egeni.

Monet interim *Salomon, Cujusmodi pauperibus* eleemosynâ sit gratificandum: Nempe

a. *Etiam ignotis, peregrinis, dissitis*; non notis modò & propinquis. Videtur enim per similitudinem ista dici à navigantibus petitam, qui in dissitas oras merces suas transvehunt, ignotis ac obvijs quibusq; hominibus divendendas: sic etiam *Salomon* non præsentibus modò, sed etiam absentibus, quorum inopia nobis innotuit, benefaciendum esse monet. Joh. 3. 5.

b. Etiam illis, *de quibus nulla retributionis spes concipi potest*: Qui enim illis modò erogat, à quibus compensationem sperat, non eleemosynam præstat ex charitate, sed venationem exercet ex avaritiâ. Quare benefaciendum illis, qui retribuere non possunt, monente Christo, Luc. 6. 35. Quemadmodum quę in aquas conjecta sunt pro perditis ac desperatis habentur: sic nullâ recuperandi spe (saltem ab illis quibus succurrimus) elargienda eleemosyna. Adde Luc. 14. 14. Pudeat ullum venale esse beneficium: *Gratuitos habemus Deos: Da ingratis beneficia.* Seneca libr. 4. de Benef. cap. 25. ubi plura.

c. Etiam *malis, ingratis*, &c. Neque enim tam spectanda est ipsorum indignitas, quàm indigentia: nostraque potiùs probanda charitas, quâ erga carnem nostram ferimur, quàm exploranda ejus probitas vel dignitas: ut est Esai. 58. 7. si nim. extrema urget necessitas. Atque eatenus Christus exemplum Patris cœlestis imitandum nobis proponit, Matth. 5. 45. Luc. 6. 30. Præferendi domestici, amici & cognati extraneis. 1. Tim. 5. 8. Præferendi domestici fidei alienis ab Ecclesiâ & infidelibus, Gal. 6. 9. Matth. 25. 40. Præferendi boni & probi, malis & injustis, Matth. 10. 41. Præferendi infirmi, ægroti, mutili validis pigrisque mendicabulis, quibus nihil dandum, 2. Thess. 3. 12. *Eleemosyna enim ad necessitatem non pigritiam accipienda*: ait *August.* l. de operib. Monach. c. 15.

Quemadmodum in vivarijs & piscinis panis indiscriminatim proijcitur, ab obvio quocunque pisce sine delectu arripiendus: Ita non solicitè nimis scrutandi sunt pauperes, quin perspectâ eorum necessitate succur-

ratur illis, non aliam ob causſam, quàm quia in vitâ ſunt conſervandi; quia, dicente *Auguſtino*, ſi non paviſti, occidiſti. Non tamen obſtat, quò minùs delectus, certique gradus beneficentiæ exercendæ, obſerventur.

B. Modus dein, quo officia charitatis erga infirmos & egenos præſtanda ſunt, luculenter eôdem hoc ſimili, à pane ſuper aquas conjecto, innuitur.

1. *Liberaliter & copiosè*: quod indicatum volunt per *aquas*, quibus loca terrasque irriguas eoque fœcundas ac fertiles ſignificari volunt: *Eſt enim* (ut ait *Cyrill.* in Eſ. 32. 20.) *aqua vivifica, atque efficiens omnis fœcunditatis. Jam verò ubi agri ſunt fertiles ejusmodi, illis certe ſolent copioſum ſemen immittere agricolæ, indeq; ſibi uberem meſſem polliceri.* Volunt ergò translationem ſubeſſe ab agriculturâ ad eleemoſynam: Ut ſicuti agricolæ ſolent terris humectatis, ab aquis vel pluviis vel fluvialibus præterlabentibus, copioſum ſemen inſpergere: ſic liberaliter ſpargenda eſſe bona in egenos. Confer Eſai. 32. 20.

Dicta parallela Pſalm. 112. 9. 2. Cor. 9. 6. Prov. 11. 25. Dandum tamen pro facultatum ratione. Ditior largiùs & ex abundantiâ maximè ſuperfluâ: pauperiores etiam, 2. Cor. 8. 2. ſed ita ne & ipſi egeant. Tob. 4. 8. Syr. 14. 13. Luc. 3. 11. & 11. 41. 2. Cor. 9. 13. *Dabo egenis ſed non ut ipſe egeam, ſuccurram periturо, ſed non ut ipſe peream.* Senec. de benef. l. 2. c. 15. Namque & tenuis eleemoſyna eorum, quorum ſors eſt exigua, res accepta eſt: ut liquet exemplo viduæ, Luc. 21. Sareptanæ, 1. Reg. 17. Rectè *Ambroſius: Eſt parum eſt coram mundo quod dat pauper, multum tamen à Deo æſtimatur: Non enim hic quæritur quantum, ſed quo corde & animo detur.* Ideò Chriſtus potum aquæ frigidæ compenſatum iri in cœlis ſpondet, Matth. 10. Et certè pertenue auxilium, opere ipſo caſu neceſſitatis præſtitum, melius eſt promiſſionibus magnificis nunquam re ipsâ præſtitis. Qui igitur parum habet, exerceat miſericordiam de pauxillo quod habet. Nemo enim à dandâ eleemoſynâ exemptus eſt, cùm nemo tam pauper eſſe poſſit, cui non pauperior & miſerior occurrere poſſit. Lex charitatis univerſalis eſt, obligans omnes. Ideò apud Eſaiam c. 58. 7. ait Deus: *Frange eſurienti panem tuum*, h. e. nolo quidem ut totum des & ipſe fame pereamris: ſi tamen non plus tibi ſuppetat, quàm fruſtum panis, & famelicus aliquid abs te petat, cum eo vel illud dividas. Si panem non habes, potus frigidæ non deerit, quem ſubminiſtres. Si nihil habes, *conatu hyemare: Ma-*

gnum

gnum est infortunato remedium, miseratio ex animo collata, quam eleemosynam cordis vocat, Augustin. tom. 10. Hom. 6. Nazianz. orat. 27. de pauper. amore.

Qui verò lautioris fortunę sunt, uberius quoque largiusque erogent. Ex primitivæ Ecclesiæ: solebant tum omnem substantiam in commune conferre, propter pauperes, quo & illi sustententur. Actor. 4.

Tertull. in Apolog. adversus gentes de sui temporis fidelibus ait: *Plus nostra misericordia insumit vicatim, quam vestra religio templatim.*

Placilla uxor Theod. sæpius increpata est à Consiliarijs, quòd tam profusa esset in egenos, quibus respondebat; æquum esse, ut loco gratitudinis suæ erga Deum, pro Imperio, quo donata sit, largiter quantum possit, participent, qui paupertate urgeantur. Niceph. l. 12. c. 42.

Gregorius Nazianz. in Orat. 28. de patre suo narrat: Pauperum inopiam quantum poterat sublevabat, nec superflua tantùm, sed necessaria in eam rem insumens.

Paulam Romanam aliâs prædivitem omnia sua eó usque in pauperes erogâsse refert *Hieronymus*, ut ne nummum quidem filiæ reliquerit. Epist. 27. ad Eustach.

2. *Citò, maturè, promptè, celeriter.* Hactenus enim *Salomon* avarorum tenacitatem pluribus improbavit; nunc ergò ex opposito largiendi celeritatem & promptitudinem commendare videtur: quia cunctatione & dubitatione perire solet eleemosynæ & beneficij gratia.

Una est beneficentia, quæ moras non patitur.

Nazianz. Orat. 10.

Sic demus, quomodo vellemus accipere. Ingratum est beneficium quod diu inter dantis manus hæsit; quod quis ægre dimittere visus est, & sic, quasi sibi præriperet. Senec. l. 2. de Benef. cap. 1. Alienus ab istâ cunctatione fuit *Job*; 31. 16. *Egenus non rarò præoccupandus eleemosynâ antequam petat.* Senec. l. 2. Benef. c. 1. juxta exemplum Dei Patris, qui desideria pauperum exaudit. Psal. 9. 40. non modò verba concepta.

3. *Secretò, extra inanem ostentationem* & jactantiam præstanda misericordia. Quod enim in aquas proijcitur, ilicet illis contegitur & evanescit ex oculis; aut certè prono flumine rapitur ex conspectu: Ita submergenda quasi est eleemosyna; monente Christo, Matth. 6. 2, 3. Secus qui facit, non in mercedem à Deo, sed ab hominibus accipiendam intentus est. *Isidorus* Pelusiota l. 2. Epist. 151. celebrat *Timotheum* quen-

dam, quòd cùm eleemosynam singulari quodam amore complecteretur, id tamen studiosè captabat, ut obscura & incognita esset ea benignitas. Nam si ostentationis particeps est, non benignitatem exhibere, verùm eorum qui beneficio afficiuntur calamitates exaggerare, divinumque opus molestissimo morbo labefactare.

C. *Qualis eleemosyna, Quid dandum?* Non lautitias, non abundantiam dari præcipit, sed 1. *Panem*, h.e. necessaria vitæ, sive ad victum sive amictum spectent, aut etiam habitationem: ut ex locis Esai. 58.7. Matth. 10. & 25. Jac. 2.15. liquet. A pauperibus igitur requiritur, ut contenti sint, si modicum accipiant ad vitam tolerandam.

2. Panem *tuum*: ex proprio, non alieno fac eleemosynam, non ex rapinâ, furto, aut iniquè conquisitis. *Honora Deum de substantiâ tuâ.* Prov. 3.9. *Spargant se fontes tui*, cap. 5.16. *Sacrificantis ex iniusto oblatio ridicula est, neque placitura sunt iniquorum dona.* Syr. 34.21. Confer. Ephes. 4.28. *Qui aliena rapit & alteri dat, non miseretur sed lædit, & injuriam vel maximam facit. Ut enim lapis nunquam oleum fundit, ita neque crudelis humanitatem: siquidem cùm hinc provenit eleemosyna non est amplius eleemosyna. Quare hortor, ne id solum cogitemus, ut præbeamus indigentibus, sed ne fiat ex rapinâ. Nam si alter precatur, alter imprecatur, utrius vocem Dominus audiet? An plus illud utilitatis an hoc detrimenti adferet.* Chrysost. in cap. 1. Joh. hom. 12. Idem alibi: *Hæc non eleemosyna, sed crudelitas, & inhumanitas. Quæ enim utilitas si alium spolies, ut alium induas? A misericordiâ incipiendum est, non ab immanitate. Nam si aliena damus nullum nobis emolumentum.* Huc videtur respexisse Christus Luc. 11.39.41. Sic Zachæus, Luc. 19.8.

HOMILIA II.

In eundem Text.

SEquitur *Promissio*. Text. *Quia in multitudine dierum invenies eum*: q.d. non perditus erit, uti videtur, sed post multa tempora recuperabis eum cum fœnore amplissimo, præter spem & expectationem; uti quæ inveniuntur inopinatò

opinatò accidere solent homini. *Date & dabitur vobis.* Luc. 6. 38. *Mutuat Jehova, qui gratiose largitur paupери.* Hæc mutuatio Deo facta nunquam fallet. Almosen ist ein Wechsel naher Himmel. Quemadmodum semina quæ terræ conduntur, perdita videntur, quia computrescunt; fructus tamen amplissimos referunt: Eadem eleemosynæ ratio: Copiosè serentes in terris, exundantissimam messem facient in cœlis. Eódem vergit similitudo à navigatione petita, ut sensus sit: *Mitte panem tuum super aquas*, ut navibus vehatur in longinquam regionem, & amplissimum exinde quæstum facies: Naves, pauperes sunt; his imponuntur bona temporalia, ut in cœlum transvehant, ubi recepturi sumus illa cum quæstu inæstimabili. Nullum in tali nauticâ negotiatione naufragij aut jacturæ ullum periculum, cui aliàs subjacent naves mercatorum; quin certò per manus pauperum illuc devenient, bona illis gratis concredita: attestante *Chrysostomo* hom. 48. in c. 24. Genes. *Facilis*, inquit, *est hæc transvectio, secure illuc transferimur, & in thesauro indepradabili reponimus, quæcunque per pauperum manus præmittimus.* Luc. 12. 33.

Compensatio autem duplex, *A. Hujus*, & *B. Futuræ* vitæ.

A. Hujus vitæ compensatio, est vel

a. Corporalis: Benefici in pauperes acquirunt gratiam & favorem Dei & hominum. Prov. 3. 2, 3. maximè pauperum: hoc quantum sit ex Luc. 16. 9. patet. Emergunt ad honores, qui Deum de facultatibus suis honorant: Psalm. 112. 9. Liberantur è periculis, morbis, &c. Psalm. 41. 1, 2, 3. Benedicti ipsorum posteri. Psalm. 112. 2. Psalm. 37. 26. Cumulantur divitijs, quæ ipsis augentur per Dei benedictionem. Prov. 11. 24. cap. 3. 9, 10. 2. Cor. 9. 6. *Sim.* à semente. Ex. *Sareptanæ*, 1. Reg. 17. 15. *Job.* 42. 10. fuit enim summè beneficus, cap. 31. 16. &c. Ut aquæ puteorum, quò crebriùs hauriuntur, eò copiosiores & nitidiores ebulliunt: non exhaustæ computrescunt, sic &c. Hinc Hebræi eleemosynam vocant *sal divitiarum.*

Object. At egebo, si nimis largus in pauperes ero: gravia metuenda sunt tempora, unde tenacitati studendum, ne ipsi inopiam & inediam ferre cogamur.

R. Ita quidem ratiocinari suadet caro, non item Scriptura: quæ non ideò contrahendam esse manum docet, quia cara ingruant tempora, sed ideò potiùs largiter communicandum, ut illis temporibus Deum habere possimus propitium, juxta illud Psalm. 37. ℣. 18, 19. &c. utque abundan-

undantibus perpessionibus abundet etiam consolatio, 2. Cor. 1. 5. quæ omnem famis & inopiæ difficultatem mitigat: quin immò eam sæpè experiuntur benefici calamitatum catastrophen, ut etiam in hâc vitâ centuplicia recipiant pro illis, quorum jacturam fecerunt. Marc. 10. 29, 30. Nunquid idem cogitare poterat vidua illa paupercula, quæ omnem substantiam in gazophylacium immiserat? Marc. 12. Magis adhuc mirabile *Sareptanæ* viduæ facinus, 1. Reg. 17. quæ (ut *Chrys.* 2. Cor. 9. hom. 19. ait) non inpaupertatis tantùm, sed etiam in mortis mariti sui, ac filiorum periculum venerat; nec expectabat fore, ut ab alijs acciperet, sed ut quàm primùm interiret, & tamen de residuo farinæ pauxillo sustentavit Prophetã: liberalior in eo (ut subdit) *Abrahamo*, qui ad greges cucurrit; quia pugillo suo omnes, quicunque hospitalitatis nomine clari erant, superavit.

b. Spiritualis compensatio beneficentiæ cumprimis hæc, quòd *beati* sunt, Matth. 5. 7. exaudiuntur cùm precantur, Esai. 58. 8. *beatè* moriuntur. *Non meminis mala morte mortuum, qui libenter opera misericordiæ exercuerit.* Hier. ad Nepotianum. Ex. *Tabitha*, Actor. 9. 30. & c. Moriuntur quoque *voluntariè*. Psalm. 41 4. Et quis miretur, eum qui confidit se domos, agros, opes, quæ relinquit, alibi longè auctiora, & venustiora recuperaturum, haud invitum his & alijs valedicere?

B. Æternalis autem præcipua misericordiæ merces. *Mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, ac filij eritis Altissimi.* Luc. 6. 3. &c. Confer Matth. 25. 34. Luc. 12. 33. & 14. 14. & 16. 9. & 18. 22. *Chrysost.* verè eleemosynam vocat *opus nobilissimum, artem omnium quæstuosissimam.* Hom. 33. ad pop. Antioch. Eò quòd ædificet habitationes in cœlo, quæ æternùm manent: det thesauros non marcescentes, quos fures non auferunt; non sinat ad inferos ruere, quò dives epulo migravit: summum illa sit opus, omnia siquidem opera cum corpore pereant, hæc verò post mortem maneat, diluat peccata, h. e. indicium sit accipiendæ aut acceptæ remissionis peccatorum.

Usus. Et in hanc spiritualem & æternam retributionem cumprimis oculi dirigendi: *Et eritis* (inquit Servator) *filij Altissimi.* Solent mundani non rarò magno emere & acquirere honorum titulos, ut eatenus ambitionis affectus, cupiditati divitiarum præponderet. Horum igitur institutum ut æmulentur pij, jubet ubertim erogare in pauperes, ut augustissimum *filiorum Altissimi* titulum & gradum assequantur, quem solus conferre Deus, auferre nemo potest hominum. Johan. 5. 44. omni

honore

honoris fastigio, quo in terris ampullantur mortales, eminentiorem. Qui quidem titulus etiam Regibus & Potestatibus defertur in Scripturâ, Psalm.82.6. neutiquam tamen pari dignitatis axiomate, quo fideles & beneficos honorat adoptando eos sibi in filios, nisi & ipsi credant in nomen Filij Dei. Credentes enim agnoscit præ alijs ut primogenitos suos, quorum nomina in cœlis sunt scripta, Hebr.12.23.ut hæredes suos & cohæredes Christi, Rom.8.17. regnaturos cum ipso, &c. Matth.19.28. Dicitur autem de Beneficis in futuro: *erunt filij Altissimi*, utcunque jam sint in præsens per fidem, Spiritu ipsis hoc attestante, Rom.8.16. Primò quidem respectu futuræ ipsorum glorificationis, in quâ ipsorum υἱοθεσία, quam hic per fidem possident, in ipsis consumabitur. Rō.8.23. Luc. 20.36.1. Joh.3.2. Tum verò expirabit Regum & Principum ista dignitas, quâ in hâc vitâ, ut filij Altissimi, pollebant; ni & fidei sanctorum facti sint participes. Secundò, quia per opera charitatis, firmam facient sibi in conscientijs suis suam υἱοθεσίαν; ita ut magis magisque secum experturi sint, se esse filios Altissimi. Denique, quia & subortis calamitatibus sensuri sunt Deum sibi benignum & misericordem Patrem, qui nunquam suos deserat, sed de omnibus animæ & corporis necessarijs ipsis prospiciat, seque adeò dilectos ipsius filios in perpetuum mansuros, nunquam separandi ab ejus charitate in Christo, Rom.8. Esai.46.3,4. Luc.15.31.

Quid quod *Deus ipse merces* est eorum, qui mutuum dant μηδὲν ἀπελπίζοντες? juxta illud quod dicitur Genes.15.1. & Psalm.16.5. Is nim.est fundamentum illud bonum; quod recondere jubet Apost. benefaciendo: 1.Tim.6.18,19. quod nim. antè ℣.17. appellavit, Deum vivum: Is sors; copiosa omnium fruitio ut ibi sequitur; reditus perpetuus currens in infinitum, vita æterna, ℣.19. Tum verò omnium maximè recipiemus panem nostrum super aquas missum, &c.

Ergò ut thesaurum hunc sortiamur, vendamus omnia, Matth.13.& 19. omniumque terrenorum jacturam lucro apponamus, ut mercedem illam in cœlis consequamur. Phil.3.7,8. Sic *Moses*, ut afflictis succurreret, sprevit Ægypti honores & divitias, intuens in retributionem cœlestem, Hebr. 1.24,25,26.

Absit verò ut μισθαποδοσίαν ἰυποιίας nostræ, ex dignitate & merito ejus deberi nobis à Deo putemus cum Papistis; quin cum *Davide* confiteamur, *Qui sumus nos, ut obtineamus vim sponte offerendi hujusmodi? ex te sunt omnia, & à manu tua accepimus reddimus tibi*. ex 1.Chron, cap.29.14.15.

& cum Apostolo, *Quis prior dedit*, &c. Rom. 11.35. omnia nobis cum Christo gratis donantur. Rom. 8.32. Ille meritus, quod nobis retribuitur, qui ipsi per fidem unimur.

HOMILIA III.

TEXTUS ℣. 2.

Da partem septem, aut etiam octo; quum nescias quid futurum sit mali super terram.

II.

VT continua, sic gravis est illa lucta Carnis & Spiritus in renatis, Gal. 5.17. Exerit illa sese etiam tum maximè in illis, cùm beneficentia erga proximum egenum & afflictum est exercenda; tum enim caro varia ingerit, quibus homo inde avocetur, saltem ne largiùs eroget eleemosynam.

Novit id Ecclesiastes noster: unde cùm proximè Hortationem ad istam virtutem edidisset; nunc porrò varijs *Objectionibus* carnis occurrit, quibus etiam interdum sancti conflictantur, ut ægrè saltem pauperibus succurrant.

I. Prima *Objectio* petita est *à copiâ egenorum*: Nimis multi sunt pauperes, dixerit quis, nec fieri potest ut in omnes sim beneficus, si tribus aut quatuor dedero, satis erit.

℟. Occurrit *Salomon*: *Immò da partem septem, aut octo. Septenarius numerus* familiaris fuit Hebræis propter Sabbathum, quod septima erat a Creatione dies; nec plures erant dies quam septem, quibus subinde recurrentibus septimana, & sic omne tempus conficiebatur. Hinc numerus iste certus, pro multitudine numeri incerti frequentissimè adhiberi solitus: veluti 1. Sam. 2.5. Prov. 24.16. Luc. 11.26. Quòd si numerus iste per gradationem aut cum auctario efferatur, ingens & inusitata multitudo denotatur: ut Job. 5.19. Ita hîc, *Da septem*, h. e. multis, *immo octo*,

nò dato, q.d. immò pluribus quàm multis, adeoque omnibus & infinitis si possis; nec posteriores carere sinas, quòd dederis prioribus; sed constanter elargire, ut priùs deficiant, qui abs te petant aut accipiant, quàm tu dando defetiscaris. Summa, Neminem excludas vel dimittas indotatum, si est in tuis facultatibus. Similis locutio extat Micæ.5.5.

DOCTRINA.

Commendatur *Constantia seu Perseverantia* in benefaciendo. Luc.6.30. omni petenti abs te, tribue. Cujus quidem immò omnis modi largiendi ritè eleemosynam, Patrem suum allegat *Nazianzenus*, orat.19. *Revera*, inquit, *tanquam alienorum bonorum procurator, de bonis suis cogitabat; pauperum inopiam, quam maximè poterat sublevans, nec superflua duntaxat, sed necessaria quoque in eam rem sumens, passimq; dans non septem duntaxat, velut Salomonis lex præscribit, verùm si octavus etiam accederet: libentiùs sua profundens, quàm alij acquirant.* Et hactenus quidem verum illud *Ciceronis: Homines*, ait, *ad Deos nullâre propiùs accedunt, quàm dando: nihil habet fortuna melius quam ut possis, nec natura melius, quàm ut velis servare quam plurimos.*

Additur Ratio, *Non enim scis, quid erit mali super terram.* Scopus est Beneficentiam exercendam dum licet, præ malis temporibus, quæ ingruere possent; quibus benefaciendi copia, materies, occasio, media, nobis præriperentur: neque proin differendam, dum tempus habemus. Nihil enim facilius, quàm ut illi, qui opulentissimi fuerunt, amplissimaq; habuerunt alijs benefaciendi media; ijs seu per publicam aliquam seu privatam calamitatem exhaustis, arq; ad inopiam redigantur: ut tum potiùs ipsis sit succurrendum, quàm ut ipsi aliorum inopiam sublevare possint. Nihil divitijs instabilius: 1.Tim.6.17. (Conf. Hom.5. in cap.3. Eccles.)

Ergò quoad media sunt in manibus, benefaciendum. *Ne dicas amico tuo, Vade & revertere & cras dabo: cùm quod petis sit apud te.* Prov.3.28. Gal.6.10. Joh.12.35. Ephes.5.16. Nec verò præter rationem ominatur *Salomon*, tempora futura non meliora, sed deteriora fore: Quò enim diutiùs stat mundus, eò sicuti annosior sic nequior evadit: hinc tempora ultima deterrima prædicuntur: at crescentibus delictis jure crescunt pœnæ Dei. Non abs re igitur dicitur: *Nescis quid mali super terram*: Neque enim lauta & pacifica porrò semper fore tempora existimare quisquam debet. Hom.10. in Eccles.7.

Sed & *mors* metuenda cuique, eaque sæpè inopina, quâ rursum benefaciendi facultas homini præciditur. Jam verò cùm tantæ factæ sint à Deo beneficentiæ promissiones; tum quòd mitiùs habendi sint diebus malis, tum quòd æternâ beatitudine donandi, beneficii, uti nuper visum; quem non pœniteat neglexisse virtutis adeò lucrosissimæ exercitium, quod aliquando præstare potuisset, nunc verò sibi seu depauperato, seu agonizanti præstare non amplius liceat? neque adeò spem suam de promissionibus illis accipiendis confirmare? quin econtrà experiri cogatur, vel hostes, vel aliâs indignos suis opibus potitos. Benè ergò *Salomon: Nescis quid erit mali super terram*, Ergò nunc da partem, &c. quoad ejus habes facultatem.

Eòdem planè argumento, quia sc. homo ignoret futuram sui conditionem, an commodum semper habiturus sit tempus, aut melior occasio transierit, &c. nec serò nimis intendat quod molitur, &c. jubemur maturare nostram *pœnitentiam*, Rom. 13. 11. *precationem*, Esai. 55. 6. *reconciliationem cum proximo*, Matth. 5. 25.

Alia expositio. Sed & iste verborum sensus esse potest: Nescis quæ tua sors sit futura diebus malis ingruentibus: posses enim ipse aliorum ope & eleemosynâ indigentissimus reddi: Tum verò sicut gratum esset, si alij misericordiam erga te & liberalitatem exercerent, ita eandem jam erga egenos & afflictos præsta; memor regulæ Christi, Matth. 7. 12. immò memor talionis promissæ, &c. *Eadem mensurâ, quâ metimini, contrà metetur vobis*, &c. Psal. 41. 2.

Usus. Utinam verò talionem istam adanimum revocarent illi, qui miseris his temporibus, ex aliorum ruinis, cladibus, depræda tionibus, divitias corraserunt, atque ex illis genio affarim indulserunt. Nesciunt sanè tales, quid mali venturum sit super terram: considerent isti, quàm ipsis futurum esset grave, tristi ejusmodi statu tractari ab alijs eâ ratione, sicut ipsi alios habuerunt: Atqui justus est Deus: Pœna certa; sive ipsis sive posteris ipsorum, sive in hâc sive in illâ vitâ, sive corpore, sive animâ, sive fortunis ea sit luenda.

Abstinebit qui sapit à pauperum oppressione, & contrà beneficentiæ potiùs studebit, memor futuri temporis, status, ævi, &c. quantum fuerit tum, bonam habere conscientiam, Deum propitium, spem vivam retributionis gratiosæ, non metum retributionis malæ.

HO-

HOMILIA IV.

TEXTUS ℣.3.

Quum repletæ densæ nubes pluviâ, super terram minutim demiserint eam, sive ceciderit planta ad meridiem, sive ad Aquilonem: quo loco ceciderit planta, ibi futura est.

II.  ECUNDA *Objectio* hæc esse possit, *Quæ habeo aut possideo bona, mea sunt*, proprio labore, aut industriâ congesta, non alterius: neque adeò obligatus ero conferendi illa in alios, aut partem illorum alijs tribuendi. Sic arguitatus est *Nabal*, & Stultus ille. *Quid faciam, non enim habeo ubi congregem fructus meos.* Luc. 12.17. cui venustè D. *Bernhardus* respondit: *Stulte, an ignoras domos & ventres pauperum esse horrea tua.*

℟. *At* venusto simili declarat *Salomon*, Ideò divitibus à Deo obtingere opes, ut largiter eas in pauperes profundant. *Sicut enim nubes aquas concipiunt*, non sibi perpetuò illas retenturæ, sed depluituræ aliquando in terram aridam; Ita &c.

Venusta, inquam, est Comparatio, *Nubes* sunt divites, *aquæ* eleemosyna vel opes, *terra* pauperes.

1. Ut enim nubes in sublimi sunt, ac longè supra terram exaltatæ: Sic divites in honore & precio sunt: pauperes contrà verè terra sunt, humi repunt, abjecti & contempti.

2. Divites turgidi sunt, intlati obesi, nubium instar. Pauperes terræ instar aridæ & siticulosæ, aquas illorum ambientis, seque illis refocillare cupientis.

3. Nubes in ære pendent, ac levi vento d flantur, ut nuspiam amplius apparent: sic opulenti illi Thrasones. Psal. 37.35. pauperes contrà pij immoti, terræ instar aut montis, Psalm. 125.1.

4. Ut aquæ nubium tandem in terram decidunt, huicque sunt usui, dum reddunt eam frugiferam: Ita divitiæ impiorum justo sunt repositæ, qui fruetur illis Hom. 12. in Eccles. 2.

5. Ut aquis nihil fluidius, pluviæque delapsæ à terrâ absorbentur, ut quò devenerint, ignoretur: sic nihil divitijs instabilius; aquæ instar defluunt & evanescunt.

6. Ut aquis nihil fœcundius, ut nuper Conc. 1. ex *Cyrillo* citavimus: nam & ipsa piscibus est fœcundissima, & terram fœcundat ad fructificandum: Ita divitiæ sunt fœcundissimæ, maximique tum ad vitam, tum etiam ad pietatem usûs; collatæ nim. in Dei gloriam & pauperum subventionem, pluribusque virtutibus exercendis materiam subministrant, charitatis cumprimis & beneficentiæ.

Sed ut præsentem scopum tangam.

7. Ut nubium aquæ non ab ipsis sunt, sed virtute solis è terræ humoribus elevantur, & in aëre ejus frigiditate ita condensantur, denique mirâ Dei naturæ conditoris ordinatione in aëre pendulæ librantur & consistunt: Ita divitiæ quas possident opulenti, non ab ipsis sunt, sed à Deo, qui easdem ipsis est impertitus. (Hom. 5. in Eccles. 2.)

Nec est ut dicant, quòd labore suo & industriâ illas sibi comparârint: inanis est enim omnis hominum labor sine Deo: immò sine Deo ne quidem laborare aut quicquam expedire potest homo. Qui igitur dat laborare, idem dat quod labore acquiritur. Psalm. 127. 1, 2, 3.

8. Ut ergò naturæ operationes quæ in sublime trahuntur, atque ibi in nubes condensantur, non eo fine ut semper inibi hæreant; sed ut calore Solis resolutæ in terram relabantur, ad eam retocillandam, humectandam, fœcundandam: Ita divitiæ divitibus cumulantur, non ut eas sibi retineant, illisque in sublimi constituti ampullentur; sed ut in pauperes terræ erogent, eosque his recreent & sustentent. Jure igitur & ex Dei intentione illis debentur, saltem pars illarum, ut *Salomon* dixit, Da partem. Injuriam igitur pauperibus faciunt, qui stipem illis seu partem negant, quia debita est. Agit Deus nobiscum sicut dives quispiam cum turbâ mendicantium, qui universim omnes congesto clamore stipem solicitant: Hic unico dat summam pecuniæ, reliquis distribuendam. Ita nos omnes apud Deum pro pane quotidiano instamus: Jam verò Deus cuidam copiam magnam largitur: An ut sibi soli servet? Minimè, sed ut dispertiat: Quod si negligit, præter jus & fas pauperi suum detinet, quia & is

prece

prece & clamore promovit ejus impetrationem. *Fatuus* (avaros alloquens, Conc. in illud Lucæ, *Destruam horrea,*) *non omne spoliatores, qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Ejurientis est panis, quem tu detines, nudi est pallium, quod tu in vestiario conservas, discalceati est calceus, qui apud te computrescat, indigentis est argentum, quod defossum tenes.*

9. Ut verò pluvia in terram delapsa utilissima est, ad ejus proventus producendos necessaria: Ita & eleemosyna insignes benefacientibus parit fructus, ex Dei promissione: quin immò ut è pluviosâ terrâ Sol alios exinde vapores evehit, sicque in locum nubis in pluvias resolutæ aliam & quandoque majorem substituit: Ita nihil decedit benefactoribus de suis facultatibus, quin Deus illud ubertim illis refundat, ut nuper dictum.

III. Tertia *Objectio*. At nescio qui digni qui indigni? satius retrahere manum & nihil dare, quàm indignis, ingratis, improbis dare.

Respondet Salomon, Et si ceciderit arbor ad Austrum, aut si ad Aquilonem, in locum in quem ceciderit ipsa arbor, ibi erit. Sensus est, Ut arbor quæ succiditur, arbor manet, cæsaque eundem præstat usum, quamcunque demum cœli plagam versus ceciderit, sive horsum sive illorsum: sic & eleemosyna, corde sincero juvandi proximum afflictum erogata, manet eleemosyna, sive hominibus ex Austro sive Aquilone venientibus, sive dignis, sive (te aliter sentiente) indignis ea obtigerit; ac nequaquam suam gratiam & usum perdit.

Monet igitur *Salomon* abstinendum esse à scrupulosâ inquisitione, qui digni qui indigni, qui eleemosyna benè usuri qui non, quibus illa utilis quibus noxia sit futura; quin dandum esse obvio cuique egeno, de quo non aliud tibi constet, quàm quòd indigus sit: Esto enim indignus sit, ingratus, atque ad ingluviem fovendam eleemosynâ abutatur, non tamen tibi peribit eleemosyna, qui retributor omnium Deus attendet potius dantis simplicitatem, quàm accipientis malitiam. Vana igitur excusatio ac tergiversatio inanis, ideò dare nolle, quia metuendum, indignis forsan obventurum quod dederis. Sed de hoc suprà quoque Hom. 1.

Alia expositio loci. Eleganter porrò dictum hoc, ab Interpretibus tum veteribus tum recentibus, de *hominis morte* exponitur.

Homo arbor inversa, quia radices, caput sc. cum capillis mittit sursum, ramos verò seu pedes deorsum: Hinc cœcus, Marc. 8. 24.

Rursus

Rursus *Auster* in bonam partem accipitur, *Aquilo* in malam: Est enim Australis plaga, dextera, lucida, calida; Aquilonaris verò sinistra, caliginosa, frigida: Unde illud: Ab Aquilone panditur omne malum, Jerem.1.15. Erat enim Babylon Judeæ & Hierosol. aquilonaris, quæ huic exitium per *Nebukadn.* erat allatura. Contrà Habac.c.4.3. Deus ab Austro venit. Itaque per Austrum potest intelligi status resipiscentiæ, gratiæ, & salutis: per Aquilonem verò status iræ, peccati, damnationis: appositè quidem, nam & Christus salvandos ad dextram suam, damnandos ad sinistram in judicio extremo collocaturus dicitur, Matth.25.41.

Arboris casus, mortem cujusque hominis significat. Sensus igitur est: Quo statu quisque fuerit, dum moritur, eo mansurum post mortem, nec ullâ ratione ad alterum transire posse: Itaque, qui cum verâ resipiscentiâ mortui fuerint, eoque in statu gratiæ constituti, æternâ vitâ potituros, nec unquam in damnationem deventuros: contrà qui in peccatis suis citra pœnitentiam mortui fuerint, eoq; in statu iræ constituti, eos damnatum iri, nec unquam è gehennâ emersuros. Et hanc quidem immutabilem mortis legem, & hominis post illam conditionem, asseveravit *Abraham* Epuloni Luc.16.26. *Magna* (inquiens) *vorago inter utrumq; est firmata.* Et hæc quidem interpretandi ratio à præsenti scopo non abludit, ubi de beneficentiâ exercendâ agitur: Monemur enim, ut si velimus in morte nostrâ cadere Austrum versus, h.e. ad æternam felicitatem; maturè eò vergamus & inclinemus, exercendo opera fidei & misericordiæ: contrà abstineamus abimmisericordiâ, nisi ruere velimus ad Aquilonem æternæ damnationis. Pulcrè *Bernhard.* serm.49. inter parvos. *Excidit* (inquit) *arbor in morte, & quocunque ceciderit ibi erit, quia ibi te judicabit Deus, ubi inveneris. Ibi usquam, erit immutabiliter & irrevocabiliter. Videat quò cadere sit antequam cadat, quia postquam ceciderit, non adjiciet ut resurgat, sed nec ut se vertat. Quò verò cadura sit arbor si circumvolueris, ramos eius attende: Unde major est copia ramorum & ponderosior, inde cadura ne dubites: si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri, desideria nostra sunt, quibus ad Austrum extendimur si spiritualia fuerint; si carnalia, ad Aquilonem. Quæ vero præponderent, medium corpus indicat: earumque præponderant, quæ jecinori traxerint corpus.* Hactenus D. *Bernhardus.*

DOCTRINA.

Status igitur hominis in futurâ æternitate, pendet à conditione mortis

mortis ejus: Beatus ille fuerit, si hæc beata, si cum fide & resipiscentiâ hinc decesserit: Infelix & exitialis, si sine resipiscentiâ peccatis fuerit immortuus. Quo genere mortis, an naturali, an violentâ; an ignominiosâ an honoratâ; an præproperâ an ex sævo morbo lentâ, &c. quis decesserit, nihil interest; modò vita sancta & resipiscentiæ plena eam antecesserit: sicuti nec mors calamitosa *Lazaro*, nec probrosa latroni converso quicquam obfuit.

Post mortem nec resipiscentiæ locus est, nec transitus è statu misero & damnato, in statum beatorum. Stat fixa & irrevocabilis sententia, *Quà ceciderit arbor, ibi erit æternùm.* Confer Hom. 7. in Eccles. 9. sub fin. *Frustra sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit. Augustin.* Frustra pulsabunt fores impij & increduli, cùm illæ occlusæ fuerint semel. Luc. 13. 25. Accipiet tunc quisque *pro ut in hoc corpore*, hâc vitâ se gesserit. 2. Cor. 5. 10.

Usus. Hìc igitur, dum adhuc in hâc vitâ versamur, agamus maturè resipiscentiam, antequam mors ingruat. Pœnitebit damnatos non egisse ipsos dum viverent pœnitentiam; sed pœnitentia illa ut nimis sera, sic dolorifica summè, inutilis tamen erit. Verè *Beda* in Collectaneis: *Tres*, ait, *mansiones principales constituit Deus, Cœlum, Terram, & Infernum; & in illis tribus tres res principales: in cœlo constituit pacem & æternitatem: in terrâ constituit fidem, pœnitentiam, & remissionem peccatorum: in inferno constituit timorem & æternam pœnam. De terrâ autem, quæ in medio est, replebitur cœlum & infernus.*

Usus 1. ad παιδ. *Exploret* ergò quisque seipsum, quorsum inclinet, an ad Austrum, an ad Aquilonem. Qui vitijs gravati sunt, nec dum parati sunt ab illis desistere, inclinant herclè ad sinistram, ac morte præventi fluent in exitium: Maturè igitur prospiciant, ut in alteram partem seipsos inflectant, secus desperata est ipsorum salus. Qui verò fidem in Christum studio pietatis declarant, ad dextram vergunt; videant tales ne resiliant, sed magis magisque in beatum illud latus inclinent, &c.

Usus 2. ad ἔλεγξιν. Denique refelli potest ex hoc loco *Purgatorij commentum*: Etenim duorum modò locorum meminit *Salomon*, ad quæ cadunt morientes: quin etiam transitum utrique parti præscindit: Sequitur ergo, qui post mortem non Austrum versus ceciderint, seu in cœlum secundùm animam migrarint, nunquam eò deventuros: nec alicubi

esse posse, nisi in Orco Aquilonis. *Respondet Cornelius* à lapide in h.l. Negando consequentiam, quia non excludat intermedia, qui dicat extrema: Dein sermonem hîc esse de locis ultimis in quibus perpetuò maneant animæ, non locis mediatis, &c. cujusmodi sit Purgatorium, in quo qui sint ad Austrum pertinere, quia peractâ purgatione migraturi sint in cœlum. *Sed ista omnia* gratis dicuntur: Probandum prius erat esse locum aliquem ejusmodi intermedium. Sed & scopus dicti omninò reclamat. Si enim est Purgatorium, necesse fuerit ut æternùm quoque ibi sint, qui post mortem in illud devenerunt. Sed & alibi Scriptura duorum modò receptaculorum meminit, Luc. 16.

Gloria & Gratia Tibi Domine JESU.

HOMILIA V.

TEXTUS *vs.* 4 & 5.

Qui observat ventum, non seminabit; & qui respicit ad densas nubes, non metet. Quemadmodum ignoras quæ sit via venti, ut ignoras quæ via ossium in utero gravidæ: ita ignoras opus ipsius Dei, quâ viâ faciat hæc omnia.

IV. SEquitur *quarta Objectio.* Tutum non est sua in egenos profundere, quia *dubium valde est quæ futura sint tempora*, an frugifera, pacata, opima; an fortè sterilia, cara, bellicosa: Unde verendum mihi fuerit, ne ipse cum meis egestatem & famem diram pati cogerer, si in pauperes nimis sim largus; satius igitur me pro tempore manum beneficam abstinere, donec videro, quæ tempora, quis rerum eventus.

Respon-

Respondet Salomon, vſ.4. Qui obſervat ventum, nunquam ſeminabit; & qui reſpicit nubes, nunquam metet.

Solent equidem agricolæ commodas tempeſtates obſervare, quibus res ſuas expediant; nec facilè ferere ventis vehementiùs tumultuantibus, quia tum ſemina difflantur: multoque minùs metere pluvioſis temporibus, quia metuendum ne ſegetes in agris computreſcant: qui tamen vento nondum flante ideò ſeminare tardaret, quia ventum illabi poſſe conjectaret; aut ideò nollet metere, quia nubes in cœlo apparerent, quæ facilè in pluvias reſolvi poſſent; talem equidem nunquam ſeminaturum aut meſſurum ait *Salomon*, quia nunquam non vel ventum vel pluviam metuere poſſit, cùm nihil tempeſtatibus ſit inconſtantius; Opportunitatem ergò etiam modicam non negligendam eſſe ſuadet; nedum meliorem expectamus, nullam tandem aſſequamur, ſed inaniter tempus nos perdidiſſe, non ſine inſigni jacturâ, experiamur.

Scopus parœmiæ eſt: Non abſtinendum eſſe ab operatione boni, vel metu deterioris eventûs, vel ſpe melioris opportunitatis, dum tolerabilis affulget; nec ſcrupuloſos nimis eſſe nos oportere in exquirendis cunctis circumſtantijs: ſed faciendum officium, ſtrenueque pergendum eſſe in bono quâvis occaſione datâ, eventumque Deo committendum, ejusque providentiæ: Metuendum enim ne ſi obtentu ejusmodi excuſationis, opera pietatis procraſtinemus, ut tandem omninò à nobis negligantur, non ſine conſcientiæ ſubſequente aggravatione. Appoſita parœmia ad præſens negotium, ubi de largitione in pauperes & afflictorum ſubventione agitur: Nunquam enim is beneficum ſe erga egenos præſtabit, qui metuit ne ingruentibus temporibus caris ipſe carere aut egere cogatur; quia ſemper metus aliquis futuræ neceſſitatis ei obrepere poteſt, per quem à benefaciendo retrahatur: Hoc igitur metu profligato, ac firmato in Dei Providentiam animo, magnâque in ipſum confidentiâ pauperibus, quoad præſens noſtra tulerit conditio, benefaciendum. (Vide ſuprà Hom. 2. in hoc caput.

Subeſt ratio valida, ſita in alio metu longè terribiliore, qui priorem illum expellere meritò poſſit: Etenim qui non ſerit, non metet; Ita qui non ſerit & diſpergit eleemoſynam, non metet æternam illam in cœlis retributionem. Metus igitur perdendi iſtam, expellere debet metum tem-

poralis inopiæ & defectûs, quo tenaces & sordidi distinentur ne in egenos sint largi. 2. Cor. 9. 6.

DOCTRINA.

Hinc verò *generalis institutio* pro omnibus statibus elici potest; Cuique sc. magno animo ac fideliter officio esse defungendum; nec vel inani spe aut metu alicujus lucelli aut commodi vel assequendi vel perdendi, à vero tramite esse deviandum. Magistratus & Judices nunquam benè regnabunt aut judicabunt justè, si favorem aut munera spectabunt. Ministri, si contemptum, dicteria, malam gratiam metuerint. 2. Tim. 4. 2. Mercatores, milites, opifices, si omnes vocationis suæ difficultates ad limam & stateram revocare vellent, easque refugere, sanè abdicanda prorsus illa foret. Wer alle Vögel förcht, der wird nimmer Hirß säyen. Ut labor non refugiendus, difficultates quæque animo infracto superandæ; ita in Deum respiciendum, eventus ei commendandus, metuendus is, atque ab eo speranda compensatio. Nec verò quicquam aliud lucrantur otiosi & ignavi suis effugijs, quibus tutò à labore abstinere sibi videntur, quàm temporis irreparabilem jacturam, inopiam, famem, exilium.

V. Quinta *Objectio* hoc modo institui possit: Immò rationem nullam modúmve nullum animo meo comprehendere possum, qui fieri possit, ut si mea in alios profundam, non mihi illis sit carendum, non me ipsum sim exhausturus, non id mihi potiùs cedat damno quàm emolumento? Quis refundet? Unde requiram? Ad quæ compensationis media respiciam? Unde proveniet mihi speratus ille amplissimus ex eleemosynis quæstus? Non assequor ista ullo mentis ratiocinio.

Respondet Salomon v. 5. *Quomodo ignoras quæ sit via spiritûs, & quomodo concrescant ossa in ventre prægnantis, ita nescis opus Dei, qui facit omnia.* Sensus est, Deus certò retribuet amplissimo fœnore, juxta factas suas promissiones, de ejus fide tibi non est dubitandum; utcunq; modum non assequaris tuo judicio, sed omninò te lateat, quo Deus tibi sit beneficia tua repensurus. Sunt enim opera Dei cuncta occulta, providentia ac sapientia ejus inscrutabilis: Effectus, eventus, præstò sunt ac manifesti; causæ & modi illorum mortales latent, nec anxiè ac curiosè sunt disquirendi, sed Deo ipsi & soli committendi, &c.

Illustrat id Sapiens duplici *exemplo*, 4. *Prius*

a. Prius à *vento* est petitum, quo nihil viventibus cunctis magis in sensus incurrit, ejus tamen via ignoratur, unde sc. proveniat & ex quibus cautis, & quò vergat: uti est Joh. 3. 8. Deus tamen est qui eum emittit è locis arcanis, Psal. 135. 7. eumque librat & moderatur Job. 28. 25. ejusque vias perspectissimas habet, ut qui sua per ventos judicia exequitur, cuique adeò venti parent: Psalm. 148. 8. Matth. 8. 24. ad punitionem improborum, veluti Ægyptiorum, quorum regiones locustis à vento illatis oppletæ: Exod. 10. liberorum *Jobi*, *Jonæ*: salutem piorum, siccationem rubri maris, Exod. 14. coturnicum collationem, Num. 11.

b. Alterum est ab *hominis in utero formatione* & generatione: unde quidam per Spiritum Animam hominis accipiunt. In eâ siquidem duo mirabilia valdè occurrunt: *Unum* est *Animæ* origo & insitio in corpus embryonis: Neque enim (ut veterum Philosophorum de ortu animæ opiniones plures easque ineptas taceam) inter doctos constat, Anima rationalis an è traduce parentum propagetur; an à Deo immediatè creata fœtui indatur, ad modum animæ *Adami* à Deo ipsi immediatè inspiratæ: *Augustinus* certè aliàs judiciosissimus ad mortem usque eâ de re dubitavit; ut liquet ex libr. 1. de Orig. anim. cap. 15. & libr. 1. Retract. c. 1. *Alterum* est mira *corporis* humani compages, omniumq; partium & membrorum successiva formatio, accretio, & compactio: ossium cumprimis consolidatio, colligatio, articulatio: quæ omnia miro artificio Deus fabricat, ne matre quidem, in cujus ventre ceu officinâ id fit, advertente; adeò ut mirari satis homo nequeat, admirabilem Dei sapientiam, potentiam, providentiam, quam in productione hominis exhibet; utut nihil horum, quâ ratione & modo perficiantur, pervestigare valeat. Confer Job. 10. 8. & seqq. Psalm. 22. 10. & 139. 13.

Ut ergò fœtum quidem vides cùm editus est, ignoras tamen, unde ejus anima, quando & quomodo corpori indita; ignoras etiam corporis structuram & efformationem in ventre matris: ita ignoras etiam alia Dei opera; & inter illa etiam, quâ ratione Deus velit beneficis erga egenos benedicere, ut cùm multa erogarint non tamen exhauriantur, sed recurrentibus subinde bonitatis Dei aquis, potiùs abundent: Est illud arcanæ Dei providentiæ opus, cujus licèt modus ignoretur, effectus tamen indubius esse solet: Hunc ergo fidenter sperato, ac benefaciendo pergito; illum Deo committe, minùsve de illo solicitus esto.

DOCTRINA I.

Scientia rerum etiam naturalium imperfectissima in hac vitâ. Licèt enim omnibus seculis plurimùm insudarint Philosophi in naturalium rerum indagatione, earum caussis, effectis, qualitatibus, proprietatibus, augmentatione, prolificatione, &c. nunquam tamen solidam & perfectam assequi potuerunt, sed medio velut itinere fatiscebant omnes. Licèt enim generalia nota sint, Efficientem omnium esse Deum, vel Naturam à Deo conditam: Unumquodque suâ constare materiâ & formâ; è seminibus quæque juxta suam speciem è terrâ fotu Solis crescere; animal quodcunque sibi simile generare: Specialia tamen ignorantur, quæ propria sit Dei vel Naturæ omnia producentis, conservantis, augmentantis actio; quæ propria cujusque materia & forma; quomodo hæc actionum omnium seu effectuum sit principium; quâ ratione vegetabilia in terris, animantiaque ab invicem generentur: hæc (inquam) nullâ industriâ perscrutari potest homo. Facta naturalia cùm facta sunt, patent; dum fiunt & quomodo fiant, non liquet. Ut lepidè Germani de sciolis dicant: Er hört das Gras wachsen.

Sim. Naturalia sunt instar automati artificiosè fabricati, sed undique occlusi, cujus externos quosdam motus tuentur spectatores, interiorem rotarum ordinem, compaginem, circumgyrationem non vident, sed illa soli artifici nota sunt: Ita naturales res forinsecus tuemur, miramur, ad usum capimus; caussas earum ignorantes.

Usus 1. Pars hæc humanæ miseriæ, è peccato ortæ; quam agnoscamus & deploremus. Perfecta enim affuit homini integro in naturalibus scientia.

2. Si tantâ cœcitate in naturalibus laboramus, quanta fuerit illa in spiritualibus? 1.Cor.2.14.

3. Agnoscamus gratiam D.N.J.C. qui nobis factus est sapientia; qui per Spiritum S. illuminat oculos mentis, &c. Eph.1.17,18. Magnificiamus Verbum Dei, quod illuminat oculos, &c. Psalm.19.9.

4. Anhelemus ad scholam illam cœlestem, quâ perfectâ omnium sapientiâ donabimur, 2.Cor.3.18.

DO-

DOCTRINA II.

Opera Dei quæcunque ſunt inſcrutabilia. eorum vid. quo à Deo fiunt modus,& cauſſæ.(Confer Hom.9.in Eccleſ.3.)

Addo uſum hunc.3. Deo igitur res noſtras omnes committamus,is facier, licèt non aſſequamur. Pſalm.37.5. is mirabiliter noverit eleemoſynam beneficis rependere.

Gloria & Gratia Tibi Domine JESV.

HOMILIA VI.

TEXTUS ỳſ.6,7,8.

Manè ſere ſemen tuum, & veſpere ne remittito manum tuam: nam ignoras quidnam rectum ſit, hócne, an illud, an verò ambo hæc ex æquo bona ſint. Eſt quidem dulcis hæc lux, & bonum hisce oculis aſpicere hunc ſolem: Sed ſi annos multos vivens homo in eis omnibus lætetur: attamen recordari eum oportet dies tenebrarum, multos eſſe illos, quicquid evenit vanitatem eſſe.

VI. REſtat ultima *Objectio.* Dicat enim quis, *Unde* verò tandem mihi *ſuppetet*, quod in egenos erogem; minuetur ſubſtantia, ut tandem ſuccurerre illis amplius nequeam.

Reſpondet Salomon ỳſ.6. *Manè ſemina ſemen tuum,*

tuum, & vesperi ne quiescere facias manum tuam: quia nescis utrùm magis conveniat, hoc an illud, & an ambo pariter sint bona. Injungit laborem, & quidem assiduum ac indefessum, qui de manè ultra vesperam in noctem usq; sese protendat, idque eum in finem laborandum innuit, ut habeas, quod des egeno; sicuti explicatum legimus Eph. 4. 28. Prov. 21. 26. Nominatim agriculturæ mentionem facit, respiciens ad v. 4. tum verò quia vetustis illis seculis communissima fuit vivendi ratio ex agricolatione & pecuariâ. Ad agricolationem verò labor assiduus requiritur, tam matutinus quàm serotinus: quem utrumque ideò suadet Sapiens, quia negato alterutrius successu, per alterum possit resarciri & compensari; tantoque melius fore, si uterque pariter benè successerit. Quod alij ad sementem primam autumnalem & vernalem seriorem accommodant. Quæ per exemplum agricolationis præcipit *Salomon*, illud de omni functione & vocatione honestâ est accipiendum.

DOCTRINA.

Laborandum esse idque strenuè & indefessè manè & vesperi, ad comparandam sc. alimoniam, è quâ partem suggeras egenis, qui laborare nequeunt. Ex. *Petri*, qui piscatus totâ nocte, & inde mane, Luc. 5. 18, 19. Confer Prov. 6. 6. Quàm sit precatio ad labores necessaria, omnium optimè ex agriculturâ liquet, quæ tota pendet à cœli, tempestatum & pluviarum benignitate; hæc verò cùm non in hominis sed Dei sint potestate; in Deum igitur agricolas respicere convenit, ac precibus eam ab ipso flagitare & expectare.

Usus 1. Culpandi ignavi; qui eleemosynâ indigni.

2. In labore non tui modò sed pauperum sustentatio succurrat: Hîc verò quàm rari, oblivioſi, nulli! At certè charitatis ea Lex, Phil. 4. 5. Unde patet nostra infirmitas, & imperfectio. Nimij quandoque sunt parentes in eo, ut liberis thesauros cumulent suis laboribus; majores cumulaturi, si in pauperes essent liberaliores.

3. Sicut in labore, ita eleemosynâ non segnescendum: non manè modò sed & vesperi dandum: quia si minus fortè dignis erogata aliqua eleemosyna, unde minus ad datorem redeat à paupere gratitudinis altera tamen dignioribus fortè concessa est, qui retributionem divinam apprecentur & assequantur. Ita nonnulli exponunt.

HOR-

HORTATIO POSTERIOR ad studium PIETATIS.

Hucusque fuit specialior ad Beneficentiam adhortatio; generalis nunc sequitur ad Pietatem, & Dei Timorem. Hujus consideranda

1. *Exordium seu Transitio.*
2. *Adhortatio ipsa.*
3. *Ejusdemq; Confirmatio.*

Exordium in hoc capite continetur: *Adhortatio* & *Confirmatio* in cap. sequenti traduntur.

Transitum parat ad seq. Hortationem *Salomon*, v. 7, 8. residuo hujus cap. 11. à consideratione conditionis præsentis vitæ humanæ; quam concedit in se dulcem esse, vanam tamen & fluxam: Hinc enim sequitur, non esse huic vitæ ejusque voluptatibus insistendum; sed Pietati potiùs studendum, ut meliorem & constantiorem assequamur in cœlis: Et hæc quidem ad Hortationem ipsam spectat, quæ sequenti cap. extat. Nunc utrumque quod de istâ vitâ enunciat *Salomon* examinemus.

1. *Concedit primò, Vitam esse dulcem. vers. 7.*
2. *Corrigit dictum, Vanam tamen esse. vers. 8.*

I.

Dulcis quidem est lux, & jucundum est oculis intueri Solem. Paraphrasis vitæ: *Lux* pro vitâ; Tum quia viventes lucem hujus mundi, à Sole (quem quidam Animam ejus dixerunt) emanantem aspiciunt, eâque fruuntur: Unde intuentes Solem pro Viventibus suprà cap. 7. 11. Tum quia viventes lucem videntur in se habere, quatenus visu pollent; juxta illud Servatoris: Oculus lumen est corporis, Matt. 6. 22. Hinc Germani de necis illatione dicunt: Einem das Liecht außlöschen/ invisam abrumpere lucem, *Virgil.* De *vitâ* igitur istâ dicit, *Dulcem esse & suavem.*

a. *Primò* quidem in se, ac respectu mortis: Melius enim est esse, quàm non esse, vivere quàm mortuum esse: unde vita omnis in se spectata nobilis jure dicitur, ac insigne Dei donum æstimatur.

b. *Secundò*, respectu voluptatum ac deliciarum, quæ in hâc vitâ solent aliàs extare; quarum intuitu suprà *Salomon* quoque viventes

mortuis prætulit, cap. 9. 4, 5, 6. Patet verò è seq. ℣. 8. *Salomonem* de ijs potissimùm loqui, qui statu rerum prospero voluptatibus condito utuntur, atque harum respectu dicere, Dulcis est Lux. Etenim respectu miseriarum quibus vita hæc est oppleta, professus est *Salomon*, Mori satius esse quàm vivere, cap. 4. 1. &c. & 7.

Dulcis ergò vita, si cum prosperitate conjuncta, amara si cum miseriâ & calamitatibus: ob quas non rari mortem expetierunt. Quòd si dulcis est vita præsens ideò, quia viventes lucem Solis aspiciunt: quantò dulcior erit æterna in cœlis, quâ Deum, qui Lux ipsissima est contuebimur; cujus respectu Sol iste mera est caligo. 1. Joh. 4. 1. Tim. 6. habitat lucem inaccessam, &c. Pater luminum. Jac. 1. Psalm. 36. 10. Apoc. 21. 23. Immò, quâ ipsi Sancti fulgebunt stellarum & Solis instar. Dan. 12. 48. Matth. 13. 43. Hujus lucis æternæ cùm tenuem radium spectassent Discipuli Christi in ejus transfiguratione, dicebat *Petrus*, *Bonum hic habitare*: Matth. 17. 4.

Sed nec dulcedini hujus vitæ ità est immorandum, ut ad eam retinendam vel in Deum peccemus, vel Christum abnegemus, unde longè nobilioris vitæ jacturam faceremus. Hæc quidem vulgaris est multorum objectio, *Quid faciam*, das Leben ist edel: Sed enim tanti non facere debemus dulcedinem hujus vitæ, quò minùs contemnere eam parati simus, si ad eam retinendam, perdere cogeremur æternam vitam. Matth. 10. 39, & 16. 25.

II.

Ponit, homini cuicunque dulcem esse istam vitam, innuit tamen quæcunque ejus sit & quantacunque dulcedo, ipsam *vanam tamen esse*, omnemque ejus prosperitatem & dulcedinem meram Vanitatem. Quod tum deprehensurus sit homo si recordetur dierum tenebrarum, quia multi sint. *Sanè si multis annis vixerit homo, & in omnibus illis lætatus fuerit, recordetur verò dierum tenebrarum, quia multi sunt, judicabit esse vanitatem.* Ubi per *Dies tenebrarum* primò intelligit dies *senectæ*, qui non jucundi sed exitiosi, ut mox dicet: Dici possunt dies tenebrarum, quia senibus communiter caligant oculi, ut eis Sol ipse tenebrescere videatur, ut dicet cap. 12. 2. Deinde, dies *mortis*, & qui eam consequuntur dum in sepulcro & statu mortuorum est homo: Etenim in sepulcro reconditus in tenebris videtur versari, nec aspicere amplius lucem.

Dies

Dies istos tenebrarum dicit esse multos, adeoque plures respectu dierum lucis & vitæ: *tum* quia senibus ægris & infirmis una dies longior videtur, quàm integer annus, quem in vegetâ & deliciosâ juventâ transegerunt: atque ista est omnium ægrotorum miseria, ut una hora quâ dolores morbi sentiunt, integri diei spacium exæquare ipsis videatur; nox una, totius anni: *tum* quia tempus, quo mortuis in sepulcro tenebroso commorandum usque ad ultimum mundi diem longè majus est, quàm illo, quo in hâc vitâ fuêre. Ita enim Patres ante diluvium utcunque ultra 900. annos vixerint, plures tamen jam millenarios in tenebris terræ quoad corpus detenti sunt, nec constat quousque adhuc sint detinendi. Juxta istam comparationem innuit *Salomon*, vitam hominis etiam optimam aliâs & prosperrimam, vanam tamen esse, dies ejus paucos, breves, fugaces: adeoque & felicitatem hujus seculi quamcunque evanidam esse, fluxam, & momentaneam.

DOCTRINA.

Quæ sit ratio deveniendi ad vitæ præsentis, & rerum mundanarum Vanitatem agnoscendam. Necessaria hæc agnitio, utpote sine quâ nulla Dei ac rerum cœlestium & æternarum cupiditas hominis animum ingreditur: cùm in quo est amor mundi, in eo non est amor Patris. 1. Joh. 2. 15. Ergò ut amor Patris in nobis sit, abdicandus est amor mundi, agnitâ ejus vanitate. Hæc verò vanitas innotescit ex meditatione mortis: quæ ut certissima est, Hebr. 9. 27. ita indicat vitam nostram esse brevem, *vaporis* instar: Jac. 4. 14. omnemque ejus gloriam, esse *floris* instar agri. Esai. 40. 6.

Usus. Utilissima igitur mortis meditatio. Unde *Plato*, Philosophiam dicebat esse *meditationem mortis*: cui consonat illud Psalm. 90. 12. & quod suprà extabat, Eccles. 7. 1, 2. Reliquos Usus de Vanitate rerum mundanarum, &c. Vide Hom. 2. cap. 1.

Cæterùm quæ de multitudine dierum tenebrarum dixit, loquitur id corporis respectu, in sepulcro tenebroso latentis: qui etsi multi sunt, nullum tamen tædium Sanctis adferunt. Dormit enim corpus quasi: at nullum tempus brevius, quàm quo dorminus. Anima verò jam beatâ Dei visione gaudet. At dies æternarum & extimarum, ut tenebrarum infiniti, ita tædiosissimi, miserrimi erunt; quibus ut eluctamur, est ut breviculos hujus vitæ in luce sanctimoniæ transigamus 1. Joh. 1, 7.

IN ECCLESIASTAE SALOMONIS,

CAPVT XII.

HOMILIA I.

TEXTUS ℣.1.

Lætare iuvenis in iuventâ tuâ, & exhilaret te animus tuus diebus iuventutis tuæ, denique perge in viis animi tui & aſpectibus oculorum tuorum: ſed cognoſce fore, ut propter omnia hæc adducat te Deus ipſe in iudicium.

QUEMADMODUM præſens mundus inſignem quidem habet ſpeciem, ob eam, quæ illo reperitur oculorum & carnis voluptatem, vitæque luxum, 1. Joh. 2. 15. Vanus tamen eſt & perituras. 1. Cor. 7. 31. Ita & vita iſta humana in ſe jucunda eſt & pretioſa, quæ cauſſa eſt cur in eâ cuſtodiendâ, & morte fugiendâ naturaliter omnis homo impenſiſſimè laboret; vana tamen & illa eſt, brevis ac fluxa.

Præ-

Prægnantissima id causſa est, ob quam minùs hujus vitæ dulcedine capi, aut decipi veriùs, hominem oportet; sed ambire potiùs vitam talem, cujus deliciæ ut veræ ac perfectæ, sic perennes & æternæ. Medium ejus assequendæ est Pietas, seu Dei Timor.

Hinc ergò *Salomon* præfatus de vitæ præsentis instabilitate, ad eam insectandam hortatur: sicque indicat, quorsum tota illius de Vanitate hujus mundi & rerum mundanarum dissertatio, quam libello isto descripsit, directa sit; nempe, ut præsentibus posthabitis, sincero pietatis studio, ad meliorem ac æternam vitam contendamus.

Porrò isthæc ad Timorem Dei exhortatio bimembris est: Indicat enim

I. *Primò quid fugiendum.*

II. *Deinquid faciendum.*

PRIUS.

Illud quidem sermone partim *Ironico*,
partim *Proprio*.
Utrique adjunguntur causſæ suasoriæ.

I.

Primum Interdicti genus est ℣.1. *Lætare juvenis in juventâ tuâ, & exhilaret te animus, &c.* quo per Concessionem Ironicam, jubere videtur juvenes, ut carnis concupiscentias, indulgendo voluptatibus pro libitu, expleant; nec tamen interea patiantur è memoriâ elabi judicium extremum, quo omnium reddenda ratio, & prout quisque se gesserit in corpore isto, retributio auferenda. Atqui hæc consideratio abstinere potiùs jubebit juvenes à dissoluto & voluptuoso vitæ genere, ne iratum sibi faciant judicem, & pœnas æternas sibi attrahant: Est igitur Ironica Concessio ejusmodi, vehementissima dissuasio ejus quod indulgeri videtur. Cujusmodi plures in S. Scripturâ occurrunt: veluti cùm *Elias* Baalitas clamare jubet, quia Deus ipsorum surdastrum agat. 1. Reg. 18. Cùm *Micæ* Regem Achab in bellum abire jubet, quasi ex voto res esset successura. 1. Reg. 22. Cùm lætari jubetur filia *Edom*; cui tamen mox excidium à *Nebukadnezare* inferendum, denunciatur: Thren. 4. 21. Cùm *Christus* ait Discipulis, Dormite jam & requiescite, ut exponunt *Chrysost. Euthym. Theophyl.* Similes Sarcasmi, Esai. 14. 9. Ezech. 28. 12. cap. 31. 1. & 32. 19.

Unde minus probari videtur eorum expositio, qui serò *Salomonem* volunt juvenes hortari, ut florem ætatis non morosè sed genialiter transigant; sic tamen ut mediocritatis limites non excedant, quia excessus omnis Deo judici vehementer displiceat, atque ab eôdem puniri soleat.

Sed enim non opus est, ætatem juvenilem eò hortari, quò aliàs nimiùm propendet, & unde potiùs omnibus modis est retrahenda. Sed & verba ipsa excessum notare videntur, quem nemo dixerit *Salomonem* suasisse: quid enim est ambulare in vijs cordis, & intuitu oculorum; quàm laxatis habenis carnis delicijs ita indulgere, ut nihil intermittatur eorum, quæ ad improbas ejus cupiditates explendas faciunt, adeoque omnem luxuriam & petulantiam exercere? Adde, si *Salomonis* scopus fuisset hortari ad rem licitam, non comminationem gravissimam subjunxisset, quæ terreret, sed promissionem potiùs, quæ alliceret ad obsequium hortationis præstandam.

Tria porrò circa sarcasticam istam Dehortationem *Salomonis* attendenda.

1. *Ad quos illa directa.*
2. *Quæ illa, seu A quo dehortetur.*
3. *Quam ob caussam.*

A. Ad *juvenes & adolescentes* directa est. Equidem omni hominum ætati illa valet; quia nulla est, quæ non subinde carnis stimulos sentiat, ad immodicas & illicitas voluptates; huic tamen malo maximè ætas illa vernans & juvenilis obnoxia est. Cujus rei caussam naturalem deprompsit *Aristoteles* Ethic. libr. 8. cap. 6. & 2. Rhet. cap. 12. Calore corporis fervente, æstuque sanguinis vaporantis igneiscente, uti valida est viribus ita consilijs infirma ætas, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delicijs. In eundem sensum venustè *Horatius* de arte Poët.

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere pernix.

DOCTRINA.

Periculosissima omnium ætas Adolescentia ac Juventa: quâ facillimè omnem suam & præsentis & futuræ vitæ salutem & felicitatem perdere potest homo,

Præ-

Præsentis, inquam: Quot enim sunt eorum, qui disruptis severioris disciplinæ loris, ac contempris præfectorum monitis, juventutem non nisi otio, voluptatibus, sceleribus transegerunt, nihil addidicerunt, facultates quas habuerunt dilapidarunt: unde virilis & senilis ætas misera, contempta, inopiâ τῆς βιωτικῆς calamitosissima, utilis nemini, exosa Deo, posteritati injuria.

Sed & *futuræ*; cujus jacturam sibi plures juventutis vitijs & sceleribus, quibus sine pœnitentiâ & emendatione litarunt, præproperâ morte abrepti, vel in illis occallescentes, attraxerunt.

Usus 1. Magna ergò juventæ cura habenda parentibus, præceptoribus, nutricijs alijs; ut ad pietatem potiùs ad & bonas artes educentur, à vitijs & impuris voluptatibus arceantur, tempus aureum benè impendant, otia fugiant ac prava sodalitia, &c. Sapiunt illi juvenes, qui bonis Superiorum monitis eatenus obsequuntur, atque educationis suæ juveniles annos benè collocant: tales enim & in viros illustres evadunt; & omnimodam sibi parant in futurum felicitatem. Ex. *Mosis*. Actor. 7. 22. *Danielis* & sociorum Dan. 1. & 2. *Jobi*. cap. 29. 4. *Pauli*. Actor. 22. 3. *Timothei*. 2. Tim. 3. 15. *Sicut fructus non invenitur in arbore, ubi flos priùs non apparuerit; sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentiâ disciplinæ alicujus exercitatione non laboravit*. Cyprian. Huc spectat quod Prov. 20. 11. dicitur: *Ex studijs suis intelligitur puer, si munda & pura sint opera ejus*.

2. Sed & magno in precio esse debent, qui juventutis eatenus custodes agunt ac directores ad bonum. Benè *Cicero* libr. 1. de Divin. *Nullam munus Reipublicæ adferre majus, melioresve posse*.

3. Culpandi contrà parentes, & quicunque juventuti regendæ & educandæ præsunt, si negligentes, si perperam indulgentes & mites, officijs desint: magnâ solicitudine curantur infantes, ut corporis elegantiâ proficiant, ne labantur, aut nævum aliquem corporis contrahant: quantò verò studiosius enitendum, ut animi excolantur, néve vitia, ac turpes animi nævos attrahant.

Brevis ea cura & paucorum annorum: Quamprimum enim juvenilis ille æstus deferbuit, & ad judicij maturitatem conscendit homo, ea sit periculum cui inferior ista ætas est obnoxia. Perinde ut tenera arbuscula ac recèns plantata, primis annis anxiè curatur, rubustior facta negligitur, &c. Ita &c.

B. Dehortatur ab immodicâ & impurâ voluptatum carnalium licentiâ: quam geminâ phrasi exprimit, *1. ambulare in vijs cordis*, h.e. sequiductum & instinctum cordis, quod naturâ non nisi ad malum est proclive. Genes. 8. *2. ambulare secundùm aspectum oculorum*, h.e. persequi quicquid oculis suave videtur: Summa, concupiscentias carnis pro lubitu citraque ullam moderationem aut puodorem explere; sicque ad omnem petulantiam, libidinem, nequitiam sese proijcere: uti moris est quibusdam juvenibus, heluando, scortando, luxuriando, dejerando, dimicando, saltando, discurrendo, aleando, &c. omne tempus consumere, nullâ Dei, salutis, honestatis, ac conscientiæ habitâ ratione.

Unde patet non omnem lætitiam culpare *Salomonem*: etenim decoram & moderatam sæpiùs injunxit superiùs. Hom. 4. in Eccles. 3. Sed turpem & belluinum excessum, qui bestijs veriùs quàm hominibus ratione præditis conveniat. Unde Scriptura carnem vocat, qui sunt hujusmodi, Genes. 6. 3. In quæ verba bene *Chrysostomus* Hom. 22. in Genes. *De illis*, inquit, *dictum est, quod ipsi sunt carnes: nam licèt animam rationalem haberent potiorem sui partem, perinde tamen vivebant sine ratione, ac si solâ carne constarent.* D. *Petrus* 1. Epist. 2. 11. voluptatum carnis noxam paucis expressit, dum ait, *militare adversus animam.* In quem sensum pulcrè S. *Ambros.* lib. 4. in Lucam, *Quasi clavis suffigitur anima corporeis voluptatibus; & cùm semel adhæserit cupiditatibus, demersa terrenis, difficile in altum potest revolare.*

Cæterùm *oculorum* non absre mentionem facit; sunt illi primi, per quos desideria carnis in homine accenduntur: dum quæ oculi ut delectabilia concipiunt, mox caro appetit, ac ut illis potiatur peccatum committit. Hom. 8. in Eccles. 2.

C. Dehortationis porro *causa* attendenda. Ea sanè gravissima, petita à novissimi judicij consideratione: q.d. si nullus esset Judex, cui vitæ transactæ ratio reddenda esset, nulla pœna, quæ improbis voluptuarijs æternùm esset luenda; equidem liberè posset juvenilis ætas suis indulgere voluptatibus: At longè aliter se res habet.

Erit aliquando judicium ultimum & universale, quo omnium cupiditatum, dictorum, factorum reddenda erit ratio; tumque secundùm opera cuique rependetur. 2. Cor. 5. 10. Matth. 12. 36. ac voluptuosis æterna mors adjudicabitur. Jacob. 1. 15. Apoc. 22. 15.

Usus.

Usus. *Præsentis itaque temporis ita agenda est lætitia, ut nunquam amaritudo sequentis judicij recedat à memoriâ.* Gregor.

Insonet igitur auribus nostris semper vox illa terribilis, *Surgite mortui, & venite ad judicium*; sicuti *Hieronym.* Sanè memoria judicij, plurimùm à peccatis absterrebit. Primarium ergò, quod attendere voluit Juvenes Sapiens, est, ut voluptatem contemplentur non modò à fronte, quâ jucundissima apparet; sed & à tergo, quo amarissima, ac pernicioſissima, eoque modis omnibus fugienda, occurrit. Quâ de re in loco communi de *Fraude peccati* actum fusius.

HOMILIA II.

TEXTUS ψſ.2,3.

Amove ergò indignationem ab animo tuo, & averte malum à carne tuâ: nam iuventa, & ortus ipſe, est vanitas. Et recordare creatoris tui diebus iuventutis tuæ; tantisper dum non adveniunt dies ipſius mali, & pertingunt anni quibus dicas, non est mihi in istis delectatio.

II.

Quod Ironicè dissuasit, nunc idem locutione *propriâ* cavet *Salomon*, ψſ.2. *Amove indignationem ab animo tuo, & averte malum à carne tuâ, nam juventa & ortus ipſe vanitas.* Videtur pravos omnes affectus, quibus impotentes juvenes laxant habenas, comprehendere ac notare voluisse. Pars animi hominis ἄλογος duabus facultatibus constat, *Irascibili*, quâ quod ingratum est carni, odit & aversatur homo; & *Concupiscibili*, quâ

quod eidem ut bonum & jucundum arridet, amat, expetit & insectatur. In utroque affectuum genere juventa modum servare nescit, ac rationis sequi moderamen: idque ex ardore, quo impulsa præceps ruit, ac ignis instar perrumpit. Hinc acta ab irâ, simultates, jurgia, certamina, vindicias, cædes molitur: à malitiâ verò (seu libidine, hæc enim præcipua est carnis nequitia) ad gulam, luxum, amores impuros & scortationes prorui. Atqui hæc sunt illa ipsa vitia, quæ hominem æternâ vitâ privant, Gal. 6. 20. 21. 1. Cor. 6. 9. 10. Quare iram à corde, malitiam seu libidinem à carne auferendam esse monet Sapiens.

Ratio additur, Quia adolescentia & juventus vanitas sunt: quibus totam illam florentem hominis ætatem indigetat, quæ floris instar brevi flaccescit, defloresçit, marcescit, evanescit: Unde à Poëtis flos marcescens dicta juventus.

Sequitur ergò, benè esse tranſigendam, quia reduci non potest, cùm semel præterijt: tum verò serò nimis sæpè pœnitet hominem, juventutis florem ita consumpsisse, ut totâ reliquâ vitâ damnum ejus sentire cogatur. *Tibull.* libr. 1. Eleg. 4.

Vidi ego jam juvenem premeret cùm senior ætas,
Mœrentem, stultos præterijsse dies.

Indicatur simul non nisi apud stultam & inconsideratam istam ætatem in precio esse ista vitia, vid. iram impotentem ac libidinem; atque cum ipsâ perire; quia maturiore ætate ac judicio hominis succedente soleat ea aversari, execrari, hisque deditos contemnere: rectissimè ergò & sapienter etiam ex hâc ætate auferri. Magnæ laudis est in juventute senum habere mores, ac rectum rationis usum.

Sed & juventæ brevitas eò trahi potest, ut tantò majore cum patientiâ & constantiâ militent juvenes adversus carnis illecebras: quia ubi paucos annos superarint, non tantas amplius sensuri sint ab illis insidias; sed victores facti, totâ reliquâ vitâ victoriæ ejus fructum sint experturi, de quâ in Scipionis Africani tumulo, &c.

Maxima cunctarum victoria, victa voluptas.

DOCTRINA I.

Ira igitur è corde auferenda, tum adolescentiæ, tum omni ætati; Requiescit enim illa in sinu stulti: Videtur autem stultitiæ, ætati rerum experientiâ nondum subactæ, magis propria. (Vide Hom. 9. in Eccles. 7.)

DO-

DOCTRINA II.

Sed & malitia carnis, h.e. *libido, impuritas, scortatio, &c. ex illâ auferenda juvenibus.* Equidem apud Gentiles quosdam scortatio juvenum pro peccato non fuit habita: *Ci cede mihi* (ait Terent. in Adel.) *non est facinus adolescentem scortari.*

Sed enim aliud nobis dictat Verbum Dei, quod morum & vitæ regula, &c. Deut. 22. 28. & 23. 17. Actor. 15. 20. 1. Thess. 4. 3. Coloss. 3. 5. Eph. 5. 3. Hebr. 13. 4.

DOCTRINA III.

Cùm vanitas sit adolescentia, eidemque adhærentes nævi, infirmitates, & vitia: *præter naturam agere videntur, qui bis pueri senes, & authoritatem habent senum, vitia puerorum, nec puerorum tantùm, sed infantium.* Seneca Epist. 4. *puericentum annorum, &c.* Esai. 65. 20.

POSTERIUS.

Hucusque ab Impietate καὶ ἄφρων dehortatus est *Salomon*: Nunc καὶ Sion ad Timorem Dei hortatur. Circa istam Hortationem tria videnda.

1. *Hortatio ipsa, Quid præcipiat.*
2. *Ejus* αἰτιολογία.
3. *Determinatio temporis, quo illa exequenda.*

I.

Memento Creatoris tui.

Creator Deus Opt. Max. Conditor universi, sicque etiam hominis: Hujus jubet meminisse; non levi reminiscentiâ quę mox elabatur animo, nullumque post se effectum relinquat: sed quæ trudat ipsum, ad Deum Creatorem suum agnoscendum, venerandum, amandum, timendum, colendum, totamq; vitam ad ejus nutum & Legem promptâ obedientiâ, fiduciâ certâ, gratitudine verâ, conformandum: Perinde igitur est ac si diceret, Memento Creatoris tui, ut eum timeas, ei obsequaris, &c.

DOCTRINA.

Caussa Impietatis hominum est oblivio Dei, quòd Dei nunquam

meminerint, sed brutorum instar in mundo vagentur: Hinc atheismus. Deut. 32. 18. Hos. 13. 6. Confer Psalm. 78. 11, 12. & 106. 7. 13. 21.

Usus. Caveamus ab oblivione Dei, Deut. 8. 11. ejus semper meminerimus *propietatum*, quòd omnipotens, omniscius, sanctus, &c. beneficia item & judicia divina semper habeamus in recenti memoriâ; & eum in finem S. Scripturam scrutemur diligenter, Sacramentis utamur, ceu memorialibus, Psalm. 111. 4.

II.

Αἰτιολογία est in voce *Creatoris*, quæ maximè est hîc emphatica: Eâ enim indigetatur

A. tum *æquitas*
B. tum *necessitas*
} Pietatis erga ipsum.

A. *Æquitas* quidem ratione Beneficentiæ, quæ à Creatore manat in Creaturam, quippe à quo habet & Esse & Conservationem in Esse: quo deferente Creaturam suam, ipsa in nihilum redigeretur, quod erat antè: sicuti igni remoto calor omnis evanescit. Quòd si igitur homo Creatura est Dei, & talis manet ejus beneficio, æquissimum est, ut Creatoris sui meminerit, quippe cujus est, quantus quantus est, non sui ipsius, nedum alterius creaturæ; adeoque totum se Creatori suo dedat, ipsum amet, honoret, fidat, timeat, &c. Hanc rationem urget *Mose*, Deut. 32. 6, 18.

DOCTRINA.

Beneficentia Dei erga nos, quæ non tantùm in Creatione, Conservatione que hominis relucet; sed & in ejus Redemptione ac Sanctificatione, &c. *nos ad timorem & cultum* Dei, omninò pellicere debet. Mal. 1. 6.

B. Sed & *Necessitatis* est; ratione Dominij & potestatis judicatriciis in Creaturas. Sic enim Creator est, ut simul sit Judex, & quidem omniscius, cor hominis penetrans, utpote quod fecit; omnia videns, audiens, quia *plantator oculi, auris*, &c. Psal. 94. 9, 10, 11. & 139. 2. 3.

HO-

HOMILIA III.

TEXTUS vſ.3.b.4.

Et recordare creatoris tui diebus iuventutis tuæ; tantiſper dum non adveniunt dies ipſius mali, & pertingunt anni quibus dicas, non eſt mihi in iſtis delectatio: Tantiſper dum non obtenebreſcit ſol, & lux, lunaq́, ac ſtellæ; neque recurrunt denſæ nubes poſt pluviam.

III.

SEquitur determinatio *temporis*, quo reſipiſcentia ſtudiumque pietatis exequendum ſuadet Sapiens. Nempe ut fiat maturè, in juventute, antequam vel ſenecta ingruat, vel mors ipſa.

Hoc 1. *In genere primò inculcatur.*
2. *Subnectitur dein ſpecialior ſenectæ & mortis deſcriptio.*

1. Primò *generatim*, inſtitutâ juventæ & ſenectæ oppoſitione; non in hâc demum, ſed jam in illâ reſipiſcendum: ergò nec in hanc rejiciendam timoris Dei curam. Jam quia juventa certum non habet initium, ſed quamprimùm rationis uſus apparet, incipit; nihil prius ab homine cogitandum & agendum eſſe innuit, quàm ſtudere pietati; adeoque non eandem eſſe pietatis rationem, quæ ſit aliarum actionum, aut operum humanorum, ut moram aut dilationem patiatur; vel commodam occaſionem, maturam ætatem, juſtum tempus requirat: ſed omni tempore, ætate, ſtatu ac conditione exercendam; vitium eſſe ſi un-

quam negligatur: præsentis esse temporis, non præteriti ut remittatur, nec futuri ut differatur.

Generali periphrasi senectutem describens, nominat *dies malos, & annos, de quibus dicas, non est mihi in eis beneplacitum.* Annis juventæ delectatur homo, quantum viribus valet, gaudiorum plenus, ad munia quæque idoneus. Senectus omnia contraria habet, mille morbis, tædijs, solicitudinibus, ærumnis subjecta. Ipsa sibi morbus, & quidem incurabilis. Portus malorum quidam est *Bion* apud Laërtium, Siculis gravior scopulis: *Nazianz.* in Carm. de morbo: immò Æthnâ, *Cicero* de senect. Unde hyems ætatum, & fæx vitæ dicta ab antiquis etiam Philos. Plura apud *Stobæum* p. 2. serm. 117. cui titulus est *Vituperium senectutis.*

Unde non absre senibus ipsis ea ætas displicet; quia quicquid juvenibus placuit, ac unde ceperant gaudium & voluptatem, nunc displicet, tædium ac dolorem creat. Senes plerunque deliri, anxij, morosi, fastidiosi, difficiles, irritabiles, suspicaces, intractabiles, oblivioni, sibi & alijs oneri.

Usus 1. Cur igitur tantoperò senectutem optamus? Benè *Augustin.* libr. de Catech. rud. *Cùm homines*, inquit, *sibi optant senectutem, non aliud optant nisi longam infirmitatem.*

2. Cur adeò dolemus, si qui morte præventi senilem ætatem non attigêre? Audiatur Nyssenus in funere Pulcheriæ Augustæ, dicens: *Sed forsitan angiste quòd ad senectutem non pervenit. Quid vero, dic mihi, pulcri cernis in senectute; an pulcrum prurire & fricare oculos? corrugari genas? & ex ore destuere dentes, & lingua balbutiem ingenerari? manibus subtremiscere? ad terram incurvari, titubare atque subè laudicare pedibus? ductibus innixi? desipere corde ac delirare, voce absurda & ineptâ pronunciare?*

DOCTRINA.

Maturè ergò *in infantia, pueritia, &c pietati studendum:* ad eam quippe nulla etiam minima ætas immatura. Hinc illud Legis, ut Parentes filijs suis mandata Dei inculcent. Deut. 6 7. 20. Psalm. 78. 4. B. Johannes ad filiolos sermonem suum direxit: 1. Joh. 2. 14. Ex. ill. *David*, Psal. 71. 5, 6. *Obadia*, 1. Reg. 18. 12. *Abia* filius Jeroboam, 1. Reg. 14. 13. *Josias*, 2. Chron. 34. 1. &c. *Timotheus*, 2. Tim. 1. 5. c. 3, 15. Prodigus in juventute resipuit.

QUÆST. An *minus senecta sit apta ad Deum colendum*, aut resipiscentiam agendam, quòd in eam differri istam vetat Salomon?

R. Resipiscentia neglecta in juventute ac rejecta in senectam, *difficillima* tum, *minus vera, Deoq; grata. Difficillima*, Ut enim quantò magis ætas hominis crescit, tantò plus vires decrescunt: Ita quò diutius homo differt pœnitentiam, tantò minus ad eam agendam videtur idoneus. Stultus esset, qui in juventute onus aliquod grave portare nollet, sed differre illud statueret in senectam, quasi facilius illud tum portaturus. Deinde resipiscentia *sera rarò vera*, 1. quia profluit è metu servili pœnæ & damnationis æternæ imminentis. 2. quia ea demum vera resipiscentia, cùm adhuc penes hominem est peccandi facultas: hac verò demptâ non jam homo deserit peccatum, sed peccatum hominem. Non potest dici à discursationibus abstinuisse, qui in vinculis jacet: Ita, &c. Syrac. c. 18. 22. Nec *Deo gratum* esse potest, si quis florem ætatis Satanæ, fæces Deo consecrare velit. Quanta enim quæso insania & ingratitudo Creatori, sospitatori tàm benigno, minus & deterius, hosti infensissimo melius adjudicare? qui possis tibi imaginari, gratam Deo esse posse pœnitentiam modicam adeò & pertenuem vix unius aut alterius diei, qui totam antè vitam Satanæ consecrasti, quam Deo dicare totam tenebaris. Agnum hoc Deo claudum & mutilum offerre. Mal. 1. 8.

Optimum præterea in senectute solatium juventus benè transacta. In juventute benè vivendum, ut in senectute benè moriamur.

USUS. Hinc ergò, quia senecta gravissima ac onerosa, obviandum malis & fastidiosis ejus diebus maturè in juventute, piè, sobriéque vivendo, ut tantò dein sint tolerabiliora ejus incommoda. *Nihil enim est hilari senectute jucundius.* Cassiodor. in Epist. quâdam.

2. Deveniendum nunc ad specialem senectæ descriptionem eamq; allegoricam, venustissimam, jucundissimam: Desumpta illa à conditione partium corporis humani, quales illæ comperiuntur in senibus, quoad suas vires & actiones; quas undequaque elanguescere, deficere, ac perire testatur.

v. 4. *Priusquam obtenebrescat Sol & lux, & revertantur ipsæ nubes, post ipsam pluviam.* Quidam generaliter hæc verba intelligunt, de omni senectutis miseriâ; eò quòd usitatum sit scripturæ, per obscurationem luminarium cœli, magnas calamitates signari: veluti. Joël 2. 1, 2. 10, 31. Matth. 24. 29. Sed videtur Salomon in istâ diatyposi senectutis, cri-

diri à præstantissimo sensu Visûs, qui solet in senibus deficere, ita quidem ut illis Sol, Luna, stellæ, lumen suum perdidisse quasi, aut obscurata videantur: non quòd ita sit, sed quia senibus oculi caligant, ac visus hebetatur, inde est, ut ipsa luminaria cœli tenebrescere ac caligare videantur. Atque eôdem reducitur, quod de Nubibus sequitur, quæ, licèt in aquas pluviosas resolutæ sunt, non tamen perpetuam relinquunt serenitatem, quia post ex earundem aquarum vaporibus nubes novæ ascendunt & revertuntur, quæ brevi rursum depluant: Ita senes tali visûs laborant imbecillitate, quasi nubeculis aut nebulis circumfusos haberent oculos, & quidem citra spem serenitatis constantis, seu visûs acutioris.

Pluvias istas ex oculis senum emanantes, unde nubes, seu visus nubilosus, alij lacrymas, alij catharros interpretantur: unde lippitudo & caligo oculorum. Utrisque illis senes sunt obnoxij: illis quidem ex judicij imbecillitate, quâ fit ut illacryment puerorum instar; his stomachi debilitate, qui ad concoctionem invalidus, cruditatibus cerebrum implet, quæ ejus frigiditate in catharros abeunt. Exempla quibus in senio caligarunt oculi: *Isaac*, Gen. 27. 1. *Jacob*, Gen. 48. 10. *Heli*, 1. Sam. 4. 15. *Tobiæ*, Tob. 5. Contrar. Mose. Deut. 34. 7. rarum & mirum.

Usus 1. Quibus idem accidit, recurrant primò ad omnium malorum originem, peccatum. *Plato* in Axiocho dicit: *Nisi quis vitam, velut alienum reddiderit, astans super caput Natura, tanquam fœnerator reposcit usuram, ab alio quidem visum, ab alio auditum*, persæpè utrumque, &c. Reddamus nos Deo vitam nostram, ne de nobis gravem adeò usuram exigat in senectâ: ac visum quidem lectioni Sacræ Scripturæ impendamus.

2. Qui visu laborant, solentur se æternâ luce, in quâ lucem videbunt.

SENSVS ALLEGORICVS.

Lux mentis *Ratio*: Et hæc in senibus languet, obscuratur, deficit: unde sæpè delirant, non verbis modò, sed & factis, turpia & indigna canis suis perpetrando. Unde cum Davide precari ipsis necesse ex Psalmo 71. ℣. 9.

Denique solemus malorum causas, quæ intus in nobis sunt, rebus alijs quæ extra nos sunt, deferre, cœcâ & ludicrâ deceptione & imaginatione: Peccata enim quæ commisimus, non pudet nos Fato, Satanæ, hominumque aliorum seductioni transcribere: cùm si fomes peccati non

esset

esset in nobis, nihil illa mali de nobis extunderent. Perinde ut senes tenebras & caliginem defectui luminarium, non oculis suis deferre æstimantur: Ita Scriptura, quæ in se lux est, nobis est obscura in multis, quia visûs spiritualis hebetudine laboramus.

HOMILIA IV.

TEXTUS ℣s.5,6,7.

Quo tempore commovebuntur custodes illi domûs, & pervertent sese valentes robore; & intermittent molitrices illæ quum mandent, & obtenebrescent illi qui spectant per specula: Occludenturq; valvæ foro, dejectâ sonorâ molitione: & surget ad vocem aviculæ, deprimenturq; omnia canora: Etiam à re altâ timebunt, & contritionibus in viâ; & efflorescentem amygdalum, & pinguefacientem se locustam, irritam faciet animus iste appetens: quum abit homo in locum seculi sui, circumituris in plateâ lugentibus.

PRogreditur ad descriptionem *externorum corporis membrorum*, in quibus robur hominis subsistit, ad eum tum conservandum tum protegendum: Sunt illa *Manus* & *brachia*: *Crura* & *pedes*, itemque *dentes*.

In die quâ commovebunt se custodes domus) Domus

ista haud alia nisi corpus humanum, in quâ hospitatur anima; & sic illud appellat Apost. 2. Cor. 5. 1. *Custodes* ejus sunt, qui illud ab interitu & morte tuentur: Id præstant cumprimis *manus & brachia*; tùm quia τὰ βιωτικὰ per laborem corpori procurant, ac eidem etiam cibum ingerunt; tùm quia pugnando injuriam & adversa quævis de corpore propellunt, & amovent. Sunt qui *Costas* intelligant, quibus interiora ventris viscera ambiuntur & custodiuntur; sed quia mox crurum meminit, aptius bracchia præmitti videntur. Commoventur autem isti Custodes, cùm ex senio vires amittunt, & quasi franguntur multo labore consumpti, ac sæpè morbis attriti: quin & continuo motu tremunt manus senibus multis.

Et incurvabunt se homines robusti) seu pervertent se aut distorquebuntur: Proprium id *crurum* & tibiarum, Cantic. 5. 15. Crura dicuntur columnæ. Unde communiter per viros robustos hæc intelligunt; quia cùm totam corporis molem portare & circumferre teneantur, robore cumprimis opus habent. Hi autem in senibus incurvantur ex infirmitate, dum sæpè nutant, vacillant, oneri ferendo vix amplius pares; unde & incurvi incedunt senes, corporis onere velut in terram vergente, ac baculorum adminiculis opus habent, quibus gradum promoveant.

Et cessabunt molitrices, quia diminuent) De *dentibus* ista capiunt, quia molarum se instar habent in comminuendo & atterendo cibo dum masticatur. Hinc *Molares* Latini vocant quosdam dentes. Accidit autem senibus, ut sensim illis dentes effluant, eoque edentuli reddantur; aut qui manserunt putres sint ac carioſi, eoque ad molendum inepti, quæ non minima est senectutis incommoditas, dum juxta Juvenalem

Frangendus misero gingivâ panis inermi est.

Sed & eatenus cessant molitores in senibus, quòd cibi eos capit fastidium, unde otiosi illis, si quos adhuc habent dentes.

Et obtenebrescent videntes per fenestras) De oculis rursum: Fenestræ enim sunt foramina & concavitates capitis illæ, quibus oculi insunt, & è quibus velut è speculâ altâ prospiciunt. Sed & ipsi oculi fenestras repræsentant, propter tunicarum & humorum pelluciditatem, è quibus constant. Ista verò in senibus obtenebrescunt & caligant, ideò quia crassescunt, atque inde nigrescunt & obscurantur. De his suprà.

v.6. Et claudentur ostia extrinsecus, dum humiliabitur vox vel sonitus molæ. Optimè *Chald. Auferetur*, inquit, *à te appetitus cibi*, quam inappetentiam sequitur manducationis intermissio, quam manducationem rursum hîc molitioni comparat: Jam ut in molendino, sonus exilis auditur, si minus benè ac tardè illud molat: gravior verò strepitus est si benè molit: Talis audiri solet strepitus molarium dentium, qui cibos deterunt & masticant: is verò valdè exilis est & remissus in senibus, qui parum aut nihil, aut tardè comedunt; & quia sunt edentuli, dentibus inter edendum strepitum nullum edunt.

Platea igitur faciem hominis designat; quia ut platea publicè patet omnibus, sic facies hominis nullo vestitûs genere, uti reliqua corporis membra, est contecta. *Ostia* sunt os cum labijs; per illud enim ingreditur cibus, egreditur sermo, juxta illud Christi Matth.15.18. Hæc ostia velut clausa sunt in senibus; quia ex fastidio, & stomachi imbecillitate, parcè cibum admittunt, unde hoc fine rarò ipsis ostia labiorum aperiuntur, sed clausa manent.

Sunt item senes morosi, taciturni, meditabundi, paucorum verborum: & hoc igitur respectu ipsis ostia labiorum clauduntur; præsertim ubi catarhi & pituita destillat, unde raucedines, tusses, respiratio gravis, quæ senes comitantur ad mortem usque: unde fit ut vox molæ humilietur, h.e. concidat vox oris, ac raucus sit & exilis sermo ejus.

Summa. Vel ad cibum vel sermonem ista referuntur; atque utriusque tædium significatur in senibus, tum ex defectu & infirmitate organorum, quibus & manducatio & formocinatio est efficienda: tum quia utriusque cupiditas in ipsis elanguit. Das Maul fallt jhnen zu/ sie mögen weder essen noch reden/ können auch nicht mehr wol.

Et consurget ad vocem volucris.) Communiter ista de somni difficultate interpretantur, quæ imbecillitatem & cruditatem stomachi in senibus sequitur; adeò ut ad levem strepitum, vel cantum aviculæ expergiscantur, ac repetere somnum vix possint.

Et humiliabuntur omnes filiæ cantici.) Notatur alius senectutis defectus, sc. auditûs: Filiæ cantici vel carminis, sunt vel aures, quæ repiciendo sonos & cantiones, aures velut efficere videntur: Nihil enim organa sensuum esse videntur, nisi mota ab objectis ad sentiendũ; sic ergò aures, velut carminum ceu parentum, sunt filiæ: vel instrumenta can-

tionis & Musicæ; eaquetum naturalia, uti sunt arteriæ vocales, pulmo, guttur, labia; tum artificialia omnis generis: ac hæc quidem obsurdescere senibus videntur, non per se, sed quia illis ita videtur ob auditûs imbecillitatem; sicuti de visu quoque dictum est; ac de hoc defectu *Barzillai* senex legitur conquestus, 2. Sam. 19. 35. Illa verò naturalia sc. cantûs instrumenta, itidem humiliantur seu concidunt ex senij debilitate, ut minus apti sint senes ad canendum, nec etiam cantu delectentur, sed humilientur ipsis filiæ cantici, h.e. cantatrices contemnant, uti exponit *Munsterus*

℣. 7. *Etiam in re altâ timebunt, & terrores sunt in via.* Hæc de incessu & gressu senum dicuntur; qui non modò verentur loca alta atque montosa, scalas, conscendere præ vertigine, ac poplitum lassitudine & infirmitate; sed & in planâ viâ sunt meticulosi, cavetes ne impingant & cadant; unde lenti & cæspitantes incedere solent, atque accuratè vias observare.

Et florebit amygdalus.) Canitiem albam capitis & barbæ in senibus designat; quam confert florenti amygdalo appositè:

1. Propter *colorem*, qui utrinque in flore amygd. & in capillis senum est candidus.

2. Propter *tempus*, quia amygdalus repentè, vere ineunte prima fermè inter arbores floret: Ita canities derepentè quosdam ac citò invadit. Ut ciconias nemo advenire sentit, sed advenisse; nemo discedere, sed discessisse, quòd noctu clanculumque faciant utrumque: Ita juventutem nemo intelligit discedere, sed discessisse, & senectutem non sentimus advenire, sed advenisse. *Plin.* libr. 10. cap. 25.

3. Flos nuncius veris, sic cani senectæ.

4. Flos prodromus fructuum, sic canities mortis, quæ senectæ consequens fructus. Cani sunt flores mortis, Todtenblust.

5. Ut enim flos citò marcescit & decidit, ita in quibus flores canorum apparent, vicini sunt foveæ sepulcri.

6. Ut flores aspectu jucundi arborem decorant: sic cani sunt decus senectæ & corona. Prov. 16. 31.

Et oneri erit, seu gravabitur locusta) Variè istud quoque exponitur. Quidam ad *macilentiam* senum referunt, quâ figuram exprimunt locustæ, dum ossa scapularum & coxarum prominent, ac spina dorsi incurva

curva apparet, quasi sub onere quodam inclinata. Alij ad eorundem *debilitatem*, quæ tanta sit ut minimæ rei ferendæ, qualis est locusta sunt inidonei.

Ego ex consideratione præced. & seq. ad *decessum agilitatis & gaudij* refero. Locusta animalculum est leve, agile, saliens in pratis; talis plerusque homo in juventute; sed in senectute aliter habet, sibi ipsi tum est oneri, seu ex corporis gravitate, qualis in quibusdam senibus conspicitur, præsertim qui ex malâ dispositione intumuêre; seu infirmitate; unde tantum abest ut saliant, ut vix corpus loco movere possint sine difficultate, quia seipso ceu onere quopiam gravatur.

Et dissipabitur concupiscentia.) Proprius hic est sermo ex antecedente resultans; Jacet tum omne gaudium ac voluptas; acquarum rerum concupiscentia, prius cùm vegetâ essent ætate, hominem oblectabat, nunc maximè dissipata est; succedente rerum omnium tædio, mœrore, tristitiâ, &c.

Hoc tamen non tam inter ærumnas & incommoda senectutis, quàm ejus laudes & commoda referendum esse videtur; quòd sc. in eâ sopiatur concupiscentia, & stimuli carnis dissipentur. Unde *Cicero* de Senect. *O præclarum munus ætatis: siquidem id aufert à nobis, quod est in adolescentiâ vitiosissimum, nempe voluptas.*

Quia transit homo ad domum seculi sui, & circuibunt in plateâ plangentes.) Hæc de morte ipsâ dicuntur, hominisque ex hâc vitâ discessu, qui senectutem excipit; ac quem comitari solet lugentium amicorum, ac etiam præficarum in plateis circuitus & discursus, dum funus effertur.

Domus seculi seu æternitatis, primò *sepulcrum* dicitur, in quod corpus ejus reconditur; non quòd æternùm ibi sit remansurum, sed quòd diu, sc. usquead tempus resurrectionis universalis. Nomen enim *Holam* seculi non modò æternitatem sed quandoque etiam diuturnitatem temporis significat, ut Exod. 21. 6. & Eccles. 1. 8. *Secundo* verò statum mortuorum generatim designat, è quo sc. non datur reditus in hanc vitam; Is igitur hujus seculi æternus est, quia ad hanc nunquam reversurus est homo, qui semel excessit. *Denique* & receptacula animarum bina, quò illæ post exitum è corpore deveniunt, domus sunt æternitatis; pijs quidem cœlum, impijs infernus: quia quamcunque in domum devenerit anima in mor-

te, in eâ homo totus est permansurus, sine locorum permutatione: quod & *Abraham* epuloni in gehennâ indicavit, Luc.16. Unde convellitur Purgatorium, quod domus æternitatis dici non potest; si quidem ex illo fideles sufficienter purgati, transeant in cœlum, nec perpetuò ibi hæreant: Hoc igitur si sit, falsum dixerit *Salomon*, hominem quum moritur, migrare ad domum æternitatis.

Usus. Appellatio hæc opponatur ærumnosis & fragilibus hujus corporis ergastulis, quibus ad tempus modicum anima piorum detinetur; quòd mortui domicilium ex Deo habituri sint æternum in cœlis. 2.Cor.5.1.Hebr.13.14. Mundanorum verò stolida patescit hinc imaginatio, quòd basilicas suas sibi hîc æternas fingant. Psal.49.12. è quibus tamen brevi ejiciendi sunt, & ni respuerint in orcum æternum dejiciendi.

Quæritur, Cur senectutis descriptionem ænigmatis involvere ac exponere voluerit *Salomon*?

Resp. Ut honori senectutis consuleret: Nimis enim durum fuisset senectutis incommoda & ærumnas verbis proprijs describere, immò convitio simile: at reverenter senectus habenda.

Sed & evidentiam ac emphasin respexisse videtur; ut senectutis acerbitatem sermone commodo exaggeraret; tantoque viciniores se esse morti agnoscerent senes.

Denique verò hoc ipso sapientiæ suæ occultioris specimen edidit Rex sapientissimus.

DOCTRINA I.

Tot tantisque corporis præsertim ærumnis cùm sit obnoxia senectus, necessum fuerit, ut *ad illas sublevandas, maturè cùm vegetâ est ætate homo, sibi prospiciat de subsidijs congruentibus.*

Ut enim medicinæ parari solent, antequam morbi incurrant, ut cùm advenerint, mederi illis liceat: Ut arma & bellica subsidia, dum nullus adhuc est hostis, conquiruntur, &c. Ita subsidia senectæ sublevandæ conquirenda sunt priusquam illa ingruat. Sunt illa senectæ sublevamenta.

1. Quæ ad *corporis iustam curam* spectant. Hanc habebit in senectute, qui in juventute in labore suo & functione fuerit sedulus, circa acquisita frugalis, recondens aliquid ægræ senectæ. Quod notent prodigi & lurcones: quibus sanè durum est in senectute non modò desuevisse à delicijs cottidianis, sed caruisse sæpè etiam necessarijs.

2. Quæ

2. Quæ ad *animi solatium*, qui suas quoque non minùs ac corpus tum sentit ægritudines. Acquiritur illud, diligente ac assiduâ Verbi Dei, (ex quo solo vivum solatium hauritur) vestigatione, attentione, lectione, ruminatione. Dein piâ vitâ: hinc enim bona conscientia, quæ optimum est in senectute solatium.

Quum multa & magna sint onera senectæ, tum verò nullum majus esse videtur, quàm scelera & flagitia juventæ, quæ animam premunt, tolerare. Abstinendum igitur ab illis in juventute, ut eatenus parcatur senectuti.

DOCTRINA II.

Tota hominis vita ad finem usque verè militia. Job.7.& 14. Postquam enim in primis annis diu satis conflictatus est homo cum varijs hujus vitæ molestijs, ac sæpè quietam senectam habere cogitat, tum nova cum ærumnis ipsum militia adoritur; ut verè dixerit *Augustinus*: *Diu vivere, diu torqueri.* Ita vita hæc non nisi miseria, labor, vanitas.

Ut mercenario, qui totam diem labore consumpsit, noctu membra malè habent: Idem accidit senibus confectis laboribus, sub vesperam vitæ. Restat tandem ultimus mortis Agon.

DOCTRINA III.

Senectus tamen, utut plurimis scateat incommodis, honestissima est & *veneranda* minimè verò contemnenda. Lev.19.32. 1.Tim.5.1. Senectus Dei benedictio, ut aliâs probatum. Natura ipsa docet senes venerandos, ut qui omnia nobis velut in manus tradiderunt. Unde & Gentes

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si Juvenis vetulo non assurrexerat. Juv.Sat.13.

DOCTRINA IV.

Usitatum fuit omnibus seculis *mortuos lugere.* Ac apud veteres quidem solebant præficæ, tibicines & Elegiaci, canere elegos & nænias ad tibiam, vel tubam, circa funus discurrendo cum manuum complosione, genarum pilorumque vellicatione, pectoris vestiumque laceratione. Vide Matth.9.23.

HO-

HOMILIA V.

TEXTUS ℣.8,9.

Tantisperdum non procul amovetur funis argenteus, & excurrit orbis aureus; & frangitur hydria ad scatebram, disrumpiturq; rota ad cisternam: Redeunte ipso pulvere in terram quemadmodum fuerat; spiritu autem redeunte ad Deum, qui dederat illū.

HUcusque senectutis descriptio: sequitur *Mortis*, quæ senectam excipit, uti dixerat, cujus intuitu maximè resipiscentiam maturandam esse Salomon innuit. Est illa partim allegoricis, partim proprijs verbis concepta.

℣.8. *Priusquam disrumpitur funis argenteus, & confringatur lenticula, seu urceus aureus, & conteratur hydria super fontem, & dissipetur rota super cisternam.* Jam ipsum mortis conflictum & agonem ænigmaticè iterum depingit, ante quem vult meminisse Creatoris: quod verba rumpendi, frangendi, conterendi, dissipandi satis indicant; nimirum de corporis humani destructione, eoque vitæ amissione sermonem esse. Assimilatur corpus humanum puteo, è quo salientes jugiter undæ certo instrumentorum apparatu exhauriuntur; qualia sunt rota, funis, hydria seu haustrum, urceus: atque hæc quandiu sunt integra ac incorrupta, aquam illis è fonte expromere licet; sin verò funis disruptus, urceus confractus, hydria contusa, rota dissipata, perijt puteus, ac sensim quoque aquæ siccantur ac dilabuntur, dum nullæ amplius hauriuntur. Ita corpus humanum suis membris ac visceribus internis constat, quibus salvis ac integris auram istam haurit homo, vitamque adeò ac spi-

ac ſpiritum vitalem in ſe continet: At læſo vel uno nedum pluribus è primarijs illis viſceribus à quibus vita hominis dependet, effluit anima, actumque eſt de homine ejuſque vitâ. Iſtam verò viſcerum corruptionem longa hominis ætas cauſatur; adeò ut quemadmodum inſtrumenta illa fontana longo uſu atteruntur, donec tandem protinus evadant inutilia ac diffringantur: ita quoque viſcera corporis humani longæ vitæ infirmentur, detereanturque, ut tandem vitæ hominis prorogandæ evadant inidonea. Der Krug gehet ſo lang zum Brunnen/biß er endlich bricht.

Quod verò putei inſtrumentum, quodque humani corporis viſcus appoſitè magis deſignet, variæ ac diſcrepantes ſunt interpretum ſententiæ; de quibus Medici aut Anatomici diſpiciant. Satis ſit nos generalem & maximè convenientem hujus loci ſenſum aſſecutos; à quo non abludit B. *Hieronymi* interpretatio, quam & *Mercerus* ſequitur & alij. Nec eſt quod quemquam moretur, quod de fune *argenteo*, & urceo *aureo Salomon* loquitur, cujusmodi ad hauriendas aquas adhiberi ſolent: Ita enim prodit ſe loqui ænigmaticè; ac de nobiliſſimo precioſiſſimoque inſtrumentorum genere loqui, quibus nim. non aqua fontana, ſed aura vitalis hauritur, absque quâ mox homo deficeret, ac vitam ſuam argento auróve nobiliorem amitteret.

Usus. Magnum ad vitam prorogandam adjumentum *Temperantia.*

Sicuti enim diu fontana utenſilia durant, ſi mundè ac ſubtiliter tractentur; facilè contrà diſrumpuntur ac confringuntur, ſi impetuosè ac violenter jactentur ac illidantur: Ita niſi aliquis defectus morboſus ex nativitate aut hæreditariò hominem occuparit, ſi ſobrietatis fuerit ſtudioſus, diu ſarta tectaque retinet ſui corporis membra, eoq; & vitam. Sin gulæ & luxui fuerit deditus, lædit viſcera interiora, ſicque violentam ſibiipſi mortem infert.

Intemperantia plurimorum morborum mater. Unde ebrioſi è regno Dei excluduntur: tum propter donorum Dei turpem abuſum; tum quia ſui-ipſorum ſunt homicidæ; tum denique quia ad munia pietatis exercenda & functionis, hominem reddunt ineptum, ob quæ tamen à Deo conditus eſt.

DOCTRINA.

Studendum reſipiſcentiæ & pietati ante mortem, in hâc vitâ; quia

post eam nullum ad illam tempus supereſt: Ideò cumprimis ante fatalem hominis ex hâc vitâ exceſſum Creatoris meminiſſe, conſultum judicavit Sapiens; quia nim. ut dubia ac difficilis ſit in ſenectute aut agone; ſic fruſtranea ac nulla ſit poſt mortem ſuſcepta pœnitentia.

Neque enim tum vel remiſſioni vel expiationi peccatorum locus erit, ſed judicij tempus. Hebr. 9. 27. *Nunc verò tempus eſt operationis, futurum verò retributionis.* Gregor. Naz. in orat. quadam.

Quò quidem Chriſtus reſpexiſſe videtur in parabolâ Epulonis, Luc. 16. 24, 25. Nullam enim gratiam aſſequi potuit is, ne minima quidem petens, ac ne guttam quidem aquæ.

Similiterque in parabolâ de 10. Virginibus, (*Fatuæ virgines ideò, quòd tunc requirant oleum, cùm non ſit negotiandi tempus*: ait Theophil. in Mat. 23.) Quinque enim fatuæ, clauſo ſemel oſtio, incaſſum intromitti petierunt: Ita poſt mortem fruſtra cœli januam ſolicitat, qui cùm in vitâ apertam habuiſſet, per fidem & pœnitentiam introire neglexit.

Nunc ſtat Chriſtus ante oſtium cordis noſtri, ac pulſat; nunc qui aperire ei detrectat dum vivit, poſt mortem nunquam habiturus erit illum propitium. Apoc. 3. 20. Fruſtra tum eum advocabit, quia non niſi ut Judex comparebit.

Si quis eorum qui primò ad nuptias vocati comparere recuſarunt, poſtmodum pœnitentiâ ductus acceſſiſſet, non ſanè fuiſſet admiſſus. Luc. 14. 24. Ita qui nunc in hâc vitâ cùm vocantur, non parent, nunquam amplius admittentur ad cœleſtes nuptias.

Confertur uſitatè vita hæc *Viæ*, Matth. 5. 25. *ſtadio*, Hebr. 12. 1. *curriculo*, 1. Cor. 9. 24. 2. Tim. 4. 8. quorum omnium meta finis eſt mors: ſicut ergò qui metam attigit, ire & currere ceſſat; ac ſi benè certarit, quietem & bravium ab agonotheta expectat: Ita qui cœleſte bravium ambit, currere & certare debet, dum eſt in ſtadio, &c.

Nec aliter ſenſit Antiquitas. *Clemens* Conſtit. libr. 8. c. 42. *Cui vivo offenſus erat Deus, certè eidem mortuo eſt iratus.* *Cyprian* Tractat. 1. contra Demetr. *Quando iſtinc exceſſum eſt, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus.* Et in Serm. de mortalitate. *Qualem te invenerit Deus cùm vocat, talem pariter & judicat.* *Ambroſ.* de bono mortis, c. 2. *Qui hic non acceperit remiſſionem peccatorum, ibi non accipiet.* *Auguſtin.* Epiſt. 80. ad Heſych. *In quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies, quoniam qualis in iſto die quisque moritur, talis in die illo judicabitur.*

Usus.

Usus. Quis jam non videt, quàm sit necessarium maturare pœnitentiam, ac pietatis exercitationem, cùm incerta sit mors, post quam tamen non amplius liceat pœnitere? Unde deploranda meritò plurimorum hominum securitas, qui nullâ nec mortis incertæ, nec salutis habitâ ratione, in peccatis citra pœnitentiam pergunt. Quos olim pœnitebit non pœnituisse, cùm pœnitere non dabitur. Exitialis verò *Purgatorij* hinc error apparet, in quo post hanc vitam docent plenariè hominem satisfacere pro peccatis suis patiendo, sicque eorundem remissionem assequi: cui errori suffragantur alij, Missæ sc. & preces pro defunctis, &c. quæ omnia ut securitatem alunt in vivis, ita moribundis horrorem ac desperationem excitant, mortuis exitium accersunt.

Nos in luce ambulemus, dum eam habemus, sequendo lucem mundi Christum: *Venit enim nox in quâ nemo potest operari.* Joh. 9. Ita verè securi erimus in vitâ, ovantes in morte, beati post mortem. Adeoque mortis meditatio jugis, nos ad vitæ emendationem ducat. Psalm. 90. 12. *Gregor.* libr. 12. Moral. *Qui considerat qualis erit in morte, semper pavidus est in operatione, atque timidè in oculis sui conditoris vivit, nil quod transeat, appetit, cunctis vitæ præsentis desiderijs contradicit, & penè mortuum se considerat, quia moriturum se minimè ignorat: perfecta enim vita est mortis meditatio: quam dum justi solicitè peragunt, culparum laqueos levadunt.*

Nunc proprijs verbis Mortis descriptionem tradit, v. 9. *Et revertatur pulvis in terram, quemadmodum erat, & Spiritus revertatur ad Deum, qui dedit illum.* Tria docet hisce *Salomon*:

1. *Moriendum certò omnibus hominibus.*
2. *Quid mors.*
3. *Quis hominis post mortem status.*

1.

Sine exceptione de *cunctis hominibus* enunciat ista Sapiens, experientiâ idipsum attestante, contradicente nemine, suffragante Scripturâ. (Vid. Hom. 3. in Eccles. 1.)

2.

Mors est avulsio animæ à corpore, separatio, recessus, ut ait Aristot. lib. de Morte. Istâ verò separatione utrumque redit ad suam *originem*: *Pulvis* quidem, h. e. corpus humanum, origetenus è pulvere terræ à Deo fa-

brefactum, in terram redit, cui mandatur, quâ computrescit, ac in pulverem ac terram revertitur, è quâ desumptum est, juxta illud Genes. 2.7. c. 3.19. *Spiritus* verò, h.e. anima rationalis ad Deum revertitur, à quo ut primo homini immediatè inspirata, sic & omnium aliorum hominum à Deo creata, corporique indita. Redit autem ad Deum ut Conditorem ejus ac Judicem.

Separatio igitur ista animæ à corpore, quæ fit in morte, non est utriusque abolitio ac interitus: nec ejus cum *Epicureis* sententiæ fuit *Salomon*, quasi homine mortuo totus is cum corpore & anima in nihilum abiret; prout quidam ipsum statuisse ex cap. 3. 19. delirarunt, impietati suæ quærentes patrocinium: Apertum enim est ex istis *Salomonis* verbis, ita ab invicem divelli animam à corpore, ut tamen utraque superstint.

Corpus enim non omninò perit, sed in terram redit, rursum suo tempore ex illâ suscitandum. Job. 19.25,26.

Anima verò rationalis, etiam putrefacto corpore, manet superstes, quippe naturâ suâ immortalis: quam animæ immortalitatem clarissimè hic adstruxit *Salomon*, *De origine corporis & animæ*. Vide suprà cap. 3. Homil. 12.

DOCTRINA.

Monemur simul *de utriusque origine*.

a. Corpus è terrâ domicilium terrestre. 2. Cor. 5.1. unde homo terra dictus, Syr. 40.1. & terrenus, 1. Cor. 15.47. Terra elementum infimum, impurissimum, quod pedibus calcamus.

Usus 1. Quæ originis corporis nostri consideratio, nos ad humilitatem flectere debet, cum *Abrahamo*, Genes. 18.27. *Quid superbiat terra & cinis?* Syr. 10.9. Nemo facilè argillæ massam inaurarit: Quæ igitur dementia tantum impendere curæ & laboris in exornando corpore?

Aspectus terræ, quam euntes continuò preminus, oculis semper contuemur, hujus nostræ nos moneat originis. Benè veteres: *Homo terra es, terram teris, terram geris, & in terram reverteris.*

Quàm se demittunt homines è fæce, dum inter nobiles aut generosæ prosapiæ homines degunt, memores generis sui! Idem certè omnibus convenit, cùm eadem sit omnium origo.

2. Ne confidamus in homine, qui pulvis & cinis. Ps. 146.3,4.

3. Sed

3. Sed nec ab eo metuamus. Esai.51.12. Quid enim homini vel prosit vel obsit pulviſculus?

b. Anima non è traduce, ſed à Deo. Text. *Qui dedit eam.* Si enim id à Deo, quod ad ipſum redit, Anima certè quam redire dicit, à Deo fuerit. Unde Pater Spirituum dictus, Hebr.12.9. Ac in hoc ingens illud inter brutorum & hominis animam diſcrimen: Quia enim immortalis, imaginis Dei vehiculum, &c. ideò nobiliorem habeat originem neceſſe eſt, Solius Dei eſt monetam ſuæ imaginis cudere.

3.

Status corporis & animæ quoque indigitatur.

a. *Corpus* quod attinet, planum jam eſt, quo illud ſit ſtatu: *Vertitur nimirùm in pulverem, redit in terram*, Pſal.104.29. ac in eâ velut cubili latet uſque ad ultimum diem, Eſai.57.2. Putret interim, ac fœtidum redditur vermium eſca. *Auguſt.* libr.2. Soliloq. *Ego ſum cadaver putridum, eſca vermium, & vas fœtidum: quid futurus ſum? vas ſterquilinij, cauſa putredinis, plenus fœtore & horrore.* Sæpiculè ea faſſus Job.cap.7.13.17.19.30.

Regibus non alia melióri ve conditio; ſicuti de Rege Babyl. dicitur, Eſai.14. Valet heic illud, Quid diſcernit te, ô homo! *Chryſoſt.* Hom.77. in Mat. *Proficiſcamur ad ſepulcra, oſtende mihi patrem, oſtende uxorem tuam. Ubi eſt, qui purpurâ induebatur, qui vehiculo ferebatur, qui exercitus ducitabat, &c. Nihil videò niſi putrida oſſa, & vermes & araneam. Omnia illa pulvis, omnia fabula, omnia ſomnium, umbra, narratio, nuda imago.* Et *Ambroſ.* l.6. Hex. *Nulla hic eſt inter cadavera mortuorum diſtinctio, niſi fortè quia graviùs fœtent divitum corpora luxuriâ deſtenta.*

b. *Anima* ad Deum revertitur, ut Judicem utcunque, mánens apud eum in cœlis, ſi piè ſe geſſerit in corpore; ſin impiè, inferno mandatur. Duo hæc animarum receptacula, nec plurium meminit Scriptura.

Usus. Adverſus *μεθεμψυχώσιν Platonis*, redire mortuos in hanc vitam ſub aliâ perſonâ. Itemque *Pythagoreorum μετεμψύχωσιν*; quæ opinio & apud Herodem Tetrarcham & Judæos locum videtur habuiſſe. Matth.14.1. cap.16.1. Nugis iſtis antè dicam ſcripſit *Salomon*, quum ad domum æternitatis migrare hominem dixit.

Quibus annumerandi, qui animas hinc inde aberrare ac apparere hominibus ſomniant. Non poteſt anima à corpore ſeparata in his regionibus errare: juſtorum enim animæ in manu Dei ſunt, peccatorum

verò continuò abducuntur, quod à *Lazaro* & *Divite* planum efficitur, ati D. *Chryſoſt.* Homil. 29. in Matth. 8.

Quæ apparent ſpectra, Satanæ ſunt terricula, non defunctorum animæ. Nam qui è mundo hoc emigrárunt, non amplius in eundem redeunt, uti agnovit *David*, 2. Sam. 12. 23. & *Job* c. 7. 9. 10.

Maximè verò proprieque de animabus Sanctorum dicitur, quòd poſt exceſſum è corpore, ad Deum deveniant, in domum patris, cœleſtem paradiſum, cœleſte domicilium, 2. Cor. 5. 1. ubi nulla eos tangat anguſtia, Sap. 3. 1.

HOMILIA VI.

TEXTUS ℣ſ. 10.

Vanitas vaniſſima, inquit Eccleſiaſtes: omnia hæc ſunt vanitas.

CONCLUSIO LIBRI.

SEquitur Concluſio, continens Epitomen libelli ac antè dictorum; conſtantem duplici gnomâ, quorum poſterior ex priore Enthymematicè conſequitur.

1. *Prior* eſt *repetitio* dicti, quo librum exorſus eſt, *de rerum mundanarum vanitate:* cum annexâ *Confirmatione*, ab authoritate Scriptoris petitâ.
2. *Poſterior* eſt *Admonitio ad Timorem Dei* & ſtudium pietatis, confirmata extremi judicij mentione.

DE PRIORE.

Verſ. 10. Vanitas, &c.

Ita libellum exorſus eſt, ſibique id Thematis inſtar toto reliquo diſcurſu

discursu tractandum proposuerat; quod ipsum nunc repetit: q. d. Ex dictis abundè liquet, quàm verum sit, quod ab initio edixi, *Vanitas vanitatum*, &c. *Cùm enim* (inquit D. *Hieronym.*) *cunctus mortalium labor, de quo in toto volumine disputatum est, huc perveniat, ut revertatur pulvis in terram suam, & anima illuc redeat unde sumpta est, magnæ vanitatis est in hoc seculo laborare, & nihil profutura conquirere*: Adde, immò obfutura, & exitium illatura potiùs, si nimio terrestrium amore homo ductus, amare & timere Deum neglexerit.

Felicitas in rebus humanis quæsita, veluti gloriâ & honore, opibus ac divitijs, delicijs ac voluptatibus, triplici nomine vana:

1. *Propter Falsitatem.*
2. *Propter Imperfectionem.*
3. *Propter Inconstantiam.*

I.

Neque enim ea quæ ex terrenis illis haberi videtur voluptas & felicitas, est *vera, sincera, pura*; sed

a. Tum *fucata*, seu fuco & fallaciâ plena, utpote quæ exteriùs insignem speciem & pompam præ se ferant, quum interius sint vacua & inania. Unde vacui cerebro & vani, qui illis decipiuntur. Sicque adeò similia *pomis Sodomæ* nascentibus, de quibus *Solinus* cap. 44. Ad speciem fulgent, mandi tamen non possunt: nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohiber, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem.

b. Tum multis *molestijs, doloribus, & amaritudinibus permixtas*: Quid enim non ad consequendum honores & opes molestiarum & periculorum subeundum est homini? quantò verò plus ad acquisita tuenda? & quid tandem? Extrema gaudij luctus occupat; dum vel adversâ fortunâ tonante dilabuntur, diripiuntur; vel in morte deserenda sunt. Ut medium risûs dolor occupat, teste *Salomone*: Ita quicquid gaudij melliti materiam præbere videtur, plus aloës quàm mellis habet.

c. Tum *noxia* & exitialis, quisquis animum illis apposuerit, præteritis cœlestibus ac divinis. Sic enim carnales voluptates æternos cruciatus pariunt, ut Epulonis liquet exemplo, Luc. 16. mundani honores æternam ignominiam: terrenæ facultates, æternam pauperiem & miseriam, &c.

ria m,&c.Summa,Psalm.62.10. *Seneca* Epist.80. *Omnium istorum persona ta felicitas est. Contemnes illos si despoliaveris.* At quæ ex Deo est felicitas,vera,sincera,solida est, mel sine felle, vinum sine aquâ, voluptas sine periculo.

II.

Sed nec *perfecta* est;

Tum quia res illæ terrenæ nimis sunt viles ac exiguæ, quàm ut homini perfectam felicitatem præstare possint. *Amas aurum & argentum? scis quid ames? amas terram rubram & albam* (ait S. *Bernhard.*) *amas purpuram,byssum & margaritas? scis quid ames? amas excrementa piscium,concharum & vermium. Amas lautas mensas? scis quid ames? amas cadavera porcorum, vitulorum, anserum, perdicum,&c. Amas puellam? putidum scortum,vel saccum stercorum amas.* Adde, *Amas honores & dignitates? onera, labores,pericula amas.*

Tum quia animi humani desideria explere & satiare nequeunt: Quis enim avarus unquam sat pecuniarum, ambitiosus honorum, voluptuosus gaudiorum nactus est? Nunquam sanè: quin quantò plus horum sunt assecuti,tantò plus irritatus est ipsorum appetitus, ad plura ac majora desideranda, idque sine fine ac modo, hydropici in morem

Quò plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

S. *Hieronym.* in Hos. *Quæritur in ludo ludus, deest hortus in horto.* At quæ ex Deo est felicitas,perfectissima est,hominis cupiditatem explens, sistens; ut qui est omnia in omnibus. 1.Cor.15.28. *Augustin.* in Confess. libr.1.c.1. *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Tum quia non ad animam penetrant ac pervadunt, sed tantùm carnem, corpus ac sensus externos adficiunt; animam levissimè perstringunt,immò tandem lædunt,dum gravant,ac lædunt conscientiam.

III.

Denique *inconstantissima* est. Nihil enim incertum lubricum,fluxum ac caducum magis,rebus istis terrenis. Venaris opes, delicias,gloriam? venaris ventos, insequeris umbram, ædificas in arenâ. Etenim quotusquisque de summo dignitatis fastigio in extremam ignominiam, de divitijs amplissimis in extremum pauperiem, de voluptatibus exundanissimis

daniſſimis in extremam miſeriam turbatus eſt. Benè mundus iſte, aut terra ſphæricam figuram habet, quâ nulla volubilior, ad eorum quæ in terrâ ſunt inconſtantiam deſignandam.

Hinc Eſai.40.6,7. 1. Joh.2.17. *Mundus præterit*, &c. *Sim.* Ut ſumus quò altiùs aſcendit, latiusque diſſipatur, tantò citiùs evaneſcit: ſic res humanæ interitui propiores ſunt, quum omnium minimè videntur.

Usus. Attendendæ ergò Apoſtoli ſubmonitiones, 1. Cor.7.29,30. 1. Joh.2.15. 2. Cor.4.18.

HOMILIA VII.

TEXTUS ℣.11,12.

Quamobrem potiùs (cùm fuerit Eccleſiaſtes ſapiens, præterea docuerit ſcientiam populum, & attendens, ſcrutatusq; concinnaverit ſententias multas: Quæſiverit Eccleſiaſtes aſſequi verba delectabilia, & ſingula ſcripta rectè, verba fidelia.

NUper repetitum Libri *Thema* expendimus. Ejusdem nunc *Confirmatio* ſequitur, non quidem quod rem ipſam concernit, ſed dicentis authoritatem. Eſt igitur Occupatio. *Objecerit* enim quis, *Salomonem* quidem iſta dixiſſe de mundi vanitate, alijsque, an verò tutò dictis ejus fides adhiberi poſſit? fieri enim poſſe, ut minùs conſideratè, ac ex veritate talia dixerit.

Huic *Objectioni* reſpondet *Salomon* ipſe, in tertiâ perſonâ de ſe loquens, quod & *Johannes Evangeliſta* in more habuit; ſuisque dictis fidem conciliat aſſertione ſapientiæ, quâ præditus fuerit, ex ſingulari Dei dono. Sententia hucredit: Qui peculiari Dei illuminatione ſapientiſſimus fuit,

ac luculenta passim suæ sapientiæ documenta edidit, tum publicè populum docendo, tum etiam scriptis insignes parabolas, verba ac diverbia venustissima jucundissimaque etiamque verissima concinnando: ejus utique dicta ac scita fidem merentur. At talis fuit *Salomon.*

Et amplius) q.d. tantò magis fides adhibenda Concioni de Vanitate, quæ aliàs mundanis solet esse paradoxa, quibus sc. species hujus mundi oculos præstingit, ut solent colores lucidiores visum hebetare.

Quòd fuit Ecclesiastes sapiens) Vide Homil. 1. in cap. 1. adde quòd per experientiam propriam vanitatem mundi intellexit. cap. 2.

Præterea docuit scientiam populum, & auscultare vel advertere fecit) Dicuntur ista de publicis *Salomonis* Concionibus ad populum sapiùs ac multoties habitis, quibus eundem in omni sapientiæ genere informavit, idque magno populi applausu ac profectu; adeò ut libentissimè ac avidissimè ei auscultarint. (Vide Conc. 1. § Solenne, &c.)

Insuper verò studio habuit *Salomon*, accepto talento fœnerari, atque magis magisque sapientiâ proficere, eamque augere; dum continuis meditationibus ac vestigationibus, experientiâ rerum magistrâ adjutus, intentus fuit. Vide cap. 1. 16, 17. c. 2. 12. c. 7. 24. &c. c. 8. 16. &c. Ideò dicit porrò ℣. 12. *Et investigavit, &c. perquisivit Ecclesiastes, &c.)*

Denique parabolas illustres, proverbia, sententias, gnomas uti jucundas sic veras, easque complures concinnavit, ac scriptis publicis mandavit, de vanitate rerum, vitæ præceptis, timore & cultu Dei, quorum pars adhuc extat in ejus libris; quantum videlicet earum visum est Deo, in usum Ecclesiæ, Canoni sacro insertas asservare: quæ enim interciderunt, inter sacros libros nunquam fuerunt relata; alioquin & ipsa etiamnum extarent. Text. *Concinnavit parabolas multas, &c. verba quæ placerent, scripturam rectam, verba veritatis)* (Vide Homil. N. 8. in cap. 1. & Præfat.

HO-

HOMILIA VIII.

TEXTUS ꝟ.11.

Verba ſapientum ſimilia aculeis, & ſimilia clavis infixis, lectiſſima, tradita à paſtore eodem.)

AB *hypotheſi* ad *theſin* deflectit, ac Propoſitionem antè allatam generali gnomâ confirmat; oſtendit enim quo loco habenda ſint ſapientum verba, quantæ ſint utilitatis, quàm nobilis ipſorum origo. Dixerit enim profanus quiſpiam: Quid ad me ſapientes, ut eos audiam, illis aſſentiar, ac obſecundem! Immò, inquit Eccleſiaſtes, *Verba ſapientum ſunt tanquam ſtimuli)* Ut boves ſtimulis incitantur ad eundum, quando illis pungunturtur: Ita verba ſapientum, gnomæ, proverbia incitamentum ſunt ad currendum in ſtadio virtutis & pietatis: quia multiplicem hujus utilitatem ac neceſſitatem oſtendunt. *Et tanquam clavi infixi)* Ut clavis infixis altè, retinentur & colligantur, quæ aliàs dilaberentur ac diffluerent: Ita verba ac νουθεσίαι ſapientum, ubi ſemel in animum penetrarunt, eundem continent ac firmant in pietate, nec ſinunt ad improbitatem declinare aut prolabi.

At unde ſapientes iſti ſumpſerunt illa, quæ produnt dicta, proverbia, vitæ regulas, canones aſſequendæ veræ & æternæ felicitatis?

R. Non tam ipſi eorum ſunt authores ac inventores, quàm collectores & rapſodi, qui *ab uno paſtore data & accepta*, alijs communicant: Unde *Dominus collectionum* dicuntur: Tales *Moſe*, alijque Prophetæ, qui excepta à Deo collegerunt: ac tales maximè *Salomonis* tempore fuiſſe, qui audita & excepta ab ipſo in certos libellos collegerint, initio noſtri Commentarij dictum eſt.

Quæruur hîc, Quis unus ille paſtor? Qui *Salomonem* putant indigetari, eò quòd paſtor, h.e. Rex populi fuerit (nec enim inuſitatum Reges paſto-

res appellari in Scripturâ, Jer. 49.19.) nimis angustis limitibus includunt, temporibus sc. *Salomonis*, quod tamen ad omnium temporum sapientes accommodari potest; qui certè non omnes ab uno *Salomone* hauserunt, quæ sapienter enunciarunt, docuerunt, collegerunt. Rectiùs ergò alij de ἀρχιποιμένι Christo accipiunt, cujus Spiritu ducti loquuti sunt olim sancti Dei homines, 2. Petr. 1.21. Hinc ergò liquet, de cujusmodi Sapientibus sit cumprimis sermo: Illis nim. qui divinam ac cœlestem sapientiam docuerunt, atque ex dictamine Spiritûs Dei, ipsis à Christo pastore concessi, libris consignarunt, & Ecclesiæ commendarunt; adeoque de sacri Canonis seu Verbi Dei Scriptoribus. Unde non amplius de veritate & utilitate dubitandum, quam verba ipsorum in se contineant, cùm eatenus Deum ipsum habeant primarium authorem.

Didascaliæ de sacrâ Scripturâ, seu Verbo Dei.

1. *Sacra Scriptura veram ac divinam sapientiam continet ac pandit:* In eâ descripta sunt verè *Verba sapientum*. Hom. 1. in cap. 8. Ecclesiastæ.)

2. Verbum Dei *efficacissimum*, ad hominis animum excitandum, incitandumque ad pietatem, instar *stimuli*, &c. Nec tamen vis ista Verbo ipsi, quoad litteras, aut syllabas, aut sonum inhæret; sicuti vis sanandi herbæ naturaliter indita est: sed quia Spiritus ad prædicationem verbi potenter operatur, efficiendo id in cordibus electorum, quod verbum monet, jubet; illiusque fidem & assensum ciendo ad id, quod verbum offert ac promittit.

Prædicatio verbi intellectum illustrat, ad scientiam & cognitionem; Spiritus cor & voluntatem movet, flectit, mutat, ad assensum, fidem, obsequium.

3. Verbum Dei continet *in pietatis cursu*. Est *clavorum* instar, quibus hominum animi Deo quasi affiguntur, ne ab eo desciscant.

Usus. Horrendus igitur verbi abusus, quo improbi ad vitia sua pallianda, Verbum Dei allegant.

4. *Verbum Dei in electis manet*, quasi clavis cordibus ipsorum infixum. 1. Joh. 2.27. reprobis rapit Diabolus, quod est satum, semen verbi. Matth. 13.19. non sic ex electis.

Usus. Fidem igitur electi totaliter amittere nequeunt, quia minimùm retinent semen fidei, sc. Verbum, è quo fides ad tempus elanguida suppullulare rursum potest.

5. *Christus solus & unicus Pastor, Doctor, ac Propheta* summus suæ Ecclesiæ.

Usus 2.

Usus a. Solus igitur & præter eum nemo audiendus. Utpote qui solus dare verba sapientiæ, seu mysteria cœlestia pandere possit.

Usus b. Pontificij locum hunc arripiunt, ad Primatum Papæ sui asserendum, seu ut probent, Papam esse Pastorem Ecclesiæ œcumenicum. Ut maximè enim fateantur, Pastorem illum unum, cujus hîc fit mentio, esse Christum, mox tamen idipsum ad Pontificem suum transferunt, tanquam Christi Vicarium. Talem in V.T. dicunt constitutum fuisse Pontificem summum, cui in omnibus auscultari & obediri jusserit Deus. Deut. 17. in N.T. esse *Petrum* hujusque successores Pontifices Romanos, tanquam totius Ecclesiæ Doctores & pastores. Joh. 21. 16. Ut nim. ab uno pastore unitas fidei & doctrinæ hauriretur & servaretur, nec in varias iretur hæreses & errores. Sic enim Hierarchia Ecclesiæ in Monarchiam, quæ optimum est regimen definit: Monarcha enim est Pontifex. Hinc olim σύνθημα, id est, tessera orthodoxi, veriqueChristiani erat, & etiamnunc est fide sociari, & obedientiâ subjici Pontifici Romano. Ita *Cornel. à Lapide* in h. l.

R. Nos nullum agnoscere ejusmodi Christi Vicarium unicum, summum, solum; sed omnes ex æquo Ecclesiæ ministros, Christi dispensatores & vicarios in sacro Ecclesiæ munere agnoscimus: Nec verba Christi Johan. 21. *Pasce oves meos*, aliud evincunt; ut suo loco demonstravi. Monarcha Ecclesiæ solus Christus; non Pontifex; qui proin Antichristum se prodit, quum se Monarcham Ecclesiæ dicit. 2. Thess. 2.

HOMILIA IX.

TEXTUS v. 13, 14, 15.

Potiùs, inquam, existis, fili mi, admonitus esto: faciendi libros multos nullus est finis, & lectio multorum fatigationi est carni. Summa rei his omibus auditis: Deum time, &c.

DE POSTERIORE.

ET amplius his, fili mi, cave; faciendi libros plures non est finis, & doctrina (lectio) multa, afflictio est carnis.

Transitio est ad alteram Libri clausulam; quâ monet *Salomon*, ne quis doctrinæ suæ diffisus, meliora ac potiora conetur in alijs libris perquirere: Id enim qui tentarit, non modò infinitum laborem sibi accersiturum, siquidem librorum ingens undique extet multitudo, atque indies novi scriptores prodeant; sed etiam inutilem ac noxium; siquidem scrutatione istâ & lectione plurium librorum inaniter seipsum sit afflicturus, quia nec meliora inventurus sit, quàm ipse tradiderit.

DOCTRINA I.

Erudimur hîc de *Perfectione sacræ Scripturæ*; omnia sc. scitu ad salutem necessaria illâ contineri, tum quæ ad fidem & cognitionem Dei, tum quæ ad vitam & timorem Dei spectant. *Salomon* enim sapientiam istam, quæ concernit Summi Boni indeptionem, sufficienter solo hoc parvo libello velut in compendio, abs se pertractatam declarat; docendo, non in hoc mundo, qui vanitati totus sit subjectus quærendum esse; sed in Deo, qui propterea timendus & venerandus sit, ut ad ejus communionem & fruitionem in futuro seculo homo deveniat: At præter ista scire hominem plura ad salutem non requiritur: Hæc tamen scientia alijs S. Scripturæ libris, secundùm singula Religionis capita, enucleatiùs, & quidem sufficientissimè ac perfectissimè describitur. Neque enim statuendum est, *Salomonem* ab aliorum sacrorum librorum lectione, qui jam tum extitêre ante ipsum, tum post ipsum exarati sunt, uti sunt omnium Prophetarum, Evangelistarum & Apostolorum libri, quenquam prohibere voluisse: De humanis scriptis ipsi sermo est, in quibus confidenter dicit, nihil augustius vel melius comprehensum esse, quàm in divinis extet; nec quicquam in divinis prætermissum esse, quod aliunde sit petendum: Vanam igitur esse omnem aliorum librorum scriptionem, scrutationem, lectionem, eo fine institutam, quasi quędam vel diversa ac prætermissa in divinis, vel etiam meliora continerent de ijs rebus, quæ ad veram ho-

ram hominis felicitatem ſpectant. Eſt igitur S. Scriptura perfecta; ſi enim ſolus Eccleſiaſtes ſuo modo perfectus & ſufficiens fuit, quantò plus perfectio tribuenda fuerit ſacro Canoni, tot librorum N. T. acceſſione aucto.

DOCTRINA II.

Duo præterea taxat *Salomon*:

1. *Copiam librorum ſeu pruritum ſcribendi*, qui complures inceſſit, vanâ duntaxat nominis gloriâ impulſos; cùm libri ipſorum ſint inutiles; tum quia nihil proferunt præter ea quæ pridem ſunt tradita; tum quia fortaſſe minus commodè aliena repetunt & conſarcinant; tum denique, quia inutilia immò noxia produnt.. Juvenal. Satyr. 7.

Tenet inſanabile multos
Scribendi cacoethes, & in ægro corde ſeneſcit.

Tales non aſſequuntur eam, quam quæſi vérè nominis gloriam, ſed ſe potius proſtituunt; ut qui doctiores æſtimati fuiſſent, ſi nihil evulgaſſent.

Sunt præterea libri alij complures utiliſſimi, quibus non modò Scriptura S. illuſtratur, ejuſque ſenſus aperitur, ac fidei articuli enodantur, confirmantur, vindicantur; ſed qui ad alios quoque in vitâ humanâ uſus ſpectant, atque variarum conducibilium rerum ſcientiam aperiunt. Quem in cenſum etiam illi pertinent, qui à veteribus fusè & confusè dicta, ſtrictiùs, lucidiùs, ordinatiùs ad captum juventutis proponunt; utì fecit *Juſtinianus*, qui priſcorum Jurecoſſ. 2000. libros, in brevem juris moderni Codicem redegit. Quorum authorum labores haudquaquam ſunt aſpernandi.

2. Taxat *ſecundò Salomon*, *Nimiam librorum lectionem*, quæ ſc. ſit ſine librorum delectu, & citra moderationem lectionis: T. ſt. tur enim (quod revera eſt) lectionem multam carnis eſſe afflictionem. Neque enim ullus ferè labor eſt, qui hominem magis fatiget, vires exhauriat, valetudinem ſenſim lædat, quàm animi, in meditando, legendo, ſcribendo, continuò occupati. Suadet igitur *Salomon*, omninò modum in ſtudio literarum tenendum eſſe; ac non niſi ſelectiores libros, cumprimis verò S. Scripturæ legendos eſſe, mittendos alios; tum verò nec nimiâ & frequenti lectione affligendum eſſe animum, dum quis omnes quos poſſit libros pervolveret: *Ariſtippus* Socratis auditor cuidam jactanti quod multa

multa legisset, appositè respondit: Quemadmodum (inquit) non illi qui plurimum edunt, melius valent his, qui sunt unt, quantum opus est; ita non qui plurima, sed qui utilia legerunt, studiosi & eruditi sunt habendi. Excolete paucis utilibusque libris.

Summa. Et in scribendis & legendis libris suam inesse vanitatem docet *Salomon*; si quis vel editione librorum, vel lectione multâ sapientiæ laudem consequi studeat, quam tamen ubi assecutus fuerit, miram assecutus est vanitatem: si eam sapientiam exceperis, quæ ad æternam salutem facit.

Nunc porrò multitudini ac prolixitati tot librorum in mundo extantium, unicum aphorismum opponit, totius libelli, immò omnis sapientiæ summam complectentem. ℣.15. *Summa rei his omnibus auditis: Deum time, &c.* Prov.1. Psalm.111.

Cujus primò 1. *Propositionem*

2. *Exegesin*

3. *Confirmationem* expediemus.

1. *Propositio* est, *Time Deum.* Campus hic nobis patet de Timore Dei agendi: Audiamus ergò

1. *Cujusmodi sit iste Timor, &c.*

2. *Quæ ejus dignitas & excellentia.*

3. *Itemque utilitas.*

PRIMUM.

Timor duplex, *Naturalis* & *Moralis.*

1. Ille est, quo homo quisque timet & aversatur sui destructionem, adeoque mortem: à quo timore nequidem ipse Filius Dei exemptus erat, quia revera homo factus, ijsdem quibus natura hominis pollet proprietatibus naturalibus (ἀναμαρτήτοις tamen) præditus. Timor iste non propriè in Deum fertur, sed in cuncta, à quibus noxam aliquam metuit homo: Ita timentur non modò homines infesti, sed & animantia nocifera, inanimata etiam veluti venena, ignis, aqua, lapides, &c. Ipse denique Satan veluti humani sanguinis sitientissimus; cui non rarò Deus impios puniendos committit. Estque hic Timor homini, cum viventibus cunctis alijs ratione carentibus communis.

2. *Mora-*

2. *Moralis* Timor est ille, quo inferiores, superiores sibiqúe præfectos reverentur, sibiqúe cavent & metuunt ab illorum offensâ & mulctâ: Ita timere debent Liberi Parentes: Servi Dominos, Malach.1,6. Subditi Magistratus, Rom.13.1. De hujusmodi Timore Psaltes heic loquitur, qui quidem erga Jehovam habendus sit.

Timor iste Dei vel est *filialis*; quando sc. pij metuunt, ne Deum peccatis suis offendant; idqúe ex amore, quo erga ipsum ceu Patrem benignissimum feruntur. Vel est *servilis*; quum sc. impij peccatorum suorum conscij, Deum metuunt ob pœnam promeritam, ceu Judicem severum; idqúe ex horrore & aversatione Dei. Et hic quidem Servilis purus est in reprobis: Contrà Filialis iste timor mixtus est in electis. Utcunque enim pij omnibus sibi modis caveant à Deo suis peccatis offendendo, potiusqúe ad eum pietatis operibus colendum ferantur; quia tamen non prorsus immunes esse possunt à peccatis, hinc est, ut eundem quoque propter pœnas ipsius & judicia, quæ se promeruisse dictante conscientiâ norunt, timere cogantur.

Hic ergò Timor Dei duo in se complectitur,

1. Quòd ad vitanda peccata compellat hominem; ne Deum offendat, ejusqúe iram & vindictam in se concitet.

2. Quòd contrà ad sanctimoniæ & bonorum operum studium eundem excitet; ut suum erga Deum amorem & venerationem hoc pacto declaret.

Atque in istis quidem duobus capitibus omnis pietas, ac religio consistit. Unde Timoris Dei appellatione, universus quoque Dei cultus passim exprimitur in Scripturâ: cui & hoc solenne est, ut pij & religiosi, Timentes Dei vocentur, Gottsförchtig. Actor.2.5. Exempl. *Jobus* cap.1.ψ.1.8,9.cap.2.3. Psal.25.14.&.67.ult.& passim.

1. Quod enim prius attinet, compertum est, Timorem Dei à peccatis retrahere, & velut fræno injecto cohibere. Testim. Prov.8.13.c.16.6. Exempl. Per Timorem hunc Dei retractus est *Joseph* ab adulterio, Genes. 39.9. ab injuriâ fratribus inferendâ, cap.42.18. *Hobadias* Præfectus aulæ Regis *Achabi*, à tyrannide & truculentiâ in Prophetas Dei, &c. 1.Reg.18. 3,4. *Nehemias*, ab injustis exactionibus, quibus ipsius prædecessores populum prægravarant; Nehem.5.9,15. *Simil.* Ut clavi vel pali terræ infixi tentoria continent, ne corruant; sic Timor Dei mortales continet, ne in scelera prolabantur. Ecclesiastæ 12,11-13.

2. Rursum Timor Dei *fons* est omnis pietatis, virtutum Christianarum, & operum bonorum. Exemplo sit *Noe*, quem Timor Dei ad omnem justitiam exercendam, Deoque in struendâ arcâ obsequendum, compulit. Hebr. 11. 7. Ideò Judicibus & Magistratibus Timor Dei injunctus legitur: quia hoc penes ipsos obtinente, integritas, justitia, clementia, facilitas, aliæque virtutes, quibus præditi esse debent, qui ad clavum Reipublicæ sedent, sequentur. Hinc *David*, Psal. 2. 11. Jethro viros Deum timentes ad gubernacula deligendos suasit, Exod. 18. 11. Idem suis Judicibus Rex *Josaphat* inculcavit severè, 2. Chron. 19. 6, 7. Hinc cum adjectione dicitur Eccles. 12. 13. Time Deum & mandata ejus observa: Qui enim timet Deum, hic Deum amat, ac in omnibus ejus voluntatem facit.

)(Contrà, ubi nullus Timor Dei est, ibi effrænis licentia, turpia & scelerata quæque audendi & patrandi obtinet. Nôrat id bonus *Abraham*, ideó vitæ suæ metuit ab incolis Gerar, ob uxorem, quia nullam Jehovæ reverentiam inter illos esse suspicabatur, Genes. 20. 11. Injustitiæ illius Judicis, qui viduam vindicare renuebat, unica erat causa, vacuitas Timoris Dei, Luc. 18. 2. &c. Equidem cùm Reges & Magistratus superiores inter homines non agnoscant, à quibus sibi metuant; nihil proclivius illis fuerit, si timore Dei sint vacui, quàm ut quod libet sibi licere præsumant; nihilque injustitiæ ac tyrannidis omittant. Nec alia causa plurimorum impietatis, profanitatis, execrationum, dirarum, superbiæ, luxuriæ, impuritatis, obtrectationis, rapinæ ac avaritiæ, mendaciorum ac perjurij, &c. quàm quòd timorem omnem Dei ex corde profligarint, teste Apost. Rom. 3. 18. & Psalm. 36. 2. Ubi postquam impiorum scelera, quibus diffluunt, recitasset, tandem fontem mali indicaturus concludit: Non est Timor Dei coram oculis ipsorum.

Causa vacuitatis Timoris Dei.

Quòd autem penes impios nullus est verus Dei timor, per quem retrahantur, aut absterreantur à suâ malitiâ, inde est; quia Deum sibi cœcum, surdum, absentem, incurium, otiosque fingunt: Itaque dum student scelera sua clam patrare, ne hominibus innotescant, Joh. 3. quia metuunt suo honori & famæ; quæ aliàs intermissuri essent, si præsentes noscent arbitros: nunquam tamen cogitant oculis Domini cuncta esse pervia, 2. Chron. 16. 9. Hebr. 4. 13. secus enim multò plus abstinerent: quia non modo id metuendum est ipsis, ut coram mundo hoc momentaneam ig-

ig-

ignominiam pati cogantur; sed ut æternam illam in inferno. Ergò quia nulla mentes ipsorum subit Dei recordatio vel timor, hinc fit, ut securè peccatis indulgeant. Nos verò non minus graviter quàm meritò objurgat Psaltes, Psalm. 94. 7. &c.

Usus 1. ad παιδείαν. Ut ergò Timor Dei mentes nostras occupet quò à peccato inhibeamur, statuamus ipsum spectatorem ac arbitrum præsentissimum omnium nostrorum dictorum & factorum, etiamque eorum quæ omnem hominum notitiam fugiunt: nec id modò, sed & qui cuncta suo tempore protracturus in lucem & judicaturus est. 2. Cor. 4. *Seneca* Ethnicus Philos. Lucilium quendam à vitijs retracturus, hoc ei consilij dedit: *Sic fac omnia, tanquam spectet aliquis.* Cum primis (ut ex seq. liquet) vir aliquis gravis, cujus interventu perditi quoque homines vitia supprimerent. Sed nos Christiani non imaginari id nobis debemus, sed pro certo habere, Deum omnia quæcunque & ubicunque facimus præsentem spectare.

Usus 2. ad ἔπαινον. Ingens igitur stoliditas hominum, qui omnibus modis cavent ne homines pervideant quæ turpia & indecora faciunt; aut cùm innotescere occipiunt, palliant, supprimunt, ac interpolitis sæpè diris ac perjurijs pernegant, quasi ubi occuluerint, coram hominibus resedisset in vado; nec interim recordantur Deo omnia esse comperta, cujus potissimùm habenda erat ratio. Quid enim profuit Judæ proditori, latuisse discipulos reliquos pactum suum, si Domino de illo constabat? Quid *Adamo*, abscondisse se intra arbores & ficulneis foliis se obtexuisse, si Deo nota fuit ejus prævaricatio? Ita certè frustra laborant in supprimendis coram mundo suis criminibus, quum Deus omnium illorum sit conscius. Nos Deum semper præ oculis habeamus. Psal. 16. 8.

SECUNDUM.

Dignitatem & excellentiam Timoris Domini eo demonstrat Psaltes, quòd ait, ipsam esse *caput seu principium sapientiæ.* Nihil enim est in rebus humanis, quod sapientiam laude superet; utpote quam sapientissimus Rex cunctis rebus desiderabilibus præferat, Prov. 3. 13. &c. Jam verò cùm ejusdem rei varij sint gradus, (v. g. gemma vel margarita quæpiam præstabilior est aliâ) eam sapientiæ speciem præstantissimam esse

innuit Psaltes, quæ in Timore Domini subsistit, quin immò fontem esse alterius cujuscunque sapientiæ; adeò ut sine illo, nulla verè esse possit sapientia. Idem *Job* habet, cap. 28. v. 28. *Salomon* Prov. 1. Syrac. cap. 19. 19. Habet enim Timor Domini sibi præfixum summum hominis finem, qui est Dei gloria, Eccles. 12. 13. summumque bonum consequitur, æternam sc. felicitatem, ut dicetur; Est ergò Timor Dei per seipsum summa sapientia. Sed enim etiam fons est ac radix cujuscunque alterius sapientiæ: nimirum Sapientiæ politicæ; quæ suas quoque habet in vitâ humanâ laudes ac utilitates, sc. in Republicâ, militiâ, mercaturâ, œconomiâ. Eccl. 2. 13, 14. sed stultitia est mera, destituta Timore Dei, Syr. 19. 19, 20, 21. vera autem ex isto manat fonte. Ut enim navigium sine nauclero vel remo quo regi debet, tamdiu in mari oberrat & à fluctibus agitatur, donec tandem confracta submergatur: Ita infelicissimum sortiuntur exitum humanæ quæcunque actiones, & consultationes, destitutæ hoc rectore, sc. Timore Dei. *Achitophelis* consilia pro oraculis habebantur, sed quia Timore Dei destituebatur, quàm noxia fuerunt illa & ipsi & toti regno, & *Absalomo*? 2. Sam. 16. 23. *Caiaphas* Pontifex oraculum visus est profari, necem Christi suadendo. Joh. 11. 49. sed quia vacuus erat Timore Dei, & sibi & suæ genti in perniciem extremam consuluit. Reges & Principes, qui Ecclesiæ & Christi hostes agunt, quæ non asturissima nectunt consilia? juxta illud Psalm. 2. sed flagra sibi-ipsis nectunt, dum interim consulta ipsorum in fumos abeunt. Idem de cunctis alijs negotijs & consultis humanis statuendum; ubi Timor Dei deficit, vanitas sunt, stultitia, noxa, exilium. Ubi verò illa juxta cynosuram istam (Timorem Dei) reguntur, optatissimum & felicissimum successum & exitum inveniunt; utcunque non ita statim id oculis nostris videatur. Quia Deus ipse, sine cujus Numine nihil est in homine, adest timentibus nomen suum, ut res & instituta ipsorum moderetur, secundet, terminet, Prov. 3. 5, 6. Ps. 147. 11. Ea denique sapientia, quæ in malis perficiendis exercetur, in quâ versatissimi erant impij Judæi, Jer. 4. 22. Luc. 16. 8. non modò stultitia est, sed insania prorsùs ac furor. Psalm. 14. 1. *Dicit insanus*, &c. Tit. 3. 3. *Eramus insani*, &c. Talis sc. sapientia qualis apud *αὐτόχειρας*, quorum interdum miramur ictus, quibus sibi ipsis mortem conciverunt, &c.

Usus. Ergò si sapienter versari volumus in præsenti seculo, timeamus Deum, ita verè sapientes erimus. Magistratus & Judices, quibus cumprimis sapientia convenit, observent illud, Psal. 2. Caveamus à Sinonijs.

nonijs artibus, falsò persuasi, per illas rebus nostris consultum esse: Spinæ sunt & tricæ, quibus graviùs & deteriùs implicantur. Neque hîc attendamus mundi judicium, qui neminem sapientem judicat, nisi qui in dolis & technis nectendis versatus est: Timentes Dei, ut amentes simplicesque ridet. Potiùs Dei in Scripturâ loquentis testimonium attendamus, 1. Cor. 3. 18, 19. *Veniet tempus, quum discrimen istud toti mundo patefiet & confirmabitur.* Sap. 5. Mal. 3.

TERTIUM.

Veniamus ad explicandam *Vtilitatem* Timoris Dei; quanquam illa tanta sit ut ad eam exprimendam nulla lingua sufficiat. Quod enim D. *Paulus* 1. Tim. 4. dicit, Pietatem habere promissiones hujus & futuri seculi; idipsum Psal. 111. divinitùs Psaltes asserit. De præsenti seculo ait, *Intellectus bonus omnibus facientibus ea*, sc. præcepta Dei. *quod Timoris Dei est. Junius* vertit successum bonum, gut Glück/ Segen/ Fortgang; ut sic intellectus ad Deum referatur, q. d. Deus bonum erga te habebit intellectum, seu animum aut favorem. De futuro verò dicit, *Laus ejus permanet in seculum*: h. e. æternâ in cœlis gloriâ coronabitur. Et harum quidem assertionum ac promissionum plena est Scriptura. Timentibus Deum benedictio corporalis omnis generis addicitur, successusq; rerum optimus, &c. Psal. 1. Psal. 112. & 128. Experti, *Abraham, Jacob, Joseph, Job, David, Daniel & Socij*. Liberatio è morte, periculis, angustijs, &c. Psal. 33. 18, 19. Psal. 34. 8. Sic etiam spirituales animæ & salvificæ dotes timentibus Deum conceduntur, juxta illud Servatoris, *Habenti dabitur. Miseretur ipsorum Deus, ut peccatis ignoscat*, Psal. 103. 13. *Assumit in fœdus suum*, Jerem. 32. 40. *Dat ipsis fidem salvificam, & Spiritum S. veluti Cornelio Centurioni, ejusq; familiæ.* Actor. 10. 2. 44. &c. Vitâ denique & æternâ gloriâ eosdem & solos quidem beat. Est enim Timor Dei arbor vitæ. Prov. 3. 18. scaturigo vitæ. Prov. 14. 27.

Usus. Timorem igitur Dei habeamus; Hunc enim unicum & solum de nobis requirit Deus, ut omnivariâ ipsius bonitate fruamur. Deut. 6. 13. c. 10. 20. Prov. 12. 13. Nec enim aliter ad æternam illam in cœlis felicitatem perveniemus, nisi hîc salutem nostram cum timore & tremore (h. e. piâ solicitudine & humilitate, quâ viribus nostris diffisi in Dei

virtutem recumbimus, sedulò nobis à peccatis & offensâ Dei caventes) fuerimus operati: Phil.12.12.Hebr.4.1. Quod ut assequamur, orandum cum *Davide* ex Psal.86.11. Sic olim Deum, à cujus nunc timemus offensâ & irâ, ab omni metu liberati, æternùm glorificabimus.

HOMILIA X.

TEXTUS Eccl.12,13.

Summa rei est, his omnibus auditis: DEVM IPSVM REVERERE, ET PRAECEPTA EJVS OBSERVA, QVIA HOC est TOTVM HOMINIS. Nam omne opus Deus ipse adducet in iudicium cum omni re occultâ; sive bonum, sive malum.

2. EXegesin continent verba, *Mandata ejus observa.* Dictum de filiali Timore Dei sermonem esse, quo vitia fugiuntur, virtutes verò ambiuntur, idque ex amore erga Deum, cui id complacet: Unde quisquis timet DEUM filialiter, idem etiam amat eundem, hinc que voluntatem ipsius ac mandata præstare studet. Voluntas autem Dei est (ait S. *Cyprian.* de Orat. Dom.) quam Christus & fecit & docuit: Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omninò præponere, quia nec nobis quicquam ille præposuit; charitati ejus inseparabiliter adhærere; cruci ejus fortiter & fidenter assistere: quando de ejus nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, quâ confitemur; in quæstione fiduciam, quâ congredimur; in morte patientiam, quâ

quâ coronamur: hoc est cohæredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.

Tractandæ hîc essent Quæstiones:

1. *An possit homo Legem & mandata Dei perfectè præstare?*

2. *Cùm non possit, neque etiam per Legem justificetur homo; cur nihilominus Legis observantia eidem injungatur?*

3. Sequitur *Confirmatio* Mandati de Deo timendo: Duplex ea:

1. Prior *petita est à Præstantiâ & Vtilitate ejus.*

2. Posterior, *ab extremo judicio ac divinâ retributione.*

1. *Præstantia* Timoris Dei seu Pietatis exprimunt ista verba: *Quia hoc est omnis homo*; seu *Quia hoc est omne vel totum hominis*: q.d. In hoc unico & solo, ut Deum timeas, consistit tota & omnis hominis felicitas & perfectio. Nihil præterea ab ipso requiritur, nisi hoc unicum. Deut.10.12.Luc.10.

Hoc si desit, nihil est homo, miser, perditus. Unde S. *Augustin.* libr.20. de Civ.D.c.3. *Quid brevius, verius, salubrius dici potuit? Deum*, inquit, *time, & mandata ejus custodi: quia hoc est omnis homo: Quicunque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei: quoniam qui hoc non est, nihil est: Non enim ad veritatis imaginem reformatur remanens in similitudine vanitatis.*

Etenim Timoris Dei notione omnis pietas & cultus Dei designatur; cùm ille sit fons & caput omnis veræ & cœlestis sapientiæ. Prov.1. At pietas promissionem habet hujus & futuræ vitæ.1.Tim.6. Quisquis igitur pius fuerit ac timens Dei, omne habet ac totum quod uspiam hominem beatum reddere possit. Psal.111.vs.ult.

Ac primò quidem timentibus Deum benedictio corporalis promittitur. (Vide suprà.)

Ea si impijs quoque obtingere videtur, non ipsorum fit bono sed exitio. Psal.69. Jerem.12. Hinc igitur non invidendum ipsis. Psal.73. aut irritum statuendum pietatis exercitium; sed expectandus & contuendus eventus. Mal.3.

Secundò verò amplissima sunt pietatis privilegia spiritualia. Denique verò æternâ felicitate in cœlis non nisi timentes Dei donabuntur.

2. Posterior *Confirmatio* petita est ab *extremo judicio*, cujus utique consideratio nos ad timorem Dei & observationem mandatorum ejus stimulare debet: quippe quo Deus omnes homines ad tribunal Judicis mundi Filij sui citaturus ac coacturus est, ac à singulis omnium operum eti m

fare-

secretissimorum rationem exacturus, sine acceptione personarum, dissimulatione, evasione, appellatione, &c. ullâ: ac pro operum ratione cuivis retributurus. Necessitatem ergò probitatis imponit judicium hoc, ut æterna pœna ac ignominia effugiatur. Ideò *Augustin.* in Confess. Nec me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri judicij, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. Tria heic memoratu digna:

1. Esse aut futurum aliquod *judicium universale extremum.*

2. *Omnia hominum* illo judicatum iri. Ponuntur ea in duplici differentiâ. Vel enim occulta sunt, vel manifesta. Occulta nobis, uti sunt peccata per imprudentiam aut ignorantiam à nobis commissa.

Occulta hominibus alijs, mundo. Eaque a. vel opera; utpote quæ clanculùm, in tenebris, in angulis perpetrantur, homicidia, adulteria, rapinæ, clandestina consilia, convitia, mendacia, &c. Marc. 4. 1. Cor. 4. Cuncta hæc manifesta fient ac in lucem protrahentur à Deo, quia Deus ubique omnia videns ac noscens. Ideò de libris aperiendis Scriptura loquitur ultimo die.

b. Vel cogitata hominum. Nam & illa manifestabuntur, & judicabuntur.

3. Secuturam operum retributionem; ut bonis quidem æterna felicitas ex gratiâ; malis æterna damnatio ex merito sit retribuenda.

Usus. Jugiter igitur nobis obversetur memoria extremi judicij, ut ejus metu ita vivamus, qualiter optaremus vixisse cùm ad tribunal Judicis statuendi sumus. Reddenda ratio. Nihil hîc subterfugij. Sententia dicetur decretoria totius æternitatis, ejusque vel beatissimæ, vel miserrimæ. Ergò cum *Hieronymo*, Sive edam, &c. Tu verò Domine JESU, da ut spretâ vanitate, terrâ, morte, mundo, ad veritatem, cœlum, vitam, Deum pertingamus. Da sapientiam istam, qui æterna es Patris Sapientia. Sequimur D. Jesu te per te, quia tu es via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.

HO-

HOMILIA XI.

TEXTUS ℣.16.

Nam omne opus Deus ipſe adducet in iudicium cum omni re occultâ; ſive bonum, ſive malum. Collat. Rom. 2. 6.

DE RETRIBUTIONE DEI.

NIhil adeò ad bonum invitat hominem, quàm emolumenti inde conſequendi ſpes; ſicuti viciſſim nihil tantoperè à malo abſterrere poteſt, quàm damni inde prodituri metus. Hoc fine Deus Legem ſuam dulciſſimis promiſſionibus, rurſumque graviſſimis comminationibus munivit; ut illis quidem ad obedientiam incitaremur, his verò à peccatis abſtrahamur. Nec verò inanes ſunt utræque, ſed quas certò Deus implet, maximeque in extremo Orbis judicio executurus eſt, quo pleniſſimè cuique retributurus eſt, prout ſe geſſit in corpore. 1. Cor. 5. 10.

Unde cùm illud non ſemper hîc in hoc ſeculo fiat, ſed bona multa Sanctorum opera incompenſata, impiorum verò mala impunita relinquantur; immò lautior impiorum quàm piorum hâc in vitâ plerunque ſors ſit: indicium id eſt ultimi ac univerſalis illius Judicij, quo juſtitiam ſuam pleniſſimè declaraturus eſt Deus.

Quum ergò Retributionis iſtius divinæ conſideratio, tantum ad pietatem ſtimulum, atque à peccato avocamentum præſtet; ſtatui τὸν θεὸν eam è p. v. vobiſcum inſtituere.

Teſtatur Scriptura tum hîc tum paſſim alibi de Deo, quòd ſit Retributor bonorum & malorum.

I. *Verus ac certus.*

II. *Sincerus ac* ἀπροσωπολήπτης.

III. *Æquus ac Justus.*

DE PRIMO.

Verus ac *certus* bonorum ac malorum Retributor est Deus, tum quia *potest*, tum quia *solet* retribuere.

a. *Potest*: quia inexhaustum habet gratiæ ac præmiorum thesaurum, vicissimque pœnarum cumulum. Habet enim in suâ manu & potestate cœlum, terram, inferos; & quicquid in illis est boni vel mali: unde nihil uspiam boni est, quod non dilectis suis largiri possit; nec ulla est creatura, quæ non serviat ei, dum judicia sua in improbos exercere decrevit. *Gratia ipsius singulis mane nova est*, Thren. 3. 23. Ideoque instar scaturiginis est inexhaustæ, è quâ quantumcunque aquæ hauriatur, nunquam tamen deficit, sed novæ singulis momentis uberrimè succedunt: ita licèt plurima & ingentia bona identidem suis largiatur, nunquam tamen divitiæ gratiæ ejus minuuntur aut decrescunt. Postquam Patriarcha *Isaac* semel benedictionem *Iacobo* impertijsset, non ultrà aliam habuit, quam *Esavo* daret: Deus si multa millena millia benedictionum eroget, non tamen destituitur alijs. Sic & pharetra jaculorum & judiciorum nunquam deficit, quotcunque illorum ejaculetur Deus; ut defectu illorum vel minimum peccatum impunitum cogatur unquam dimittere.

b. Sed & *vult*, id est, *propensissimus est* ad *retributionem boni*; quia summè misericors. Jacob. 5. 11. Exod. 20. Rursus & industrius est ad *punienda peccata*; quia summè justus. Psal. 5. 5.

Quàm ergò Deus non potest seipsum negare, aut misericordiam justitiamque suam perdere aut abdicare; tam non potest non compensare bonum, & punire malum: adeò ut certissima sit divina retributio tum boni tum mali: sicque infidelis sit qui illam, securus & atheus qui istam in dubium vocet.

Nihil tam est vile, quod Deus non compenset, etiam *haustum frigidæ*, Matth. 10. 42. *Nec peccatum* ullum tam leve in oculis nostris, quod non plectat, & plexurus sit æternùm in pœnitere nescijs, etiam otiosum quodcunque verbum, Matth. 12. 36. etiam cogitationes & concupiscentias pravas cordis, 1. Cor. 4. 5. Ut propterea necessum fuerit, æternum Dei

Filium

Filium in assumptâ carne pœnam peccatis electorum debitam luere & expiare, ut illis parceretur. Esai. 53.

Usus 1. Huic igitur tam benigno ac mitissimo Domino, quis non libenter serviret; qui tam largiter remuneratur cultum, quo ab homine affectus est? Apoc. 22. 12. Siquidem enim non satis sit, quod multisariis nos afficiat beneficijs, & largiatur liberalissimè omnia quibus ad vitam & pietatem opus est; seipsum promittit *in mercedem* suis, Gen. 15. 2. ipsorumque portio in æternum futurus est; ut passim *David* gloriatur. Atqui is summum est bonum, quod solum & unicè concupiscentiam ac desiderium hominis sistere valet: ut verè dixerit ille: Nimis avarus est, cui Deus non sufficit.

Prægnantissima est caussa, ob quam servi Dominos mutare solent, majoris sc. mercedis aucupium. At nuspiam certior ac liberalior, quàm penes hunc Dominum: Quin igitur omnibus modis in id annitamur, ut servi ejus fideles comperiamur, servientes ei in justitiâ & sanctitate omnibus diebus vitæ nostræ, Luc. 1. 75. sic audiemus aliquando illud, *Euge serve bone, &c.* Matth. 25.

Computemus nunc econtrà, quam de mundo, mammonâ, peccato, carne, Satanâ, &c. mercedem reportemus, si illis serviamus: *Mundi* merces, ingratitudo: Die Welt lohnt mit Vndanck; illis maximè, qui omnimodam hominum salutem, æternam cumprimis, promovere intendunt: Cujus rei Prophetæ, Apostoli, Christus cumprimis exemplo sunt. *Mammonæ* lucrum, damnatio. 1. Tim 6. 9. *Peccati* stipendium, mors. Rom. 6. 23. *Carnis* proventus, exitium. Gal. 6. 8. *Satanæ* præmium, gehenna, quæ & ipsum manet. Matth. 25.

Solent servi ab injustis & tyrannicis Dominis aufugere. Tales sunt isti: Quin igitur eorum servitute nos abdicemus, ab illis fugiamus, immò cane pejus & angue Dominos adeò iniquos ac immanes oderimus, à quibus non leve damnum, sed exitium summum ac æternum.

Usus 2. Quum Deus sit bonorum & malorum Retributor, quicquid nobis seu boni seu mali ab hominibus obvenit, Deo acceptum feramus, ceu primo Motori, à cujus manu cuncta: Is ipsus est, qui bonum remuneratur, malumque punit: Idem est, qui per homines agit, eosque incitat, seu ad nos affligendos, injustam delictorum nostrorum pœnam; seu ad nobis benefaciendum, in retributionem gratiosam boni operis, quod ipso authore præstitimus.

a. Eoque in *Malis* non bacchemur adversus homines, à quibus illa accepimus; sed in Deum respiciamus, qui per illos sua judicia exequi erga nos statuit. Ac si quando ab illis ipsis quibus benefecimus, & quos nunquam offendimus, lædamur; cogitandum nobis fuerit, quòd aliâs tamen in Deum deliquerimus, ut per hunc vel illum in nos animadvertendi æquum jus habuerit. Ista fuit *Davidis* mens de *Simei* maledico.

Unde hoc statu non tam conquerendum nobis fuerit de hominum ingratitudine, à quibus serpentinam gratiam reportaverimus; sed inquirendum potiùs in causas visitationis divinæ: Licèt enim injuriam faciant nobis homines, Deus tamen nunquam.

b. Vicissimque si aliquibus *beneficys* afficimur ab hominibus, ideò quòd in ipsos quoque fuimus benefici; Deo tamen acceptum feramus omne: utpote sine cujus nutu & instinctu illi de nobis remunerandis ne cogitassent quidem; adde, quòd quæcunque in nos bona conferunt homines, ex ipsâ Dei manu acceperunt.

Ut ergò æquum est hominibus agere gratias; primariò tamen illæ Deo debentur. Cumque Deus sit primarius Retributor operis boni, in illum potissimùm respiciendum nobis fuerit, quotiescunque hominibus servire & benefacere voluerimus; ut id agamus corde sincero, non ut hominibus, sed ut Deo ipsi servientes: si enim in omnibus nostris actionibus ac vocationis officijs, non eum finem propositum habeamus, quòd Deo servire, eique quod gratum sit facere velimus; sed vel in nostrnm modò commodum, aut mundi favorem intenti fuerimus, non est quòd à Deo retributionem speremus; quippe cui nec servire intendimus: sed suo tempore ablegabimur eò, unde mercedem aucupati sumus. Sicuti id Pharisæis indicat Servator, Matth. 6.

Itaque si vel nullam vel serpentinam gratiam à mundo ingrato pro benefactis nostris experiri cogamur; minus id nos adficere, aut in officio segnes reddere debet: sed in Deum Retributorem nobis respiciendum, atque in officio nihilominùs strenuè & fideliter pergendum; spe fretis, tantò majorem nos à Deo mercedem recepturos, quantò homines in nos fuerunt iniquiores. Ex. *Jacobi*, Gen. 31. 4. 2. Prophetarum, Matt. 5. 12. *Mosis*, Hebr. 11. 26. Apostolorum. Luc. 22. 35.

Ac huc quidem spectat monitum Apostoli, quod servis fidelibus sub Ethnicorum Dominorum imperio servientibus dat, Ephes. 6. 7, 8. proprioque idipsum exemplo confirmat, in 1. Thess. 2. 4. &c. Optimum certè

certè hoc ad decoquendam mundi ingratitudinem, & constantiam ac fidelitatem in officio nihilominùs retinendam, calcar. Vide infrà.

DE SECUNDO.

Sed & *sincerus* est Retributor Deus; quia UNICUIQUE, citra sc. personarum respectum rependit secundùm opera. Plurima illustria passim in Scripturâ occurrunt istius ἀπροσωπολη\|ίας Dei testimonia. Rom.2.11.

In humanis prosopolipsia nimiùm obtinet: juxta illud,

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Immò majorum non rarò vitia commendantur, minorum virtutes contemnuntur. Apud Deum neminem nec authoritas sua à pœnâ vindicabit; nec humilitas à præmio excludet.

Nullum erit inter homines discrimen, cùm è sepulcris nudi prodibimus, & coram tribunali Dei sistemur: Promiscuè stabunt Reges, Principes, Papæ, Episcopi, mendici, pauperes: Valebit tum illud Apostoli, Quis discernit te, ô homo? 1.Cor.4.7. Nulla ullius hominis præ alio coram Deo prærogativa: Unicuique quisquis demum fuerit, ex æquo, sua pro operum ratione merces obtinget: omnes, omnes sistemur, &c. 2.Cor.5.10.

USUS 1. Ad *terrendos* mundi Dynastas, qui nimiò quandoque suâ potentiâ & authoritate erga subditos hominesque vulgares abutuntur; quasi aliter olim habendi: Eminentia ipsorum, non ipsorum tum tuebitur tyrannidem, sed potius accusabit, utpote ad quam evecti sunt, ut defensioni sint subjectis.

Ad *consolandos* oppressos; ut patientiæ studeant, à vindictâ sese contineant, Deo retributionem & vindictam deferendo. Jacob.5.7,8.

USUS 2. Si Deus *Unicuique* retributurus est, &c. necesse est igitur, ut uniuscujusque vitam & actiones, immò cor & cogitationes observet, ac compertas habeat. Omninò: In omni loco sunt oculi Johovæ, spectantes bonos ac malos. Jerem.32.19. Prov.15.3. 2.Chron.16.9. Nemo se occultare potest à facie Domini. Psal.139. immò ne intimas quidem cordis cogitationes supprimere, quò minùs illi innotescant. Jerem.17.10.

Nemo proin impiorum sibi impunitatem polliceatur, quasi minùs intentus in ipsum fuisset Deus: Fallletur, quisquis id sibi imaginabitur. Ne quisquam de præmio boni operis desperet, qui neglectus & con-

temptus vixit inter homines, quasi perinde minùs fuisset Deo curæ. Næ, non minùs unciæ viduæ consignatæ sunt in tabulis cœlestibus; atque ingens illa auri argentique vis, quam *David* in ædificium Templi Filio *Salomoni* reliquit.

Serviat item hoc solatio miseris & abjectis fidelibus, quos mundus non novit, notos tamen se esse Deo. 1. Joh. 3. 1. Si quis pauperculus, esciret, observari se à Rege, aut notum se esse cuipiam Magnati, qui beneficia in ipsum conferre statuerit; quantâ lætitiâ afficeretur? quàm studeret is magis magisque ei complacere, & se beneficijs promissis digniorem reddere? Ita si minùs à mundo respiciamur, exiguoque simus in precio; id nos soletur, à Deo nos respici, perspectam esse ei cordis nostri sinceritatem, suoque tempore amplissimum gloriæ brabejum reportaturos.

DE TERTIO.

Æquus denique ac justus est Deus Retributor omnium, quia æquissimâ justitiæ bilance, unicuique secundùm opera sua daturus, adjudicaturus, ac retributurus est: Mensuram, regulam, ac normam judicij sui habebit cujusque *opera*; h.e. (ut Apostolus declarat 2. Cor. 5. 10.) prout quisque egit in corpore, sive bonum sive malum, ita quoque accepturus est. Qui enim pietati & sanctimoniæ dederunt operam, æternâ in cœlis beatitudine donabuntur; qui immorigeri & impij permanserunt, æternas in gehennâ pœnas luent: juxta dicta, Rom. 2. 6. &c. Matth. 7. 21, 22, 23. cap. 16. 27. cap. 25. 2. Thess. cap. 1. 6. &c. Apoc. 22. 14, 15.

Idem venusto simili exprimitur ab Apostolo, petito à satione; prout quisque serit, ita meter. Gal. 6.

Trutina hæc, ac judicium Dei, adeò exactum est, ut & inter bonos ipsos ac malos *discrimen sit* observaturus: adeò ut quantò quisque melior ac pejor fuerit, tantò quoque majore gloriâ aut pœnâ sit afficiendus.

De damnatis luculenta sunt testimonia, &c. Matth. 11. 20. &c. Luc. 12. 47, 48. Ita Christiani impij gravius supplicium habebunt Judæis, Turcis, Barbaris alijs, &c.

De beatis intelligi possunt, quæ de Doctoribus dicuntur Dan. 12. 3. Item, quod Christus de Apostolis ac Martyribus sanctis profatur; quòd unàm secum in solijs sint sessuri: his enim eminentior gloria, quâ præ alijs donandi sint, indigetari videtur. Matth. 19. Apoc. 3. 21.

Quid

Quid ni enim, qui tantos in annunciando Evangelio labores sustinuerunt, tantaque pericula ac mala perpessi sunt, immò dira quæque supplicia ac tormenta constantissimè superarunt; majus brabejum præalijs auferant, quorum mitior fuit in hoc ævo sors, quorúmve non tanta fuerunt in Ecclesiam Dei merita. Qui parciùs serit, &c. 2. Cor. 9. 6. Prout nos mensi fuerimus Deo, sic nobis remetietur. Quò major crux cum patientiâ exantlata, tanto refrigerium in cœlis uberius.

Hujus æquitatis & in hâc vitâ Deus illustria documenta, tum in beneficijs elargiendis, tum judicijs infligendis, edere solitus est semper: utraque ad similitudinem boni vel mali operis attemperando.

Exempl. *Beneficiorum.*

In *Obstetricibus Ægypti*; quibus Deus ædes statuebat, quòd ipsæ masculos Hebræorum in vivis conservantes, familias Judaicæ Gentis ædificarent. Exod. 1. 21.

In *Davide*; cujus domum ac thronum in æternùm stabilivit Deus; quòd ipse pio instituto Deo domum ædificare volebat.

In *Ebedmeleco* Æthiope, qui *Jeremiam* Prophetam in vivis conservavit; cui propterea promissum à Deo, quòd & ipse in vastatione Hierosolymæ vitam suam instar spolij erepturus esset. Jerem. 39. 18.

In hunc sensum dicit Deus, 1. Sam. 2. 30. Honorantes me honorabo, &c.

Exempl *Pœnarum.*

In *Absalomo*: Quia capillis luxuriabatur; ideò instar laquei ab illis pendulus, confossus est.

In *Pharaone*: Quia puerulos Hebræorum submergi mandaverat; ideò aquæ Ægypti in sanguinem mutatæ; primogenita cuncta enecta; *Pharao* ipse cum exercitu, rubro mari suffocatus.

In *Saule*, qui Sacerdotes Domini trucidari præcepit; ideò Deus ei pòst nec per Urim aut Thummim responsa dedit; donec infelici prælio cum hostibus congressus, proprio gladio irrueret.

Eâdem quasi *Talionis* Lege Deus in novissimo judicio, sententiam dicturus est.

Etenim, qui toto spiritu, animâ, ac corpore Deo servierunt in hâc vitâ; hi quoque spiritu, animâ, ac corpore à Deo æternùm benedicentur. Qui temporalia bona deseruerunt, æterna recipient: Luc. 18. 29, 30.

Qui Christi & Evangelij nomine, ignominiam, opprobria, exilia ac pericula varia subierunt; co-inæffabili gloriâ, gaudio, ac felicitate æternùm in cœlis beabit. 2. Cor. 4. Apoc. 7.

Qui

Qui totos se Deo dediderunt corde puro; ijs & se Deus fruendum dabit, & visendum.

Qui præteritâ hujus seculi vanitate, cœlestia & supera anhelarunt, quæsiverunt; ijs & infalibilliter obtingent.

Qui Christum in suis susceperunt; eos & ipse ad se recepturus est. Matth.10.40. & 25.34.

Contrà, Qui Deo dixerunt, *Abscede à nobis*, nec enim cupimus scire mandata tua, Job.21.14. Ijs similiter replicaturus est, Abscedite à me, qui operam datis transgressioni Legis. Matth.7.23.

Qui Christo hospitium in cordibus suis negarunt, sed Gadarenorum instar è confinijs illius ejecerunt; pluris facientes hujus seculi divitias ac vanitates: ante hos quoque regnum suum cœleste obseraturus est. Matth.8.

Qui posthabitâ Dei gloriâ, suo modò honori litarunt, mercedem auferent æternam ignominiam: immò ad Tartara detrudentur, qui nubibus superiores esse voluerunt. Esai.14. & 5.14.35.

Qui luxum & gaudia hujus seculi impura sectati sunt, lamentabuntur æternùm. Luc.6. Judicium sine misericordiâ obveniet illis, qui misericordiam non exercuerunt. Jac.2.13. Epulones qui micas pauperibus Lazaris negarunt, ne guttam aquæ in flammis gehennæ assequentur. Luc.16. Summa, Quia mundo & Satanæ servierunt, suam cum & ab illis mercedem recipient.

Usus ad Institut. Ut *pietati & bonis operibus gnaviter studeamus*, quia certissimam in cœlis (si non hic) compensationem accipiemus.

Neque enim Deus injustus, qui obliviscatur operis, &c. Hebr.6.10. Conscriptum est in libro commentarij coram eo pro timentibus; Mal. 3.16. Simil. à *Mardochæo*: Esther.6.1.2. Cuncti nostri gemitus ab ipso numerati, lacrymæ omnes collectæ, minutissima quæ fecimus bona observata. Matth.10.42. Vidua, Luc.21.

Solent sæpè homines obliviscì gratitudinis ac retributionis; sicuti pincerna *Pharaonis Josephi*; Sichemitæ *Gedeonis* obliti sunt: At citiùs mater fœtûs sui obliviscetur, quàm Dominus cultorum timentium se. Esai. 49.15. Ut non modò erret, sed in Deum valdè injurius sit, qui de retributione boni operis dubitet.

An enim minor sit Deus, quàm Paterfamiliâs quisque probus, qui fideliter servis suis pro labore dat victum & mercedem?

An

An Deus, qui tam severè in verbo suo vetat, ne operarij dignâ mercede fraudentur, ipse mercedem promissam cultoribus suis denegabit?

Hâc igitur spe colamus Deum 1. Cor. 9. 10. non ea nos pudefaciet. Rom. 5. 5. sed ad patientiam potiùs inducet; brevi enim venturus est Dominus, & merces ejus cum ipso, Apoc. 22. 12. Utut enim opera nostra non sint meritoria vitæ æternæ, quia tamen illis Deus æternam felicitatem attributurus est, omninò spe ejus assequendæ præstanda nobis illa fuerint; hæcque spes si viva fuerit, ad illa nos validissimè incitabit.

Usus ad Consol. 1. Adversus *mundi ingratitudinem*. Verè enim Christus: Mundus quod suum est diligit, Joh. 15. 19. Unde magnam à mundo gratiam reportant, qui juxta præsentis seculi cursum incedunt: honorantur qui sanctos contemnunt; laudantur, qui proximum norunt callidè circumvenire, calumniari, opprimere: in precio sunt violenti quique veritatis & justitiæ eversores; amari merentur, qui in omni vanitatis genere sunt exercitatiores: Pij quique, qui precibus suis stant ante rupturam; propter quos Deus impijs parcit; qui sancto publici boni zelo feruntur, deque omnium salute sunt solliciti; opprobrium sunt mundo & quisquiliarum instar despiciuntur.

Hæc verò eos in studio pietatis retardare aut retroagere minimè debent; utpote qui à Deo amplissimam remunerationem accepturi sunt: eamque tantò certiùs, quantò minùs à mundo ullam receperunt gratiam. Næ! sentient olim non nullius usûs fuisse pietatem.

2. Adversus improborum impunitatem; qui pro lubitu in hoc seculo grassantur, eminent, triumphant, omnem impietaem exercent; pios persequuntur & opprimunt: quorum certè merces & meritissima pœna non emanebit. Audiatur hâc de re D. *Jacobus*, cap. 5. 1. &c. immò dabitur olim Sanctis vindictam exercere in impios, à quibus oppressi sunt, Psalm. 149. &c. Vide plura superiùs.

REGI IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI SAPIENTI DEO, SIT LAVS, HONOR ET GLORIA IN SEMPITERNA SECVLA, AMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

Rerum cumprimis doctrinarum & locorum communium in homilijs istis magnam partem fusiùs pertractatorum.

A.

Acta Apostolorum p.1.
Adversitatum utilitas vid. Afflictiones.
Adulatio similis canticis 365. *vana* 367. *adulatores leves, improbi, noxij* 366.367. *ys aures non prabende* 367.
Ædificia Salomonis 89.
Ædificare domos licet, observatis cautionibus 90. *ædificandi tempus* 168.169. *in ædificijs splendidis summum bonum non consistit* 91. *ædificia spiritualia* 92.
Ætates vitæ humanæ omnes plenæ laboris 45.&c.
Æternitas pendet à mortis conditione 632.
Afflictionum utilitas & commoda 360. 505.
Agricultura Salomonis 93.
Agricultura corporalis laudes 95.165. 302. *agricultura spiritualis* 97.165.
Amicitiæ emolumenta 255.&c.
Amor vid. Dilectio.
Angelus an cuique homini singularis 291.
Anima immortalitas multis insognita 229. *origo & status post mortem* 668.&c.
Aquis similes pauperes 618. *etiam eleemosyna* 623.
Astrologicæ prædictiones 461.
Avarorum genera 250.299.300. *miseria* 146. *avaritia somnum turbat* 314.&c. *inutilis, reddit opes inutiles* 249.307.328. *quæ causa* 328. *insatiabilis* 252.304.305. *insana, fatua* 213.334.&c. *idololatria* 307. *nocentissima* 317. *avaritia sancta* 311.312. *avarus similis mari* 41.
Auditio Verbi Dei 274.&c.
Aura popularis inconstans 269.
Αυτάρκεια 248.336.

B.

Balsamum vid. Unguentum.
Bellum a Deo 192.&c. *bellum gerere licet* 198.&c. *quando & quibus de causis* 199.&c. *belli pacisq; vicissitudines* 191. *bellum spirituale* 199.
Benedictionis divinæ necessitas ad cursum, bellum, prudentiam 534.&c.
Bona omnia a Deo 493.494.

C.

Calumnia summa iniuria 370. *afficiuntur*

cuntur ea etiam pia 371. *remedia adversus eam* 371. &c. 415. &c. *Item* 558. *calumniatores similes muscis* 557. *serpentibus* 591. &c. *calumniatorum exitus* 559.

Castitas vid. *Coniugis virtutes.*

Cerebrositas 265.

Certitudo salutis 497. &c. *non habetur ex statu externo* 501.

Chorea vid. *Saltationes.*

Cœlestium desiderium 22.

Comœdia similis vita hæc 56.

Compensatio eleemosynæ 633.

Cognoscere seipsum 449. &c.

Concionatores ipsi Regus, Principes 10.

Concordiæ fructus 259.

Concupiscentiæ unde, & quomodo resistendum iis 121. 122.

Confessio turpitudinis vitæ anteactæ 6.

Coniugia fatalia 177. *coniugalis vitæ laudes* 523. *coniugii virtutes* 523.

Conscientia bona basis gaudii 519.

Consiliarii sobrii sint 601.

Consolatio in defectu vel iactura bonorum 22. *consolationis defectus* 237.

Constantia in vocatione 563. *in sententiâ* 564.

Contemptus rerum terrenarum ob earum vanitatem 21. *contempti pauperes,* vid. *Pauperes.*

Conversi convertunt alios 7.

Convitia quomodo exploranda & vindicanda 414. &c. vid. *Calumnia.*

Conviviaagitare non illicitum 77. &c. *virtutes conviviorum* 78. 79. &c.

Corporis origo, & status post mortem 668. &c.

Correctio à quo, quomodo, & erga quos fieri debeat 362. &c.

Corruptio microcosmi, & macrocosmi inemendabilis 67. &c.

Creationis opera ducunt ad agnitionem Creatoris 207.

Cultum divinum instituere solius Dei 573.

Cupiditates vid. *Concupiscentiæ.*

Curandi tempus 166.

D.

Dandi tempus 182.

Decreta Dei inscrutabilia 205. *immutabilia* 208. 213. 337.

Deliberatè agere debent Principes 577.

Destruendi tempus 168.

Diabolus anceps, piscator 541.

Dilectio 189. *favor Principum, conciliatio inimicorum* ibid.

Divitiæ Salomonis 105. &c.

Divitias acquirere & possidere licet 107. *sunt à Dei benedictione* 108. 179. *bonæ in se, malè parta nocentissimæ* 390. &c. *divites cur non omnes* 109. *usus divitiarum* 112. &c. 308. *negatur impiis* 149. 328. *instrumenta sunt virtutum, eamq; splendidiorem reddunt* 308. 391. *somnum turbant* 314. &c. *ad salutem nil prosunt* 309. 613. *instabiles, caducæ* 268. 320. *retentio & iactura earum à Deo* 179. &c. *transferuntur ab impiis ad pios* 150. *in morte relinquendæ* 322. &c. *divitias acquirentium vanitas* 140. &c. 178. *divites non plus edunt aliis* 310. *pauperes divitibus felicio-*

316. filii eorum egeni 321. Divites similes nubibus 629.
Docentium & discentium labores 590.
Dona animæ impendenda ad gloriam Dei 71.126.
Δωροφαγία 372.&c.
Duo meliores quàm unus 254.

E.

Ebrietas 80.&c. indigna Consiliariis 601. Principibus 608.
Ecclesiastæ nomen 9. author libri, quomodo & quando scripserit 2.3.4. authoritas 5.14. obiectum & scopus 6. utilitas 8.
Edere bibere quomodo liceat? 145.
Educatio liberorum 12.
Eleemosyna quibus danda 619. quomodo 620.&c. quid dandum 622. eleemosynæ compensatio 623.&c. obiectiones tenacium refutantur 626.&c.
Erogandi tempus vid. Dandi tempus.
Esse melius quam non esse quomodo? 239.
Eventus à Deo 529.
Exaltantur nonnunquam humiles 266. obediendum etiam his 581. exaltati non rarò insolescunt 582.
Excantatio serpentum 593.
Experientiæ studium 53. est senum 64.
Exploranda prius quæ docere volumus 63.581.

F.

Fama vid. Nomen.
Famulitium Salomonis an probandum 99. amplos absumit proventus 310. vid. Servitus.
Festus vitæ 100.&c.
Felicitas in rebus terrenis quæsita non vera 44. non perfecta 48. non constans 58.
Festinatio 453.
Finis rerum & actionum quarumcunque semper respiciendus 375.&c.
Flumina typus instabilitatis rerum humanarum 40. origo fontium & fluminum 41.
Fontes vid. Flumina.
Fortuna inconstantia 38.&c. 171. 268. 259. fortuna nobis Dei providentia 532.&c. fortuita etiam reguntur à Deo 18.
Fragilitas hominis 32.&c.
Fraudes peccati vid. Peccatum.
Frugalitas vid. Convivii virtutes.
Futura incerta 231. præscire futura 459.&c.

G.

Garrulitas 597. v. Loquacitas & loqui.
Gaudium decens & modicum licitum 173. gaudere cum gaudentibus 258.
Generationum mutabilitas 30.
Gloria vera unde 262.&c.
Gloriari de donis Dei & bonis ab ipso acceptis non indecens 70.
Gratitudinis Deo debitæ typus in fluminibus 42.

H.

Hæreditatum leges 251.
Historiæ studium 53.54.
Honos verus unde 262.&c.
Horti 94.
Humiliantur primò qui exaltantur 266.268. vid. Exaltatio.
Immor-

I.

Immortalitas animæ multis incognita 229.
Impii divites 149. (vid. Divites.) Longævi felices 401.
Indignorum promotio ad munera 579.
Inemendabilis macrocosmi & microcosmi corruptio 67.
Infantia miseria 46.
Ingratitudo erga benemeritos 547.
Inimicorum conciliatio 187.
Iniquam pati 236. 299. inferre 236. 300
Iniustitia summa in loco iustitiæ 217. causæ iniustitiæ variæ in Iudicibus 218. &c.
Innocentes auxiliatorem habent Deum 238.
Innocentiæ status 442.
Insolentia ob prosperum rerum statum cur vitanda 21. 22.
Invidia cur vitanda 22. invidiæ obiectum 241. inter quos 243. &c. invidiæ fructus 245.
Ira qua licita 380. quæ illicita 381. causæ ibid. effectus ibid. remedia 382. &c.
Iudex summus Deus 220. iudicabit iniquos 300. iudicium extremum 221.
Iudices iniusti 217. &c. 222. 236. vid. Tyrannus.
Iustitia nimia 405.
Iuventutis miseria 46. iuventus periculosa ætas 646. labilis & irrevocabilis 650. pietatis discenda 654.

L.

Labor supersolaris 24. subsolaris vanus 27. &c. 202. inanis 28. 27. &c. labore victus quærendus 331. laborandum quomodo 527. 591. 640. indefessus labor somnum conciliat 315. mercede dignus 336.
Lapsus hominis unde 442.
Lachryma 237.
Laquei Diaboli 564.
Liberis num relinquendi thesauri & quinam? 141. &c. 321. &c.
Librorum copia, nimia lectio 679.
Loquacitas in precibus 279. &c. Garrulitas 321. &c.
Loquendum quando 186. &c. quomodo 279. &c.
Lugendi mortui 353. &c.

M.

Magistratus iniusti 217. &c. v. Iudices & Tyranni. Rex, Magistratus debet punire 454. corrupti status indicium, ubi hoc non fit 477. officium Magistratus circa Religionem 567. desidia Magistratus quam nocua, 605. similis est tecto Magistratus ibid. obediendum etiam iis, qui ex humili statu ad hoc fastigium assurgunt 581. vid. Exaltatio.
Maledicere Regibus 614.
Mansuetudo vid. Lenitas.
Mare omnia flumina excipit 39. non impletur 40. typus cordis avari 41.
Maria an sine peccato 440.
Media an & quomodo usurpanda 530.
Medium tenendum 248.
Mediocritas 404. mediocritatis norma Timor Dei 412.

Memoria sapientis tandem quoque perit 58.13.
Mercatura licita III. *mercaturæ abusus* III. &c.
Meretricum fraudes 433 *ornatus* 434. *sermo* 435. *mores domus* ibid.
Ministri in grave crimen prolapsi, an postquam pœnitentiam egerunt, indonei sint ad ministerium 4. *flagitiosi quomodo audiendi* 5. vid. *Concionator.*
Mora pœnarum & judiciorum divinorum 465.478.
Moriones 609.
Mortalitas hominis 32. &c.
Mortui lugendi sed moderatè 353. *mortui sancti nesciunt quid in terris geratur* 231.
Mors quid 668. *hominibus & pecudibus communis* 226. *universalis* 134. *ne quidem Regibus parcit* 470. *mortis inevitabilitas* 406. *mortis tempus fixum* 129. &c. 410. *at nobis incognitum, hora mortualis incerta* 466. *à mortis conditione pendet æternitas* 632. *mortem optare quomodo liceat* 136. &c. *mortis meditatio* 355. *mors melior vitâ* 346. *morte melior vitâ* 510. &c.
Mundus priscus non melior præsente 54.
Murmurare adversus Deum 279.
Muscis similes calumniatores 557.
Musica sacra, publica & privata 114. *profana* 115. *cœlestis* 116.
Mutationum regnorum author Deus 267. *mutationes legum & consuetudinum in Republicâ periculosæ* 587.

N.

Nativitatis miseria 45. *tempus* 157. *Nativitate mors melior* 346.
Negotiatio vid. *Mercatura.*
Nomen bonum simile unguento 340. &c. *ei studendum* 342. &c. *nomen bonum quodnam* 344. &c. *nomen malum fœtidum* 345.
Novi nihil in hoc mundo 52. *nova quæ habentur, non revera talia, sed secundum falsam opinionem* 55. *nova quæ fecturi debeamus* ibid.

O.

Obedientia melior quàm sacrificia 278.
Oblivio Dei causa impietatis 651.
Occidendi tempus 166.
Occultorum revelatio 615. &c.
Oculi irritamenta & signa affectuum & cupiditatum malarum 120. &c.
Odium 189.
Oeconomia Dei spiritualis 6.
Omniscientia Dei 299.
Otium 246.

P.

Pastor unicus quis 676. &c.
Patientiæ laus 377. *sine eâ nulla virtus perfecta* ibid. *ei studendum* 396.

Pauperias

Paupertas à Deo 180. *contempta* 392. 547. 550. 552. *voluntaria paupertas* 392. *pauperes similes aquis* 618. *feliciores divitibus* 316.
Pax à Deo 195. *quando facienda & acceptanda* 200.201.
Peccati actualis generatio 120.&c. *peccata palliantur Verbo Dei* 247. *peccata non palliandà* 290. *peccatis Deus peccata punit* 437. *peccati fraudes variæ* 421.&c. *peccatum non aliter vitamus, quàm auxilio Dei* 437. *peccati extrema vitanda festinatio in principio, tarditas in fine* 453. *peccata regit Deus, & quomodo* 499.&c. *peccator unus perdit multos* 554.
Pecuaria Salomonis 104. *pecuaria res utilissima, & innocentissima* 104.105.
Pecuniæ quanta vis 611. *non serviendum ei* 613. *vid. Divitiæ.*
Perfectio Scripturæ 678.
Pigritia exitialis in omnibus statibus 606.
Piorum fors eadem, quæ impiorum immò deterior 131.502. *passiones piorum & impiorum quomodo differant* 131. *pii non diu vivunt, & miseri* 401. *pietati studendum maturè* 654.
Plantandi tempus 164.
Plebs inconstans 269.
Pœna mora ad quid 478 *ex lege Talionis vid. Talio. pœnas Magistratus debet infligere* 454.477. *subditi patienter punire* 455.
Pœnitentiæ partes 88. *sera raro vera* 655. *pœnitendum ante mortem* 665.&c.
Præcipitantia in loquendo 279. *prebus* ibid.
Precandum quomodo 280.&c. *precum vitia, præcipitantia & loquacitas* 279.
Priscus mundus non melior isto vid. *Mundus.*
Promotio indignorum ad munera 578. *cavenda.* 589.
Prosperitas noxia 360. *periculosissima* 504.
Providentiæ Dei subsunt omnia, (c.3. passim) *omnes homines* 489 *omnes actiones* 490. *etiam malæ* ibid. *cumprimis pii sunt in manu Dei* 495. *sine eâ frustraneus cursus, bellum, prudentia* 534.
Pueri duplices 599.
Purgatorium 528.533.

Q.

Querela de malitiâ temporum 384. &c.

R.

Regna mutantur à Deo 261.
Reges non sunt immunes ab errore 577. *pueri quinam* 600. *qualis Rex talis grex* 605. *Regi non maledicendum* 614.
Religionis cura incumbit quoque Magistratui 667.&c.

Respi-

Respiscentia vid. *Pœnitentia.*
Rerumpublicarum eversionis causa 606.
Retributio Dei 689.
Risus non illicitus 83.174. *nisi importunus & immoderatus* 83.358.

S.

Sacrificiis præstat obedientia 278.
Salomonis sapientia 2. *infusa, acquisita* 69.70. *respiscentia & salus* 3.4. *Parentes* 11. *educatio ibid. munus concionandi* 9. *regnum* 13. *media ad comparandam experientiam* 62.63. *ædificia* 89. *agricultura* 93. *vinea, horti, pomaria, piscinæ* 94. *famulitium* 98. *pecuaria* 104. *gaza* 105. *musica* 113. *abusus felicitatis* 118. *&c.*
Saltationes 174.
Sancti demortui vid. *Mortui.*
Sapientia studendum 72. *sapienter vivendum in hoc sæculo* 53.126. *Sapientia non alligata ad certum hominum genus* 264. *Sapientiæ dignitas, utilitas & virtus* 127. *&c.* 447. *&c. præstat robori & fortitudini* 393.412.550. *divitiis* 394. *Sapientia civilis quantus usus in urbe* 545. *Sapientia studium molestum* 73. *difficile & imperfectum* 419. *Sapientia nimia* 406.560. *Sapientissimi non carent stultitia* 559. *discrimen inter actiones sapientis & stulti* 562. *inter sapientiam divinam & humanam* 361. *Sapientia justificatur à filiis suis* 553.
Sapientia Dei 316.
Scientia rerum naturalium imperfecta 638.
Seipsum cognoscere 449.
Senecta misera 47. *incommoda* 654. *& 657. &c. pœnitentiæ minus apta* 655. *præparatio ad senectutem* 662.
Senum experientia 62.
Sententia non facilè mutanda 564.
Sepulturâ caret avarus 370. *&c.*
Sermones sapientum & stultorum 595.675.
Serpentibus similes detractores 591. *&c. serpentum excantatio* 593.
Servitus corporalis 101. *Servi contemptim non habendi ibid. spiritualis* 102. vid. *Famulitium.*
Sobrietas vid. *Convivii virtutes & Ebrietas.*
Sol commendat Dei sapientiam, bonitatem, potentiam 35. *hominis vanitatem exprimit* 36.
Solitudo vitanda 259.
Somni laudes 313. *divitiæ & avaritia somnum adimunt* 314. *labor conciliat* 315.
Sors piorum eadem quæ impiorum, immo deterior 13.502.
Status externus piorum & impiorum idem, & cur 502.
Successores incerti 139.
Superbia vid. *Insolentia.*

Tacen-

T.

Tacendum quando 186. &c.
Tadium vitæ quodnam iustum, & quodnam illicitum 136. &c.
Talionem Deus servat in puniendo 416. &c. 484. &c.
Tarditas 453.
Temeritas in loquendo 279.
Temperantia vitam prolongat 665. vid. Sobrietas, & Ebrietas.
Tempus suum Deus unicuique rei fixit 174. *tempus opportunum redimendum* 155. &c. *nativitatis* 157. *mortis* 159. &c. *plantandi, exstirpandi* 164. &c. *occidendi & curandi* 166. *destruendi & ædificandi* 168. *proiiciendi lapides & congerendi* 171. *acquirendi, perdendi, servandi, abiiciendi* 178. *lacerandi, consuendi* 183. *tacendi, loquendi* 185. *dilectionis, odii* 189. *belli & pacis* 191.
Temporum vicissitudines 384. *tempora præterita quomodo non meliora præsentibus* 384. *quomodo meliora, quomodo præsentia meliora præ. ritis* 386.
Terminus vitæ vid. Vita.
Terra stat 31. &c.
Terrena non possunt sedare appetitum, tadium afferunt 49.
Thesaurizantium vanitas 140. &c.
Timor Dei quid, dignitas & utilitas eius 680. &c.
Tributa exigere an & quomodo liceat 310.
Tyranni vid. *Iudices injusti: imaginationes Tyrannorum quid sint exleges, cunctipotentes, & αὐτοῦσιοι* 456. &c. *Tyrannos præficit Deus* 475.

V.

Vanum quid 16. *vana quæ* 18. *vanitas sublunarium quanta, & in quo consistat* 19. 671. &c. *usus considerationis huius* 21. *media ad cognitionem vanitatis* 642.
Vectigalia vid. Tributa.
Ventus imago immensi laboris 37. 38. *inconstantiæ hominis & fortunæ* 38. &c.
Verbum Dei quid, & quomodo excipi debeat 9. *Verbo Dei vitia palliantur* 247. *sed perperam* 290. *auditio Verbi Dei* 274. *instar clavorum* 675. &c.
Vestitus qualis esse debeat 520.
Vicissitudo temporum 384. *status hominis* 397. *à Deo est & bona* 398.
Viriles ætatis miseria 46.
Vincti solvuntur à Deo 268.
Vita hæc plena labore, miseriâ 44. &c. *similis comœdiæ* 59. *umbræ* 338. &c. *terminus vitæ fixus & immobilis* 160. &c. *vita tadium licitum & illicitum* 136. &c. *vita dulcis quomodo* 641. *vitâ melior mors* 346. *vita melior morte* 510. &c.
Umbræ similis vita humana 338. &c.

Ungnen-

Unguenti usus apud veteres 340.521. *unguento simile nomen bonum* 340.&c.
Vocatio non deserenda 363.
Voluptas non est felicitas vera, perfecta, constans 79.80.&c.
Votasoli Deo nuncupanda 284. *implenda* 285.288. *idq; mature* 285. *previâ deliberatione pangenda*, 286. *monastica* 289. *Votifragi non abeunt impuniti* 291.&c.
Vsus terrenarum modicus 145.

Corrigenda.

pag.54. Parentem lege parentum. Avi, l.Avis. p.61. generatio, l.Ratio.p.110.ventos, l.Venetor [illegible] is promillio quæ scelere adimplectur.p.373.ingratissimi, l.ingratissimus.p.434.Vricenus, l.Viticensis.p.648.puodorem, l.pudorem,p.677.meos, l.meas.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE